JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

BATAVIA
ILLVSTRATA,

seu

DE BATAVORVM INSVLA,
HOLLANDIA, ZELANDIA, FRISIA,
TERRITORIO TRAIECTENSI
ET GELRIA,

Scriptores varij notæ melioris,
nunc primùm collecti, simulque editi.

Ex Musæo
PETRI SCRIVERII.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud Ludovicum Elzevirium.
cIↃ. IↃ. C. IX.

ILLVSTRIBVS

BATAVIAE ORDINIBVS

PETRVS SCRIVERIVS

dedicat consecratque.

VIRI Batavię principes, vetustate nobiles, novitate felices: non inusitato nec novo exemplo hæc de Batavia & Hollandiæ Zelandiæque Comitibus collegi, & quamquam nota in majorem notitiam & lucẽ protraxi. Sic Cornelium Tacitũ augustissimum Historiæ Augustæ scriptorẽ, ne lectorum incuria deperiret, jussu cognominis Taciti Imperatoris, singulis annis in exẽplaria dena transfusum descriptumq;, publicitùs in archijs civicis & bibliothecis omnibus collocatũ fuisse accepimus. Sed hæc mea Collectanea quibusnam potius quàm vobis, Ordines Illustres, donarem & dicarem? Ducit huc obsequij sacramentum, quo vo-

bis obſtrictus ſum: ſed ipſa res huc etiam ducit, & temporis (niſi fallor) opportunitas. De priore ſtudij & affectus mei vinculo, tam fas eſt credere, quam nefas dubitare. De re, ecce Bataviam veterem, id eſt veſtram Hollandiam Zelandiamque & circumvicina loca, quibus ſummâ cum prudentiâ, æquitate, juſtitiâ, & generoſitate præeſtis. Hæc alijs quàm vobis offerre, piaculam ſit. Et vanus ſim rerumqúe omnium imperitiſſimus, ſi aliubi auſpicatiùs quam ſub præſidio auſpicatiſſimæ veſtræ poteſtatis me hæc evulgaturum ſperem. Iam quid de temporis opportunitate dicam? Nonne vel iſtæ duodecennales quas recens cum Sereniſſimis Brabantiæ Principibus feciſtis induciæ, iſta inquā in ſummo otio civili & domeſticâ quiete Halcedonia, eliciant hæc noſtra Collectanea? Nonne nūc, dum togâ prætextâque ſagum & paludamentum permutaſtis, ſecurè vos adeundi tempeſtiva occaſio eſt? Ita arbitror. Nimirum, ſi quod otium vobis hactenus fervente bello negatum, beneficio pacis abunde ſuppetet, ex eo ſubſicivum quod à gravioribus curis & publicâ adminiſtratione tempus ſupererit, legendis Hiſtorijs impartiri voluerit:

ritis: noſtras autem exoticis præferre, aut ſaltim quum illas legitis, has unà legere atque conferre non dedignati fueritis. Sic ut quæ hactenus in oblivione jacuerunt, in aſsiduâ eſſe commemoratione poſsint. Hiſtoriarum autem cognitio, cum per ſe res jucunda ſit, & homini benè nato expetenda: tum vobis, V V. A A. ad Reipublicæ clavum ſedentibus convenientiſsima. Ceterùm invenietis hîc, ſcio, res geſtas & præclara domi foriſque à Batavis progenitoribus noſtris patrata facinora nulli veterum (licet huc omnes Græci Latinique duces militiæ ac imperatores advocentur) facilè ceſſura. Quis per Deum immortalem (ut multos alios præteream) cum Claudio Civili Regiâ Batavorũ ſtirpe edito cõparandus? Nobiliſsimus ille atque fortunatiſsimus Heros, libertatis cuſtos & fundator imperij Batavici, quot ſolus bella cum principe terrarũ populo quondam geſsit! Quæ apud Tacitum vulgò leguntur cum invidiâ, & vix fidem inveniunt, etſi ſcripta ex fide. Macti hac laude ô Batavi, quòd angulus unus Europæ, qui ſi cũ Imperio Romano longè lateque domino conferatur, vix puncti inſtar obtinebit, quindecim le-

giones provocare ausi sitis. Macti hac adoreâ mei municipes. quos muta etiam saxa fratres & amicos Populi Romani loquuntur. Et alia antiqua monumenta vos Imperij sanitatem, sustentaculum, robur & columen verissimo elogio appellant. Denique formidabile olim toto orbe Batavorum nomen cuncti testantur. Sed non

* Fuêre quõdam strenui Milesij.

* Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Nec hodierni Batavi degeneres aut majoribus suis inficiandi. Imò etiamnunc illi veri Martis pulli & Homeri verbo * θυμολέοντες. Accessit quinimò superioribus annis priscæ laudi lucu-

* animo leonino.

lentum auctarium. Ita ut qui olim equestri potissimùm gloria floruerunt, nunc quoque navali excellant, & maris domini non injuria vocari mereantur. Quæ quum in ore populi sint, de ijs in præsentiâ nihil nobis dicendum existimavimus. Vetera & propemodũ exoleta in memoriam tantùm revocamus. Quod acceptum fore vobis V V. A A. putamus. sanè ut sit, unicè optamus: quod meretur quidem non ingenio, sed labore. Quem in gratiam vestram, Ordines Illustres, lætus lubens meritò istis colligendis posui. Longè quidem ampliora merebatur vir-

tus

tus & magnanimitas vestra: & potuissem (absit dicto invidia) vobis communique Patriæ meæ alio opere Historico gratificari, nisi hæc variorum Auctorum Collectanea consultò præmittenda censuissem: atque dedecus meum putassem in publicâ gratulatione & lætitiâ, quam cuncti quà voce quà scriptis testificantur & stilo consignāt, me solum desidem aut elinguem esse, nec favore aut plausu prosequi tam optatum diuque desideratum bonum. Recentes illas dico inducias. post quas (ut voto Epistolam hanc finiam) nobis proximè Deus Opt. Max. pacem largiri dignetur. Hanc firmam, stabilem, imò æternam donet nobis ille Æternus. Dat. Lugduni Batavorum, ipsis Eidibus Sextilium cIↃ. IↃC. IX.

PATRIÆ FELICITER.

Nomenclator Auctorum, in hoc Volumine contentorum.

GERARDI Geldenhaurij Noviomagi *Lucubratiuncula de Batavorum Insula.*

Ejusdem Historia Batavica, ubi & de vetusta Batavorum nobilitate.

Ejusdem Insignium locorum ac oppidorum Batavię nomina.

Ejusdem Regum ac Principum Batavorum, item clarorum Scriptorum Batavię nomina.

Ejusdem Germaniæ inferioris loca aliquot declarata.

Cornelij Aurelij Goudani *Batavinæ Gloriæ Defensio.*

Ejusdem Elucidarium variarum quæstionum super Batavina regione & differentia.

Aloysij Marliani Mediolanensis *Epistola de Batavię laudibus.*

Martini Dorpij Naeldwiceni *ad Hollandos suos Epistola.*

Chrysostomi Sanctij Neapolitani *Epistola de situ & moribus Hollandię.*

Desiderij Erasmi Roterodami *Auris Batava.*

Gerardi Noviomagi *de Zelandię situ Epistola.*

Hadriani Barlandi *Hollandię Zelandięque compendiosa Descriptio.*

Levini Lemnij *De Zelandis suis Commentariolus.*

Antiquitatum Batavicarum *Tabularium, Archiota* Petro Scriverio.

Hollandiæ Zelandięque *Comitum ac Dominorum Frisię Historia, ex* Hadriano Barlando, Iacobo Meyero, *& alijs excerpta per* Petrum Scriverium. *Adjecta sunt Comitum Picturæ, & ijs subjecta Epitaphia, Auctore* Georgio Benedicto Harlemensi.

Vltrajectensium *Pontificum Indigitamenta & Res gestæ, Auctoribus* Hadriano Barlando *&* Gerardo Noviomago.

De urbis Vltrajecti *situ, origine, Episcopis, &c. ex* Lamberto Hortensio Montfortio, Ænea Silvio, Raphaele Volaterrano, & Hadriano Iunio *Excerpta P. S.*

Chronici Gelriæ *Compendium, scriptum ab* Henrico Aquilio Arnhemiensi, *cum novis P. S. ex antiquis Annalibus Additamentis & Observationibus.*

PETRUS SCRIVERIUS
omnia collegit & recensuit,
ANNO CIↃ. IↃ. C. IX.

Lucubratiuncula
GERARDI NOVIOMAGI,
Caroli Maximi Cæsaris a Sacris,
De Batavorum Insula.

G. N. NICOLAO BVSCODVCENSI S. P.

COllegi ante aliquot annos, adjutore Conrado Vecerio Lucenburgensi, Caroli Max. Cæs. a Secretis, nonnulla quæ ad Batavorum Insulæ descriptionem pertinere videbantur: quæ nunc sub tui nominis auspicio in publicum emisi. Adnotassem tamen his multa ex primæ auctoritatis scriptoribus, quæ ad illustrandam Batavorum, imo Germanorum nostrorum gloriam pertinent, sed aulicæ hæ turbæ mihi studijsque meis longe molestissimæ, inter quas invitus versor, non sinunt me tantum patriæ, id est, Germaniæ nostræ clarissimæ tribuere. Clarissimæ inquam, tanta enim fuit semper Germanorum nostrorum non modo libertas, verum etiam in bellicis domesticisque rebus virtus, ut gloriosi jactabundique Itali res gestas parentum nostrorum cogente invidia suppresserint. Quamquam non paucis in locis vel nolentes nostrorum virtutes prodant. Id quod ex Cæsaris Dictatoris commentariis de Ariovisto, ex Tacito de Arminio, principe fortissimo, facile oculatus lector perspicit.

Tantaque fuit singulorum Germanorum virtus & fortitudo, ut difficile fuerit discernere, quis inter eos militis, quis imperatoris nomine dignus esset. Et (ut quod verum est addam,) maxima omnium sæculorum inventa Germanorum sunt: bombarda videlicet, Typographia, pyxis chartaque nautica. Et si ad literas (ut strennue jam faciunt plerique) acerrima liberrimaque ingenia contulerint, Italiam atque Græciam brevi infra se videbunt. nam qualis sit in sacris humanisque literis Desiderius Erasmus Roterodamus, Batavorum Germanorumque immortale decus, totus novit orbis. Quantumque multi alij bonarum literarum professores eruditione eloquentiaque præstent, ipsi Romanenses quotidie experiuntur. Sed (ut ad libellum meum redeam) doctissime Nicolae, ab amusis istis latratoribus defendendus abs te venit tibi nominatim dedicatus. Bene Vale. Salutabis meis verbis communes amicos doctissimos viros Petrum AEgidium & Cornelium Grapheum. Dorestati. Anno M. D. XX.

Non

NOn ignoro quam immodica prudentium virorum de Batavorum Insula scribentium discordia sit, & quam graves falsæ nonnunquam rei sint auctores, quos cum laborioſius indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore (ut Plinianis verbis utar) mentiri non piget. Quare de Batavorum Insula scribere constitui, partim quæ apud probatissimum quemque auctorem legi, partim quæ coram conspexi. Principio itaque candidum lectorem admonitum velim, gentium, portuum, oppidorum nomina, locorumque status sæpe mutari, provinciarum regnorumque terminos non mediocrem accipere varietatem. A Strabonis enim tempore, qui sub Tiberio Cæsare vixit, usque ad Ptolemæum Alexandrinum, qui Imperante Antonino Pio Augusto orbis situm descripsit, tanta nominum mutatio facta est, ut paucissimos populos eo nomine recenseri videas ab uno, quo nominaverit alter. Id quod etiam Plinius his verbis conqueritur: Alibi mutato provinciarum modo, alibi itinerum auctis aut diminutis passibus incubuere maria, tam longo ævo alibi processere littora: torsere se & fluminum aut correxere flexus, præterea aliunde aliis exordium mensuræ est. Nec Seneca idem dissimulat ad Albinam: Nova, inquit, urbium fundamenta jaciuntur, nova gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in accessionē validioris conversis, oriuntur. Quare, optime lector, non statim arguendus videtur acrius, quisquis in describendis hoc nostro sæculo locis, atque ad prisca nomina reducendis, rem acu (ut dicunt) non tetigerit. Hæc paucis admonuisse sat sit. Hinc ad descriptionem Batavorum Insulæ veniamus, & in primis [a] Tacitum eloquētissimum historicum audiamus: Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicę orę vacua cultoribus, simulque Insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit,

[a] *Historiarum lib. 4.*

Meminit & hujus Insulæ [a] Cæsar, qui eam victor lustravit, ita scribens: Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadã ex Rheno recepta, quæ appellatur Vualis, Insulamq; efficit Batavorum Oceanum influit, neque longius ab Oceano millibus passuum xxc. in Rhenum influit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spacio per fines Mantuantium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboccorum, Trevirorum citatus fertur, & ubi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibusque Insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur. Ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Rhennm influit. Si Cæsarem Dictatorem recte intelligo, Vualis, Rheni brachium, Batavorum Insulam efficit, non Mosa Vualim recipiens. Quod si ita est ut dicimus, ibi Batavorum Insulam incipere ubi Vualis incipit, non negabimus, id est ab arce Lobeca, ubi etiam ipsum Rhenum in plures defluentem partes a tergo (ut Tacitus scribit) habet, & a Septentrione & Meridie habere incipit. De passuum vero numero nullam facimns mentionem, quod in antiquis codicibus numeri librariorum imperitia sint depravatissimi. Vualim autem Batavorum Insulam alluere apertissime ostendit [b] Fortunatus, egregius poëta, duobus elegantissimis versibus:

[a] *Lib. 4. Belli Gallici.*

[b] *Lib. 6. Carm. 8.*

Condolet hinc Batavus, gemit illinc Beticus axis:
Perstrepit hoc Vuahalus, illud Hiberus aquis.

Quod ut majore auctore adstruam, [c] Taciti etiam verba subscribam: Insula Batavorum, in quam convenirent, prædicta, ob facileis adpulsus, accipiendisque copiis & transmittendis ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus haud modicas Insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violen-

[c] *Libro 2. Annalium.*

violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur, ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verſo cognomento Vahalem accolæ dicunt, mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, ejuſque inmenſo ore eundem in Oceanum effunditur. Ex his claret Vahalem ibi eſſe, nomenque ſuum retinere, ubi ſunt Batavi. Nec digladiandum cenſeo Vualis dicatur an Vuahalus, cum veterum locorum tam varia apud auctores ſit appellatio. Sed attendendus eſt locorum ſitus, fluviorum curſus, veterum literarum indicia, ſeniorumque narrationes. Moſa etiam (ut hoc quoque obiter dicam) manu facto alveo in Vualim influit ſupra Bomeliam, cujus mirum eſſet Raimundum Marlianum non meminiſſe, niſi vir tantus multa magis ex conjecturis & auditu, quam oculis & diligenti lectione deſcribere maluiſſet. Præter hæc quæ diximus, [a] Plinius in ordinatiſſima illa ſua Coſmographia ſic de hac Inſula ſcribit: In Rheno autem ipſo prope centum millia paſſuum in longitudinem, nobiliſſima Batavorum Inſula, & Caninefatum, & aliæ Friſiorum, Caucorum, Friſiabonum, Sturionum, Morſatiorum, quæ ſternuntur inter Helinum & Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus, ab Septentrione in Lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, medio inter hęc Chorum verſus modicum nomini ſuo cuſtodiens alveum. Iam videamus an Cæſari conſonet Plinius. Cæſar Rhenum dicit, ubi Oceano appropinquat, multas ingenteiſque Inſulas efficere. Plinius multas Inſulas enumerat, quæ inter Helinum & Flevum ſternuntur. Cæſar dicit partem quandam ex Rheno a Moſa recipi. Plinins ſcribit Rhenum ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargere. Cæſar (ut oſtendimus) Vualim afſerit Batavorum Inſulam efficere. Plinius Rheni enumerans Inſulas, Batavorum Inſulam, ut eſt prima, ita primo quoque loco ponit, vocatque nobiliſſimam. Revera enim nobiliſsima eſt Batavorum Inſula, quæ undique aquis ſepta

a *Naturalis Hiſtoriæ lib. 4. cap. 12.*

pulcherrimam Insulæ speciem præ se ferre dignoscitur. Nec quisquam putet Plinium tam crassi hebetisque ingenij, ut præterita hac Insula, aut primo loco posita, alias minus nobileis tam studioso ordine referret. Nec quisquã Batavos, quos nos describimus extra Helinum & Flevum quęrat, nisi etiam in extremo Gallicæ oræ, ubi usque hodie arcis Batavorum (ut quibusdam persuasum est, reclamante licet Trithemio) quam Batavoburgum dicunt, vestigia manent. Habemus ex Plinij verbis inter Rheni Insulas Batavorum principem, eamque in Rheno ipso esse, quod & alio loco apertissime[a] Tacitus auctor his indicat verbis: Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia, Nemetes, Tribocci, Vangiones Vbij, Colonia Agrippinensis, Cugerni, Batavi, & quos in Insulis diximus Rheni. Helini nomen obscurius nobis est, quam & quo loco fuerit certo indicare possimus. Quamquam extet arx Helinum non procul a Bomelia salsa, obsidione prælijsq; nobilitata. Flevus is fluvius a multis putatur, qui inter Stauriã & Enchusiam fluit. Legitur autem in Vita S. Odulphi, quod circa Stauron ante Divi Odulphi ædes jacebat petra ingentis magnitudinis, quæ absque humano labore in flumen, quod dicitur Flee/ devolveretur. In chartis vero nauticis, quibus nostræ ætatis nautæ utuntur, non dicitur Flee, sed Germanice die Doerlact: & Flee dicitur flumen illud quod inter Insulas Flielandiam & Schellingiam decurrit. Qui vero sint Frisij inter Flevum & Helinum, ex Historia Radbodi, potentissimi Frisiorum Principis, qui tempore Caroli Martelli Vltrajecti regnabat, utcunque elicitur. Præterea in libro Cameræ (ita dicunt) Vltrajectinæ Ecclesiæ, bona Holtlandiæ pars quæ ad Septentrionem vergit V Vest-Frisia vocatur. Qui autem sint Cauci & cæteri qui a Plinio nominantur, qui inquirere volet, hoc observet, ne aut Helinum aut Flevum transgrediatur, alioqui non satisfaciet Plinio. Retinet autem Rhenus usque in hunc diem nomini suo alveum juxta Arnhemam,

Batenburch.

[a] *Libello de Germania.*

Fluvius te Heel/ *ad Mosam in ipsa Bomelia Insula.*

mam, VVagenum, & Rhenos, oppidum quod a Rheno ipso nomen sortitur, atque non procul a Dorestato arce Antistitis Vltrajectini Lecca vocitatur, manentibus nihilominus veteris Rheni vestigiis. Quod autem Plinius Historiam Naturalem prosequens, ex adverso huius situs Britanniam Insulam collocat, non est contrarium his, quæ de Batavorum Insula scripsimus. Non enim dicit Plinius ex adverso Batavorum Insulæ esse Britanniam, sed ex adverso situs Insularum Rheni, quas simul enumerans complectitur. Ex, iis quæ hactenus in medium attulimus, apparet quod Batavorum Insula sit partim ea quæ nunc Batua dicitur, (quo etiam nomine Ammonius, diligens & verax Historicus, Sigebertus Gemblacensis Monachus, Regino Abbas Prumiensis, non contemnendi auctores, immortalitati consecrarunt) partim maxima Holtlandiæ pars. Habet hæc Insula vicos, pagos, arces, oppida nobilissima atque toti Germaniæ imo toti fere orbi notissima, quare horum nomina huic lucubratiunculæ inserere supervacuum duxi. Quæ Cornelius Tacitus de Nemore apud Batavos sacro scribit, huic nostræ Insulæ, si rite dispiciantur, aptissime congruunt. Sed oculatum oportet esse lectorem, neque sententiam præcipitare, neque affectu immodico in aliquam partem duci. Audivi puer a Batavis senibus, Batavos olim fuisse Cæsarum aquiliferos, quare adhuc multi horum aquilas nigras, aliqui rubeas, non nulli albas pro insignibus habent. Quod vero corporum Cæsarum custodes fuerint, non uno loco Tranquillus indicat, & amicos populi Romani, & in periculosissimis bellis auxiliares fortissimos fuisse, ex Ammiano facile colligitur. Tanta est hujus Insulæ fertilitas, ut nihil supra. Viros & mulieres educat formosissimos. Pecorum omnis generis refertissima est. Tot sunt inter Batavos equestris ordinis viri, ut in proverbium apud finitimos abierit Batavus Eques, ac Domina Batava, quando nobilitati avorum non responderēt opes, quamquam sint opulentissimi

Betuwe.

mi quando iis agros colere per bella licet. Nullus fere in ſupera hujus Inſulæ parte eſt, qui nõ oſtentet inſignia ſua. Viri fortes ac ſtaturoſi, & ad bellorũ ſubeunda pericula ut promptiſsimi ita & aptiſsimi. Quæ ſcribo, vera eſſe nemo negabit, qui inter Batavos, qui antiquum adhuc nomen retinent, vel unum diem converſatus ſit. Reliqui enim qui nunc aliis nominibus cenſentur, quique mercatui ſtudent, etiam quia opulentiſsimi ſunt, militarem artem non nihil remiſere, ad eam tamen aptiſsimi, cum aliquantiſper aſſueverint. Verum quia nonnulli dubitant qui ſint Sycambri, Batavis finitimi, illud ex quibuſdam veriſimilibus conjecturis addam. Sycambri ſunt Colonienſes, Gelrij, & Clivi, cæterique qui inter Noveſium & Noviomagum, inter Moſam & Rhenum habitant. Neque hęc ſcribentes Gelriam aut Cliviam Sycambriam dicimus (niſi ab inhabitatoribus ita quiſpiam nominare velit) ſed Sycambri in hanc Galliarum partem, in qua nunc habitant, Auguſti auſpiciis traducti ſunt. Narrante enim [a] Suetonio didicimus, quod Octavius Auguſtus Germanos ultra Albim ſummovit, ex quibus Suevos & Sycambros dedentes ſe traduxit in Galliam atq; in proximis Rheno agris collocavit. DeSuevis, quorum hic fit mentio, difficilior eſt nodus, quã ut a me diſſolvi poſſit. Vbi autem terrarum Sycambria fuerit, vnde noſtri originem ducunt, inquirant qui volent, ut ſpecioſa vendant mendacia. Mihi abunde ſatis eſt, quod de Batavis & Sycambris ea ſcripſerim, quæ vera eſſe, lectis excuſſiſque veterum Hiſtoriis, Sanctorumque Vitis, qui noſtræ Inferæ Germaniæ Chriſti fidem prædicaverunt, diligens lector facile deprehendet. Qui vero accuratius & cumulatius aliquid de Batavorum geſtis legere cupit, Renati Snoij Goudani, inſignis Medici, Hiſtoriam Hollandicam legat. Vive, vale, amice Lector, & (ut Horatij verbis dicam) ſi quid noviſti rectius iſtis, Candidus imparti: ſi non, his utere, mecum.

[a] *In Octavij Auguſti vita, ca. 20*

Hiſto-

Historia Batavica
GERARDO NOVIOMAGO
Rhapsodo.

MVltis ante Christum natum annis, Bato Regis Cattorum filius, novercalibus petitus insidiis, a patre discessit, nobili gentis suæ juventute & haud mediocri popularium numero comitantibus. Erat autem Bato statura procera, forma conspicuus, fortis viribus, militaris rei peritissimus, aditu facilis, ac in primis summus popularium suorum amator. His regiis dotibus, ut novercam in odium, ita bonam Cattorum partem in sui amorem pellexerat. Secessus vero sui mense secundo, Rhenum eo loci, ubi in duo quasi cornua dividitur, cum suis omnibus trajecit, legatosque ad Menapium Tungrorum Regem socerum suum misit, orans ut consulat, quo nam in loco minima cujusvis injuria considere posset. Tungrorum Rex ubi legatos audivit, Mosa trajecto, ad Batonem properat, quem sibi occurrentem amplectens, in arcem Magum, quæ ad Mosæ ripam est, excipit, & secessus causa comprobata, consilium dat, ut ab eo loco, ubi Rheno trajecto confederat, ad Mosæ Vahalisque confluentem usque regionem cultoribus vacuam occuparet. Quod quum Bato, seniorum nobilitatisque consilio, genti suæ indicasset, Tungri consilium approbant, & in Rheni ripa casas erigere cœperunt. Bato vero, socero ad Tungros reverso, haud procul a Mosa in conspectu Magi arcem extruxit, quæ conditoris nomen Batoburgũ in hunc usque diem retinet. Eodem tempore & Cattuicus aliquot passuum millibus supra Batoburgum, in veterum consanguineorum memoriam, ædificari cœptus.

Tungri te Magen

Batenburg.

Cattuici.

Quum autem Rheni ripa, & quicquid agri inter Mosam & Vahalim (Mosavalia dicitur) tantæ multitudini non sufficeret, Insulam etiam intra Rhenum Vahalimque sitam, ad Oceanum usque inhabitare cœperunt, Batavorumq; Insulam nominaverunt. Et sicut in Mosavalia Cattuicum terminum regionis esse placuerat, ita & ejusdem nominis ad Oceanum quoque pagum constituere. Et nein Insulã facilis pateret trajectus, in initio ipsius arcem construxere, quam Loepekam, id est, cursus angulum nuncuparunt. Quumque Bato summa æquitate præesset, & nõ paucos vicos, pagos, municipia, & arces exstrueret, eas nobilitatis suæ nominibus appelandas curavit. Tandem Regij alicujus palatij construendi consilium capit, in quo tam Insulanis quam Mosavalianis jus dicere commode posit. Quumque jubente Rege architecti totam Batavorum regionem diligenter perlustrassent, indicant se collapsæ cujusdam arcis vestigia, in editiore colle, qui pro ripa Vahali adjacet, paululum infra eum locum, ubi primum trajecto Rheno, castra locarant, vidisse, quo Regiæ ædificandæ, juri dicundo, ditioni tutandæ, nullus esset aptior. Inquirit Bato a Tungris, quisnam arcis illius fundamenta jecerit. Narrant hi, potentissimum olim Galliarum Regem Magum, Ditis filium, ibi nominis sui arcem ædificasse. Verum illius filios, in interiorem Galliam abeuntes, eam neglexisse, & jam a multis annis nemini inhabitatam esse. Animatus hoc responso Bato, locum adiit, indeque superam Insulę partem prospectans, & a sinistris agrum fertilissimum, a dextris vero collium, vallium, sylvarumque amœnitate, ac fontium scaturigine captus, restaurari & muro triplici ornari simul & muniri, eamque Noviomagum ab innovatione dici jussit. Mortuo Batone, filius ipsius Hessus, Batavorum Rex totius gentis acclamatione salutatus, Noviomagum, ubi natus erat, mirum in modum domibus auxit, ita ut inferior oppidi pars ipsius nomine Hesi mons in hæc usque tempora vulgo dicatur.

Nieunegen.

Hesselberch.

catur. Post hæc communi Batavorum consilio, Noviomagum Regia & caput gentis constitutum est. Cœpitque Batavorum nomen non solum per vicinas Galliarum regiones, verum etiam per Italiam, & longius dissitas provincias, celebrari. Mos quippe Batavis erat, juventutem, quæ ab agris colendis vacabat, militari & in primis equestri disciplina exercere, atque exercitos in exteras regiones ad stipendia facienda mittere. Itaque factum est, ut bello Mithridatico aliquot Batavorum cohortes, sub Lucio Cæsare, tum Achaiæ Proconsule, patre Iulij Cæsaris, militarent una cum Carolo Inacho, Tungrorum Regis filio. Horum tanta virtus & fortitudo fuit, ut Senatus Populusque Romanus, Regem & gentem Batavorum, amicos Senatusconsulto ac Plebiscito declaraverit. Iulius autem Cæsar, mortuo patre suo, Batavorum cohortes in summo honore semper habuit, hos corporis sui custodes constituit, his primam aquilam in dubiis bellis credidit, horum potissimum opera Britanniam subegit. Durante etiam bello Gallico, Cæsar usque Noviomagum descendit, & in amicitiæ suæ erga Batavos memoriam, arcis partem, quæ Vahali imminet, Romanorum more per suos architectos & fabros adversus aquarum impetum muniri fecit, ab ipsoque ea structura, Domus auxiliaris, Batavice, Dat huys ter Hulpen, nuncupata est. In bello vero civili, Batavorum cohortes Pompeianos vicerunt, & Pompeium in fugam verterunt. Mortuo Cæsare Dictatore, fidelissimi in Romanorum amicitia ad Vitellij Imperium usque Batavi perstiterũt. Augustus quoque Octavius in comitatu suo multis annis eos detinuit, & Tiberius corporis custodes delegit. Sub Druso vero & Germanico, strenuam Romanis operam, pace bellogue jam clari, navarunt. Regnante autem Caligula, nonnihil tam insani Principis Imperium detrectantes, Romanis restiterunt.. Sub Claudio, reddita illis pristina libertate ac dignitate, crebris per Britannias victoriis claruerunt. Neronis

Batavi Rom. Imp. amici.

vero ac matris ejus Agrippinæ, corporis custodes veteri more constituti. Tandem a Galba contumeliis affecti, in patriam rediere. Vitellius Cæsar, quum Batavorum fortitudini, victos Othonianos, acceptum referre deberet, beneficiorum immemor, luxu & avaritia Præfectorum suorum, eos ad defectionem adegit. Hinc atrox bellum inter Batavos & Romanos exortum est. Manente hoc bello, Noviomagum Batavorum oppidum, ab ipso gentis Duce, quia id adversus hostes defendere nequibat, succensum est. Tandem æquis conditionibus ab armis discessum, manente Batavis apud Vespasianum & filios ejus veteri gratia & auctoritate. Sub Hadriano Augusto, rursus corporis custodiæ adhibiti, qui Sorano Batavo epitaphium tale scripsit:

Ille ego Pannonijs quondam notißimus oris,
Inter mille viros primus fortisque Batavos,
Hadriano potui qui judice vasta profundi
Aequora Danubij cunctis tranare sub armis,
Emissumque arcu, dum pendet in aëre, telum,
Ac redit, ex alia fixi fregique sagitta,
Quem neque Romanus potuit, neque Barbarus unquam,
Non jaculo miles, non arcu vincere Parthus,
Hic situs, hic memori saxo mea facta sacravi.
Viderit an ne aliquis post me mea gesta sequetur:
Exemplo mihi sum, primus qui talia gessi.

Quum vero multis Augustis & fidelissimi & gratissimi fuissent, imperante Septimio Severo, libertatibus & honoribus ornati, in Britanniis (ut olim) sæpe felicissime pugnarunt. Quam grati Severo fuerint, satis declarant vetustatis monumenta, mea ætate eruta, non procul a Legia oppido, Lypden.

quam

quam a legionibus, quæ ibi caſtra habuerunt, denominatam veriſimilis conjectura eſt. His hæc inſcripta erant:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS
AVG. ET M. ANTONINVS CAES.
COH. VOL. ARMAMENTARIVM
VETVSTATE CONLAPSVM RESTI-
TVERVNT, SVB VAL. PVDEN-
TE LEG. AVG. PR. PR. CVRAN-
TE CAECIL. BATOE PRAE.
GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROMANI IMPERII.

Conſtantio autem Cæſari, ac Conſtantino, qui poſtea Magnus dictus eſt, in Britannia olim commilitones Batavi, magnum momentum ad Imperium Romanum obtinendum attulerunt. Nec Iuliano, in pugna Argentoracenſi, auxiliatrices Batavorum turmæ defuerunt, ſed ipſius exercitui in pugna laboranti animum addidere, & victoriæ cauſa fuerunt. Poſt hæc tempora, Barbaris nationibus Romani Imperij provincias incurſantibus, Batavi ægre patriam ſuam tutati ſunt. Tempore vero Pippini Francorum Ducis, Danis & Friſiis fortiter aliquamdiu reſiſtentes, tandem hoſtilivi coacti ſunt, Francorum & Regem & religionem ſuſcipere, manente tamen non ſolum ea libertate, qua a Cæſaribus donati erant, verum etiam multis modis aucta. Carolus autem Magnus Noviomagum arcem collabaſcentem reparavit, & ſacellum, quod ibi Dijs Manibus a veteribus conſecratum erat, Chriſto Servatori, per Leonē Romanum Epiſcopum conſecrari fecit. Ædificavit & in hac arce tribunal, quod ibi mea ætas vidit, in quo crebro Inferioris Germaniæ populis jus dixiſſe legitur. Regnante Ludovico, Nortmanni, claſſe Vahalim ingreſſi, totam Inſulam devaſtarunt, & Noviomagi Regium palatium miri operis & magnitudinis exuſſerunt.

Batavia divisio.

Carolo autem Caluo rerum potiente, Batavorum gens trifariam divisa est. Inferior enim Insulæ pars, quæ mutato nomine Holtlandia a Frisiis dici cœperat, partim Episcopi Vltrajectini, partim adventitij cujusdam Principis jussa facere, jubentibus Francici sanguinis Cæsaribus, volens nolens coacta est. Hinc crebra bella exorta sunt, quæ si quis legere volet, habet Holtlandorum Vltrajectinorumque Historias. Superior autem Insulæ pars, quæ Batavicum nomen retinet, & Noviomagum caput gentis, multis annis sub Cæsaribus libera mansit. Fredericus vero, primus hujus nominis Augustus, Batavorum libertatem auxit, arcem Noviomagum instauratam munivit. Vicini autem Principes horum libertati invidentes, arte ipsis nota, VVilhelmo ex Holtlandorum Comite Romanorum Regi impudentioribus precibus persuaserunt, ut Othoni, Gelriæ tum Comiti, Noviomagum & quicquid illius jurisdictionis erat, pro magna, quam ei debebat, aureorum summa pignori daret. Quod, Batavis Noviomagisque frustra contra nitentibus, VVilhelmus fecit, & Rodulphus, post eum Cæsar factus, ratum habuit. Hac rerum omnium vicissitudine factum est, ut Insula quondam nobilissima ac potentissima, in multas ditiones discerpta, sub quodam servitutis jugo depressa jaceat.

Hæc sparsim Batavice scripta, utcunque Latina feci, & in hunc ordinem redegi. Sequutus autem sum Historias Ducum Gelriæ, quas clarissima Princeps Catharina, filia Arnoldi Ducis Gelriæ, patri meo, Gerardo Geldenhaurio dono dederat, & Historias Ducum Clivensium, quæ fuere Adolphi filij Ducis Clivensis, qui vulgo a Ravesteino dicebatur. Restat ut de præcipua Batavorum nobilitate, cujus progenies hodie quoque floret, pauca addam. Vetustissima inter Batavos nobilitas est Heroum Herculanorum, qui genus ab Hercule Alemanno, totius olim Germaniæ Rege, ducere asseruntur.

De Heeren van Arkel.

ferantur. Ab his originem trahit Gelriorum Dux Carolus, Comites Egmondani, Florentius Comes Buirēſis, Principes etiam ab Hocklem, ab Aſpera, & multi alij minoris nominis. Majore generis nobilitate Egmondani gloriantur, ſed hi, quum a Friſiorum Regibus ſtemma deducant, inter veteres Batavos numerari non poſſunt, licet Herculanis affinitate juncti jam primas inter Batavos obtineant. Horum etiam caput & princeps eſt Carolus Gelriorum Dux, cujus paternum ſtemma ab Herculanis & Egmondanis progreſſum habet. Qua non parum juris, in Caſtris Herculis (Patavice, Dat landt van Erkell) Carolus Gelrius habet. Præterea, per nobiliſſimam Dominam Irmgardem filiam Comitis Clivenſis, uxorem Principis Caſtrorum Herculis, in Ducatu Clivenſi. Materni vero tanti Ducis ſtemma (ut hoc obiter propter imperitos quoſdam veterum Hiſtoriarum Hiſtoriographos addam) a Francorum Regibus quadruplici conſanguinitatis ratione deducitur. Hinc mirum eſt qua malevolentia, qua invidia, qua inſania nonnulli Chronicorum conſarcinatores, toti a veritate abalienati, Regium Egmondanorum, Herculanorum, ac Gelriorum ſtemma extenuare auſint. His accedunt Batoburgi nobiliſſimi plane Batavi, qui & Bohemorum Regum & Columnenſium Romanorum affines & conſanguinei, non multum infra maximos Principes nobilitate & fama deſcenderunt. Lunata præterea VVaſſenariorum inſignia, circa maritima in Batavis principem eos locum obtinuiſſe indicant. Superſunt Brerodani, ſed horum nobilitas non a veteribus Batavis, ſed ab Holtlandorum Comitibus orta eſt. Hæ ſunt fere inſigniores, hac ætate, Batavorum familiæ: verum minorum opum & famæ, tot ſunt inter eos nobiles, ut difficile admodum fuerit, ſi quis vel nominatim adnotare velit, quorum quum in Hollandica Hiſtoria crebra fiat mentio, hic nihil addemus. Colleginus autem ex veteribus primique nominis Hiſtoricis quædam Batavo-

H. van Egmont.

H. van Batenburch.

H. van Waſſenaer.

H. van Bzederoden.

Batavorum gesta, quæ clarissimorũ Scriptorum verbis, indicibus præscriptis, bona fide his adjunximus. Neque te moveat Lector, quod nonnulla, quæ Germanis generaliter adscribuntur, solis Batavis tribuamus: auctoritatem enim & Batavicæ Historiæ & magnorum virorum exempla hac in re sequuti sumus Lege & diligenter dijudica, quisquis es qui hæc in manus sumpseris: & si alicubi erravimus, candide admoneas.

Germanos Batavos Julius Cæsar secum habuit.

Cæsar Belli Gallici lib. 7.

Cæsar ex castris equitatum educi jubet, prœliumque equestre committit: laborantibus jam suis, Germanos equites circiter quadringentos submittit, quos ab initio secum habere instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atque in fugam conjecti, multis amissis, se ad agmen receperunt.

Batavorum cohortes Cæsar segregat.

Cæsar Belli Civilis lib. 3.

Simul his rebus animadversis, quas demonstravimus, timens ne a multitudine equitum dextrum cornu circumveniretur, celeriter [a] ex tertia acie singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit, equitatuique oppositi, atque quid fieri vellet ostendit, monuitque ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare.

a ex terna acie senas *legit Justus Lipsius lib. 4. de Milit. Rom. dialog. 8.*

Batavorum cohortes Pompeianos vincunt.

Ibidem.

Quod ubi Cæsar animadvertit, quartæ aciei, quam instituerat [b] ex cohortium numero, dedit signum. Illi celeriter procurrerunt, infestisque signis, tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conversi, non solum loco excederent, sed protinus incitati, fuga montes altissimos peterent.

b sex *habent libri vulgati.*

Laus

Laus cohortium Batavicarum.

Neque vero Cæsarem fefellit, quin ab his cohortibus, quæ contra equitatū in quarta acie collocatę essent, initium victorię oriretur, ut ipse in cohortandis militibus pronunciaverat. Ab his enim primum equitatus est pulsus : ab iisdem factæ cædes sagittariorum atque funditorum : ab iisdem acies Pompeiana a sinistra parte erat circumventa, atque initium fugæ factum. Quippe quum Pompeius adeo equitum copia abundaret, ut facile circumventurus sibi Cæsarem videretur, circumventus ipse est. Nam quum diu æquo Marte contenderent, jussuque Pompeij fusus a cornu erupisset equitatus, repente hinc dato signo, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut ille esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, levis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. Nec ulla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magnitudo.

Ibidem.

L. Florus lib. 4. cap. 11.

Batavi Octavij Augusti armigeri.

Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distribuit. Classem Misseni & alteram Ravennæ, ad tutelam superi & inferi maris, collocavit. Certum numerum partim in urbis, partim in sui custodiam allegit, dimissa Calagurritanorum [a] manu, quam usque ad devictum Antonium ; Item Germanorum, quam usque ad cladem Varianam, inter armigeros circa se habuerat.

Suetonius in Octavio cap. 49.

[a] *id est*, cohorte.

Batavi custodes Tiberij.

Cohortes delecto milite supra solitum firmatæ, additur magna pars prætoriani equitis, & robora Germanorum, qui tum custodes Imperatori aderant.

Tacitus lib. 1. Annalium.

Insulæ Batavorum descriptio.

Tacitus lib. 2. Annalium. Insula Batavorum, in quam convenirent, prædicta, ob faciles appulsus, accipiendisque copiis & transmittendis ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, haud modicas Insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violentiam cursus, qua Germaniam pervehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento, Vahalim accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

Batavi, auxiliares Romanorum, nandi periti.

Ibidem. Postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, & quidam hausti sunt.

Cariovaldæ, Ducis Batavorum & nobilitatis fortitudo.

Ibidem. Qua celerrimus amnis (Visurgis) Dux Batavorum erupit. Eum Cherusci, fugam simulantes, in planitiem saltibus circumjectam traxere: dein coorti & undique effusi, [a] tendunt adversus, instant cedentibus, collectosque in orbem, pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda, diu sustentata hostium sævitia, hortatus suos, ut ingruentes catervas globo [b] perfringerent, atque ipse in densissimos irrumpens, congestis telis & suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: cæteros vis sua aut equites, cum Sertinio Æmilioque subvenientes, periculo exemere.

[a] atrudunt adversos.

[b] frangerent.

Bata-

Batavorum & Germanorum adversus rebellantes Frisios auxilia.

Eodem anno Frisij, Transl Rhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia, quam obsequij impatientes. Tributum iis Diusus jusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura, donec Olennius e primipilaribus, regendis Frisijs impositus, terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quîs ingentium beluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum aut liberorum servitio tradebant. Hinc ira & questus, & postquam non subveniebat, remedium ex bello: rapti qui tributo aderant milites, & patibulo affixi. Olennius infensos fuga prævenit, receptus castello cui nomen Flevum, & haud spernenda illic civium sociorumque manus, littore Oceani præsidebat. Quod ubi L. Apronio Inferioris Germaniæ Proprætori cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit, ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit: soluto jam castello obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini, firmat, atque interim, repertis vadis, alam Canninefatem, & quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet, qui jam acie composiri pellunt turmas sociales, equitesq; legionũ subsidio missos. Tum tres leves cohortes, ac rursum [b] duas, dein tempore interjecto acrius equites immissus, satis validi si simul incubuissent, per intervallũ adventãtes, neq; constantiã addiderãt turbatis & pavore fugientiũ auferebantur. Cethego Labeoni legato quintæ legionis quod reliquũ auxiliorũ tradit: atq; ibi dubia

Tacitus Annalium lib. 4.

Castellum Flevum.

[b] a duę

ſuorum re,in anceps tractus, miſſis nuncijs, vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios, & acri pugna hoſte pulſo,recipiunt cohortes alaſque feſſas vulneribus:neque Dux Romanus vltum ijt,aut corpora humavit: quamquam multi Tribunorum Præfectorumque & inſignes centuriones cecidiſſent, &c. Clarum inde inter Germanos Friſium nomen.

Batavi circa Caligulam.

Suetonius in Caligula cap.43. Militiam reſque bellicas ſemel attigit, neque ex deſtinato, ſed quum ad viſendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam proceſſiſſet. Admonitus de ſupplendo numero Batavorum, quos circa ſe habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit, &c.

Batavorum Regis filius transfuga.

Ibidem. a *Locus corruptus. Vide Notas.* Nihil autem amplius,quam [a] Admimocino Bellini Batavorum Regis filio,qui pulſus a patre cum exigua manu transfugerat,in deditionem recepto, quaſi vniverſa tradita Inſula, magnificas Romam literas miſit.

Gannaſcus Canninefas pirata ſub Claudio.

Tacitus Annalium lib.11. Per idem tempus Cauci Inferiorem Germaniam incurſavere, Duce Gannaſco, qui natione Canninefas, [b] auxiliarius & diu meritus, poſt transfuga,levibus navigijs prædabundus Gallorum maxime oram vaſtabat, non ignarus dites & imbelles eſſe,

b Auxiliaris,

Tataui cuſtodes Agrippinæ matris Neronis.

Tacitus Annalium lib.13. Cognitum id Neroni, excubiaſque militares,quæ ut conjugi Imperatoris [c] ſolitum, ut & matri ſervabantur,& Germanos ſuper eundem honorem cuſtodes additos, digredi jubet.

c olim, tum,et ut matri.

Nero Batavis Germanis fidebat.

Tacitus Annalium lib.15. Volitabantque per fora,per domos,rura quoque & proxima muni-

municipiorum, pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat Princeps quasi exteris.

Batavi, olim custodes corporis a Cæsaribus instituti, fidelissimi fuere.

Item Germanorum cohortem a Cæsaribus olim ad custodiam corporum institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam. *Suetonius in Galba cap. 12.*

In Batavorum cohortibus magnum victoriæ momentum sub Vitellio.

Iulius deinde Civilis periculo exemptus, præpotens inter Batavos, ne supplicio ejus ferox gens alienaretur: & erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartædecimę legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressę: præut inclinassent, grande momentum sociæ aut adversæ. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Iurgia & rixæ Batavorum & legionariorum.

Sed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas a legione quartadecima, ut supra memoravimus, digressas, exercitui suo Fabius Valens adjunxerat. Iurgia primum, mox rixa inter Batavos & legionarios. Tum his aut illis studia militum adgregantur, prope in prælium exarsere, ni Valens animadversione paucorum, oblitos jam Batavos Imperij admonuisset. *Ibidem.*

Batavi & Trans-Rhenani, Padum transgressi, Othonianos terrent.

Irritabat quin etiam Batavos Trans-Rhenanosque Padus ipse, quem repente contra Placentiam transgressi, [a] raptis quibusdam exploratoribus, ita cæteros terruere, ut adesse omnem Cæciniæ exercitum, trepidi ac falsi nunciarent. *Tacitus lib. 2 Historiarum.* [a] captus.

Batavicarum cohortium gloriatio & laudes.

Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quartadecima legione digressas, quum Britanniam peterent, audito Vitellij *Ibidem.*

motu, in civitate Lingonum, Fabio Valenti adjunctas retulimus, superbe agebant, ut cujusque legionis tentoria accessissent, coercitos a se quartadecimanos, oblatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam jactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum Duci, corrupta jurgiis aut rixis disciplina. Ad postremum Valens e petulãtia, etiam perfidiam suspectabat. Igitur nuncio allato, pulsam Trevirorum alam, Tungrosque a classe Othonis, & Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi, & militari astu, cohortes turbidas, ac si una forent prævalidas, dispergendi, partem Batavorum ire in subsidium jubet. Quod ubi auditum vulgatumque, mœrere socij, fremere legiones, orbari se fortissimorum virorũ auxilio, veteresillos & tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. Si provincia Vrbe & salute Imperij potior sit, omnes illuc sequerentur: [a] sin victoria, sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos, ut corpori, validissimos artus.

a victorię sanitas.

Batavi Germani, navali pugna, Othonianos pellunt.

Ibidem.

Et erat Insula amne medio, in quam gladiatores [b] manibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac forte plures transgressos, completis Liburnicis, per prompti simos gladiatorum, Macer aggreditur. Sed neque ea constantia gladiatoribus ad prælia quæ militibus, nec perinde [c] natantes e navibus, quam stabili gradu e ripa vulnera dirigebant. Et quum variis trepidantium inclinationibus immixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros, [d] atque cominus mergere: quæ cuncta in oculis utriusque exercitus quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctoremque cladis detestabantur. Et prælium [e] quod abruptis quæ superfuerant navibus, fuga direptum. &c.

b navibus

c nutantes.

d aut.

e quidem

Ejusdem

Ejusdem pugnæ commemoratio.

Accessit recens auxilium Varus Alphenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam oppositæ cohortes in ipso flumine trucidaverant. Ita victores latus hostium invecti, & media acie perrupta, fugere passim Othoniani [a] Bebriacum petentes. *Ibidem.*

a Bedriacum,

Batavorum & legionariorum discordia.

Angebat Vitellium victarum legionum haud quaquam fractus animus. Sparsæ per Italiam & victoribus permixtæ, hostilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant. Quippe [b] Bebriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse. Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone excitati erant, placuit, atque interim Batavorum cohortes una tendere, ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. Nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Augustæ Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius hospitem tuetur, sui cuique commilitones aggregati, a conviciis ad cædem transiere, & prælium atrox arsisset, ni duæ prætoriæ cohortes causam quartadecimanorum secutæ, his fiduciam, & metum Batavis fecissent: quos Vitellius agmini suo jungi, ut fidos, legionem, Graijs alpibus traductam, eo flexu itineris ire jubet, quo Viennam vitarent. *Ibidem.*

b Bedriacensi.

Batavorum cohortes in Germaniam remissæ.

Cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ, principium interno simul externoque bello parantibus fatis.

Batavorum descriptio & prælia adversus Romanos, in quibus vicinorum Germanorum crebra fit mentio.

Iisdem diebus, crebrescentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mœsta civitas excipiebat, cæsos exercitus, capta legionum *Tacitus lib. 4. Historiarum.*

gionum hyberna, desciviſſe Gallias, non ut mala loquebantur. Id bellum quibus cauſis ortum, quanto externarum ſociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, ſeditione domeſtica pulſi, extrema Gallicę oræ vacua cultoribus, ſimulque Inſulam inter vada ſitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit, nec opibus Romanis, ſocietate validorum attriti, viros tantum armaque Imperio miniſtrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox per Britanniam gloria tranſmiſſis illuc cohortibus, quas veteri inſtituto nobiliſſimi populariorum regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio arma, equoſque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere, Iulius Paulus & Claudius Civilis Regia ſtirpe, multo cæteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falſo rebellionis crimine interfecit, injectæ Civili catenæ, miſſus ad Neronem, & a Galba abſolutus, ſub Vitellio rurſus diſcrimen adit, flagitante ſupplicium ejus exercitu. Inde cauſæ irarum, ſpeſque ex malis noſtris. Sed Civilis, ultra quam barbaris ſolitum, ingenio ſolers, & Sertorium ſe aut Hanibalem ferens, ſimili oris dehoneſtamento, ne ut hoſti obviam iretur, ſi a populo Romano palam deſciviſſet, Veſpaſiani amicitiam ſtudiumque partium prætendit, miſſis ſane ad eum Primi Antonij literis, quibus avertere accita a Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie, retentare legiones jubebatur. Eadem Ordeonius Flaccus præſens monuerat, inclinato in Veſpaſianum animo, ut reipub. cura, cui excidium adventabat, ſi redintegrandum bellum, & tot armatorum millia Italiam irrupiſſent. Igitur Civilis diſciſcendi certus, occultato interim altiore conſilio, cætera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Juſſu Vitellij Batavorum juventus ad delectum vocabatur, quem ſuapte natura gravem onerabant miniſtri avaritia & luxu, ſenes aut invalidos conquirendo,

quos

quos pretio dimitterent: rursus impuberes, sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia, & compositi seditionis auctores, perpulere ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptissimos vulgi, specie epularum, Sacrum in nemus vocatos, *Sacrum nemus.* ubi nocte ac lætitia incaluisse vider, a laude gloriaque gentis orsus, injurias & raptus, & cætera servitij mala enumerat. Neque enim societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi, quando legatum, gravi quidem comitatu, & superbo cum imperio, venire, tradi se præfectis centurionibusque, quos ubi spoliis & sanguine expleverint, mutari exquirique novos sinus & varia prędandi vocabula. Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, veluti supremum dividantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec alia in hybernis quam prædam & senes, attollerent tantum oculos, & inania legionum nomina ne pavescerent, esse sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratũ id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriæ rationem non reddi. Magno cum assensu auditus, barbaro ritu & patriis exsecrationibus universos adigit. Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem *Caninefates.* Insulæ colit, origine, lingua, virtute par Batavis, numero superantur. Mox occultis nunciis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra retulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Caninefatibus stolidæ audaciæ [a] Brenno, claritate natalium insigni. pater ejus multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ omine placuit, impositusque scuto more gentis & sustinentium humeris vibratus Dux deligitur, statimque accitis Frisiis (Trans-Rhenana gens est) duarum cohortium hyberna, proximo occupato Oceano, irrumpit. Nec præviderant impetum hostium *Magontiacum.* [a] Brinno. *Frisii.*

milites, nec si prævidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta castra, dein vagos & pacis more effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant, quæ a præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque & quod militum in superiore Insulę parte congregantur Duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur. quippe viribus cohortis abductis, Vitellius a proximis Nerviorum Germanorumque pagis segnem numerum armis oneraverat. Civilis dolo grassandum ratus, incusavit vltro præfectos, qui castella deseruissent: se cum cohorte, cui præerat, Caninefatem tumultum [a] oppressurum. Illi sua quisque hyberna repeterent. Subesse fraudem consilio, & dispersas cohortes facilius opprimi, nec [b] Brennonem Ducem ejus belli, sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Vbi insidiæ parum cessere, ad vim transgressus, Caninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit. directa ex diverso acies, haud procul a flumine Rheno, & obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc appulerant: nec diu certatum, Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit: perculsique milites improvisa proditione, a sociis hostibusque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia Pars remigum e Batavis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. Mox contra tendere, & puppes hostili ripæ objicere. ad postremum, gubernatores centurionesque, nisi eadem volentes, trucidant: donec vniversa quatuor & viginti navium classis transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præsens, in posterum usui: arma q; & naves, quibus indigebant, adepti. Magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Galliarum societatē Civilis arte doniſq; affectabat, captos cohortium præfectos suas

in

a compressurum.
b *Brinionem.*

in civitates remittendo, cohortibus abire an manere mallent data potestate: manentibus, honorata militia: digredientibus spolia Romanorum offerebātur. Simul, secretis sermonibus, admonebat malorum, quæ tot annis passi, miseram servi-
5 turem falso pacem vocarent. Batavos quamquam tributorū expertes, arma cōtra communes dominos cepisse. prima acie fusum victumque Romanum. quid si Galliæ jugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarū sanguine provincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarēt. Batavo equite protritos Heduos Avernosque, fuisse inter Virginij auxilia Belgas.
10 vereque reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria, Asiaq;, & suetus Regibus Oriens. multos adhuc
15 in Gallia vivere ante tributa genitos. Nuper certe, cęso Quintilio Varo, pulsam e Germania servitutem. nec Vitellium Principem, sed Cæsarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura etiam mutis animalibus datam. Virtutem proprium hominis bonum. Deos fortioribus adesse. Proin-
20 de arriperent vacui occupatos, integri fessos. dum alij Vespasianū, alij Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque. Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata proveniissent, validissimarum ditissimarumq; nationum regno imminebat. At Flaccus Ordeonius primos Civilis conatus
25 per dissimulationē aluit. Vbi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorū Insula Romanum nomē, trepidi nuncij adferebant, Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hybernis præerat) egredi adversus hostem jubet. Lupercus legionarios e præsentibus, Vbios e proximis, Trevi- *Vbij.*
30 rorum equites, haud longe agentes, raptim transmisit, addita Batavorum ala, quæ jam pridē corrupta fidem simulabat, ut, proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret. *Treviri.*

Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, & hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam, sororesque, simul omnium conjuges parvosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriæ, vel pudoris pudorem. Vt virorum cantu, fœminarum ululatu insonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens, statimque in nos versa. Sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Vbiorum Trevirorumq; auxilia, fœda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus Veterum nomen est. Præfectus alæ Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine æmulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares, vel, si retineretur, semina discordiæ præberet, in Frisios avehitur. Iisdem diebus Batavorum & Caninefatum cohortes, quum jussu Vitellij in vrbem pergerent, missus a Civile nuncius assequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, & pretium itineris, donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabāt, non ut assequerentur, sed causam seditioni. Et Flaccus multa concedendo nil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quæ sciebant negaturum. Spreto Flacco, Inferiorem Germaniam petivere, ut Civili jungerentur. Ordeonius, adhibitis tribunis centurionibusque consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret. Mox insita ignavia, & trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus, & subito delectu suppletæ legiones angebant, statuit continere intra castra militem. Dein pœnitentia, & arguentibus ipsis qui suaserant, tanquam secuturus, scripsit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum hæsurum. Et opprimi poterant, si hinc Ordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent.

Castra Vetera.

Bonna.

sissent, Flaccus omisit incœptum, aliisque literis Gallum monuit, ne [a] terreret abeuntes. Vnde suspicio, sponte legatorum excitari bellum. Cunctaque quæ acciderant aut metuebantur, non inertia militis neque hostium vi, sed fraude Ducum evenire. Batavi, quum castris Bonnensibus propinquarent, præmisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent: Nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus toties bellassent: longa atque irrita militia fessis, patriæ atque otij cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem legatum milites perpulerant, fortunam prælij experiretur. Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi [b] veteris militiæ memores, in cuneis congregantur, densi vndique, & frontem tergaque ac latera tuti. Sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatæ corporibus fossæ, nec cede tantum & vulneribus, sed ruina & suis plerique telis interiere. Victores, Colonia Agrippinensium vitata, nihil cætero in itinere hostile ausi, Bonnense prælium excusabant, tanquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsis consuluissent. Civilis adventu veteranarum cohortium, justi jam exercitus ductor, sed consilij ambiguus, & vim Romanam reputans cunctos, qui aderant, in verba Vespasiani adigit. Mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ, in Vetera castra concesserant, vt idem sacramentum acciperent. Redditur responsum, neque proditoris, neque hostium se consiliis uti. Esse sibi Vitellium Principem, pro quo fidem & arma usque ad supremum spiritum retenturos: proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret.

[a] terreret,

[b] veteres militię in cuneis, etc.,

Colonia Agrippinensium.

Quæ

Quæ ubi relata Civili, incenſus ira, vniverſam Batavorum gentem in arma rapit. Iunguntur Bructeri Tencterique, & excita nunciis Germania, ad prædam famamque. Adverſus has concurrentes belli minas, legati legionum, Mumius Lupercus, & Numiſius Rufus, vallum muroſque firmabant: ſubverſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipij extructa, ne hoſtibus uſui forent. Sed parum proviſum, [a] ni copiæ in caſtra conveherentur, rapi permiſere. Ita paucis diebus per licentiam abſumpta ſunt, quæ adverſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens, (utramque) Rheni ripam, quo truculentior viſu foret, Germanorum catervis complet, aſſultante per campos equite. Simul naves in adverſum amnem agebantur, hinc veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſylvis [b] jugiſque ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos eſt, [c] juſta belli civilis externique facie obſtupefecerant obſeſſos, & ſpem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus ſitū, vix quinque millia armatorum (Romanorum) tuebantur. Sed lixarū multitudo, turbata pace, illuc congregata & bello miniſtra aderat. Pars caſtrorum in collem leniter aſſurgens, pars æquo adibatur, quippe illis hybernis obſideri, premique Germanias Auguſtus crediderat, neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones noſtras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus, vis & arma ſatis placebāt. Batavi Tranſ-Rhenanique, quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, ſibi quæque gens cōſiſtunt, eminus laceſſentes. Poſt ubi pleraque telorum turribus pinniſq; mœnium irrita hærebant, & deſuper ſaxis vulnerabantur, clamore atque impetu invaſere vallum. Appoſitis pleriq; ſcalis, alij per teſtudinē ſuorum [d] ſcandebant. Iam quidem cum gladiis & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruuntur. Pręferoces initio, & rebus ſecundis nimij. Sed [e] tum prædę cupidine diverſa quoque

Bructeri. Tencteri.

[a] ut

[b] lucifque.

[c] juxta.

[d] ſcandebant iam quidem, cum gladiis, etc.

[e] tamen.

quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi: nec ulla ipsis solertia: perfugæ captivique docebant struere[a] machinas, in modum pontis mox subjectis rotis propellere: ut alij superstantes tanquam ex aggere præliarentur: pars intus occulti, muros subruerent. Sed excussa balistis saxa stravere informe opus, & crates vineasque parantibus, adactæ tormētis ardentes hastæ: ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta, & multum imbellis turbę: simul ex inopia proditio, & fluxa servitiorum fides, ac fortuita belli sperabantur. Flaccus interim, cognito castrorum obsidio, & missis per Gallias qui auxilia concirēt, lectos legionibus Dillio Vocula[b] duodecimæ legionis legato tradit, ut quam maximis per ripā itineribus celeraret. Ipse pavidus torpere, invisus militibus: neque enim ambigue fremebant, emissas a Magontiaco Batavorū cohortes, dissimulatos Civilis conatus, acciri in societatem Germanos. Non Primi Antonij, neque Muriani ope Vespasianum magis adolevisse: aperta odia armaque palam depelli; fraudem & dolum obscura, eoq; inevitabilia. Civilē stare contra, struere aciem: Ordeonitū e cubiculo & lectulo jubere quicquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus vnius senis valetudine regi. Quin potius, interfecto traditore, fortunam virtutemque suam malo omine exsoluerent. His inter se vocibus insistentes, flammavere insuper allatæ a Vespasiano literæ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit, vinctosque qui attulerant ad Vitellium misit. Sic mitigatis animis, Bonnam hyberna primæ legionis ventum. Infensior illic miles, culpam cladis in Ordeonium vertebat: ejus jussu directam adversus Batavos aciem, tanquam a Magontiaco legiones sequerentur: ejusdem proditione cæsos, nullis supervenientibus auxiliis. Ignota hęc cæteris exercitibus, neque Imperatori suo nunciari; quum accursu tot provin-

a materias.

b duoevicesimę;

provinciarum exſtingui repens perfidia potuerit. Ordeonius exemplaria omnium literarum, quibus per Gallias Britanniamque & Hiſpanias auxilia orabat, exercitui recitavit, inſtituitque peſſimum facinus, ut epiſtolæ aquiliferis legionum traderentur, a quîs ante militi quam Ducibus legebantur. Tum a ſeditioſis vnum vinci jubet, magis uſurpãdi juris cauſa, quam quia unius culpa foret. Motuſque Bonna exercitus, in Coloniam Agrippinenſem, affluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe juvabant. Mox valeſcentibus Germanis, pleræque civitates adverſus nos armatæ, ſpe libertatis: &, ſi exuiſſent ſervitium, cupidine imperitandi. Gliſcebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant, quin idem ille arguebant ultro conſcientiam Ducis, tanquam nuncius inter Civilem Flaccumque, falſo crimine, teſtis veri opprimeretur. Conſcendit tribunal Vocula, mira conſtantia, prehenſumque militem ac vociferantem duci ad ſupplicium juſſit. Et dum mali pavent, optimus quiſque juſſis paruere. Exin, cõſenſu Ducum Voculam poſcentibus, Flaccus ſummam rerum ei permiſit. Sed diſcordes animos multa[a] efferebant, inopia ſtipendij frumentique, & ſimul delectum tributaque Galliæ aſpernantes. Rhenus, incognita illi cœlo ſiccitate, vix navium patiens: arcti commeatus: diſpoſitæ per omnem ripam ſtationes, quæ Germanos vado arcerent: Eademque de cauſa minus frugum, & plures qui conſumerent. Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipſa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoq; & vetera Imperij munimenta deſererẽt: quod in pace fors ſeu natura, tunc fatum & ira Dei vocabatur. Ingreſſis Noveſium, tertiadecima legio conjungitur. Additus Voculę in partem curarum Herennius Gallus legatus: nec ſatis ad hoſtem pergere, loco, Gelduba nomen eſt, caſtra fecere. Ibi ſtruenda acie, muniendo vallandoque, & cæteris belli meditamentis militem fimabant. Vt præda ad

[a] efferabant.

Noveſium.

Gelduba.

virtutem

virtutem incenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui ſocietatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus. Pars cum Herennio Gallo permanſit. Forte navem, haud procul caſtris, frumento gravem, quum per vada hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebāt. Non tulit Gallus, miſitque ſubſidio cohortem. Auctus eſt Germanorum numerus, paulatimque aggregantibus ſe auxiliis, acie certatum. Germani, multa cum ſtrage noſtrorum, navem abripiunt. Victi (quod tum in morem verterat) non ſuam ignaviam, ſed perfidiam legati culpabant. Protractum e tentorio, ſciſſa veſte, verberato corpore, quo pretio, quibus conſciis prodidiſſet exercitum, dicere jubent. Redit in Odeonium invidia. Illum auctorem ſceleris, hunc miniſtrum vocant . donec exitium minitantibus exterritus, proditionem & ipſe Ordeonio objecit. Vinctuſque, adventu demum Voculæ, exſolvitur. Is poſtero die auctores ſeditionis morte affecit. Tanta illi exercitui diverſitas inerat licentiæ patientiæque. Haud dubie gregarius miles, Vitellio fidus: ſplendidiſsimus quiſq;, in Veſpaſianum proni. Inde ſcelerum ac ſuppliciorum vices, & mixtus obſequio furor : ut contineri non poſſent, qui puniri poterant. At Civilem [a] immenſis actibus univerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmata. Ille, ut cuique proximum, vaſtari Vbios, Treviroſque, & alia manu Moſam amnem tranſire jubet, ut Menapios & Morinos, & extrema Galliarum quateret. Actæ utrobique prædæ. Infeſtius in Vbiis, quos genus Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes vocarent. Cæſæ cohortes eorum in vico Marcoduro, incurioſius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievere Vbij, quo minus prædas e Germania peterent, primo impune, dein circumventi ſunt, per omne id bellū meliore uſi fide quam fortuna. Contuſis Vbiis, gravior & ſucceſſu rerum ferocior Civilis obſidium legionum vrgebat : intentis cuſtodiis, ne quis occultus nuncius

Gugerni.

[a] immenſum univerſa G.

Menapij.

Morini.

Agrippinenſes.

Marcodurum.

cius venientis auxilij penetraret. Machinas molemque ope-
a prælium rum Bavavis delegat, Transf-Rhenanos [a] periculum poscentes, ad scindendum vallum ire, detrusosque redintegrare certamen jubet, superante multitudine, & facili damno. nec finem quidem labori nox attulit. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per
b Barba- tenebras vana, Romani conspicuam [b] Batavorum aciem, &
rorum. si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabāt. Intellectum id Civili: & restincto igne, misceri cuncta tenebris & armis jubet. Tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. Vnde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, & ignavorum sæpe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira, Romanus miles periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa, non forte jaciebat. Vbi sonus molientium aut appositæ scalæ hostem in manibus dederant, propellere umbone, pilo sequi. multos in mœnia egressos pugionibus fodere. Sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam prætoriæ portæ (is æquissimus locus) propinquantem, promoti contra validi asseres, & incussę trabes perfregere, multa superstantiū pernicie. Pugnatumque in perculsos, subita & prospera eruptione. Simul a legionariis peritia & arte præstantibus plura struebantur. Præcipuum pavorem intulit suspensum ac nutans machinamentum, quo repente demisso, præter suorum ora, singuli pluresve hostium sublime rapti, verso pondere intra castra effundebātur. Civilis omissa oppugnandi spe, rursus per otium assidebat, nunciis, promissis, fidem legionum convellens. Hæc in Germania ante Cremonense prælium gesta, cujus eventum literæ Primi Antonij docuere, audito Cæcinæ edi-
c evictis. cto. Et præfectus cohortis [c] evictus, Alpinus Montanus,

fortunam

fortunam partium præsens fatebatur. Diversi hinc motus animorum. Auxilia e Gallia, quîs nec amor, nec odium in partes, militia sine affectu, hortantibus præfectis, statim a Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Ordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacramentum, non vultu neque animo satis affirmans: & quum cætera juriiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes, aut levi murmure, & plerumque silentio transmittebant. Lectæ deinde pro concione epistolæ Antonij ad Civilem suspiciones militum irritavere, tanquam ad socium partium scriptæ, & de Germanico exercitu hostiliter. Mox allatis Geldubam in castra nunciis, eadem dicta, factaque: & missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello, neve externa [a] armis falsis velaret. Si Vespasianum juvare aggressus foret, satisfactum cœptis. Ad ea Civilis primo callide: post, ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratumque in res novas, orsus a questu periculisq;, quæ per quinque & viginti annos in castris Romanis exhausisset: Egregium, inquit, pretium laboris cepi, necem fratris, & vincula mea, & sævissimas hujus exercitus voces, quibus ad supplicium petitus, jure gentium pœnas reposco. Vos autem Treviri, cæteræque servientium animæ, quod pretium effusi toties sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, & dominorum ingenia? En ego præfectus unius cohortis, & Caninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel sepia ferro fameque premimus: denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus. Sic accensum, sed [b] meliora referre jussum, dimittit. Ille ut irritus legationis rediit, cætera dissimulans, quæ mox erupere. Civilis parte copiarum retenta, veteranas cohortes, & quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque ejus mittit, Iulio Maximo,

Geldubæ.

[a] arma.

[b] molliora.

a viro, *Asciburgium.* & Claudio Victore ſororis ſuæ [a] filio, ducibus. Rapiunt in tranſitu hyberna alæ Aſciburgij ſita, adeoque improviſi caſtra [b] involvere, ut non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id ſolum, ut in tumultu, monuit, ſubſignano milite media firmare. auxilia paſſim circumfuſa ſunt. Eques prorupit, exceptuſque compoſitis hoſtium ordinibus, terga in ſuos vertit, cædeſque inde, non prælium. Et Nerviorum cohortes, metu ſeu perfidia, latera noſtrorum nudavere. Sic ad legiones perventum, quæ, amiſſis ſignis, intra vallum ſternebantur, quum repente novo auxilio, fortuna pugnæ mutatur. Vaſconum lectæ a Galba cohortes, ac tum accitæ, dum caſtris propinquant, audito præliantium clamore, intentos hoſtes a tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Noveſio, aliis a Magontiaco univerſas copias adveniſſe credentibus. Is error Romanis addit animos, & dum alienis viribus confidunt, ſuas recepere. Fortiſſimus quiſque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur, eques evaſit, cum ſignis captiviſque quos prima acie corripuerant. Cæſorum eo die in partibus noſtris major numerus & imbellior, e Germanis ipſa robora. Dux uterque pari culpa meritus adverſa, proſperis defuere. Nam Civilis, ſi majoribus copiis inſtruxiſſet aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequiſſet, caſtraque perrupta excidiſſet. Vocula nec adventum hoſtium exploravit, eoque ſimul egreſſus victuſque, dein victoriæ parum confiſus, tritis fruſtra diebus, caſtra in hoſtem movit. quem ſi ſtatim impellere, curſumque rerū ſequi maturaſſet, ſolvere obſidium legionum eo impetu potuiſſet. Tentaverat interim Civilis obſeſſorum animos, tanquam perditæ apud Romanos res, & ſuis victoria proveniſſet. Circunferebātur ſigna vexillaque, oſtentatu etiam captivi, ex quibus unus, egregium facinus auſus, clara voce geſta patefecit. Confoſſus illic a Germanis, unde major indici fides. Simul vaſtatione incendiiſque flagrantium villarum,

[a] filio, ducibus.
[b] involavere,

Noveſium.

venire

venire victorem exercitum intelligebatur. In conſpectu caſtrorum cõſtitui ſigna, foſſamque & vallum circumdari Vocula jubet, ut depoſitis impedimentis ſarciniſque expediti certarent. Hinc in Ducem clamor pugnam poſcentium, & minari aſſueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompoſiti feſſique prælium ſumpſere: nam Civilis aderat, non minus vitiis hoſtium quam virtute ſuorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, & ſeditioſiſſimus quiſque ignavus: quidam recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hoſtem, ſeque & proximos hortari. Et redintegrata acie, manus ad obſeſſos tendere, nec tempori deeſſent: Illi cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapſu equi proſtratus, [a] credita per utrumque exercitum fama, vulneratum aut interfectũ, immane quantum ſuis pavoris & hoſtibus alacritatis indidit. Sed Vocula, omiſſis fugientium tergis, vallum turreſque caſtrorum augebat, tanquam rurſus obſidium immineret, corrupta toties victoria, non falſo ſuſpectus bellum malle. Nihil æque exercitus noſtros, quam egeſtas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum in belli turba Noveſium miſsa, ut inde terreſtri itinere frumentum advcherent, nam flumine hoſtes potiebantur. Primum agmen ſecurum inceſſit, nondum ſatis firmo Civile. qui ubi rurſus miſsos Noveſium frumentatores, dataſque in præſidium cohortes, velut multa pace ingredi accepit, rarum apud ſigna militum, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compoſitus invadit, præmiſſis qui pontes & viarum anguſta inſiderent. Pugnatum longo agmine, & incerto Marte, donec prælium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus ut fuerant caſtris, quæ relictorum illic militum præſidio tenebantur. Non erat dubium quantum in regreſſu diſcriminis adeundum foret, frumentatoribus onuſtis pauculiſque. Addit exercitui ſuo Vocula mille delectos e quinta & quartadecima legionibus apud Vetera

[a] dedita *vel* didita.

obſeſsis, indomitum militem & Ducibus infenſum. Plures quam juſſum erat profecti, palam in agmine fremebant, non ſe ultra famem, inſidiaſque legatorum toleraturos. At qui remanſerant, deſertos ſe abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc ſeditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in caſtra abnuentibus. Interim Civilis Vetera circumſedit. Vocula Geldubam, ac inde Noveſium conceſſit. Civilis capit Geldubam. Mox haud procul Noveſio equeſtri prælio proſpere certavit. Sed miles, ſecundis adverſiſque, perinde in exitium Ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctę legiones donativum expoſcunt, comperto pecuniam a Vitellio miſſam. Nec diu cunctatus Ordeonius nomine Veſpaſiani dedit. Idque prę-cipuum fuit ſeditionis alimentum. Effuſi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Ordeonium iram renovant: nec ullo legatorum tribunorumve obſiſtere auſo (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, niſi ſervili habitu per tenebras ignoratus evaſiſſet. Vbi ſedato impetu metus redijt, centuriones cum epiſtolis ad civitates Galliarum miſere, auxilia ac ſtipendia oraturos. Ipſi, ut eſt vulgus ſine rectore præceps, pavidum, ſocors, adventante Civile, raptis temere armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam vertuntur. Res adverſæ diſcordiam peperere, iis, qui e ſuperiore exercitu erant, cauſam ſuam diſſociantibus. Vitellij tamen imagines, in caſtris, & per proximas Belgarum civitates, repoſitæ, quum jam Vitellius corruiſſet. Deinde mutati in pœnitentiam, primani, quartanique, & [a] duodeviceſimani, Voculam ſequuntur: apud quem reſumpto Veſpaſiani ſacramento, ad liberandum Magontiaci obſidium ducebantur. Diſceſſerant obſeſſores, mixtus ex Cattis, Vſipiis, Mattiacis exercitus, ſatietate prædæ, nec incruentati. [b] Ita diſperſos & neſcios miles noſter invaſerat. Quin

a duodeviceſimani. *Catti. Vſipij. Mattiaci.* b In via.

& loricam vallumq; per fines suos Treviri struxere, magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant. donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles fœderāt.

Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellij duplicaverat bellum. Nam Civilis, omissa dissimulatione, in populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones externum servitium quam Imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati: vulgato rumore, a Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hyberna circumsideri. Paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æque, quam incendium Capitolij, ut finem Imperij adesse crederēt, impulerat. Captam olim a Gallis Vrbem, sed, integra Iovis sede, mansisse Imperium. Fatali nunc igne, signum cælestis iræ datum, & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druydæ canebant. Incesseratque fama, primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse ne deessent libertati, si populum Romanum continua bellorum civilium series & interna mala fregissent. Ante Flacci Ordeonij cædem nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur. Interfecto Ordeonio, commeavere nuncij inter Civilem Classicumque præfectum alæ Trevirorum. Classicus nobilitate opibusque [a] anteibat alios. Regium illi genus, & pace belloque clara origo. [b] Is se e maioribus suis hostis populi Romani quam socius jactabat. Miscuere se Iulius Tutor, & Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni a Vitellio præfectus: Sabinus, superinsitam vanitatē, falsæ stirpis gloria incendebatur. Proaviam suam Divo Iulio per Gallias bellanti corpore atq; adulterio placuisse. Hi, secretis sermonibus, animos cæterorū scrutari. ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in Colonia Agrippinensi, in domum privatam convenirunt. Nam publice civitas talibus incœptis abhorrebat.

Tacitus eodem lib. 4. Historiarū: modico post intervallo.

Druydæ.

a ante alias.

b ipse.

Attamen

Vbij. Tungri. Treviri. Lingones.

Attamen interfuere quidam Vbiorum Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treviros ac Lingonas. Nec tulere moras consultandi. Certatim proclamāt, furere discordiis populum Romanum, cæsas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime Vrbem, omnes exercitus suis quemque bellis destineri, si alpes præsidiis firmentur: coalita libertate despecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint. Hæc dicta pariter probataque, de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. Plerique interficiendos censebant turbidos, infidos, sanguine Ducum pollutos. Vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur. Alliciendos potius in societatem, legatis tantum legionum interfectis, cæterum vulgus conscientia scelerum & spe impunitatis facile accessurū. Ea primi consilij forma, missique per Gallias concitores belli, simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculæ nunciarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites & occultos hostes, optimum e præsentibus ratus, mutua dissimulatione & ijsdem quibus petebatur artibus grassari, in Coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum & extra conventum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit, pollicitusque, si præsidium daretur, iturum in Batavos, & potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum: Accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Bethasiorumque in arma traxit: et furtim magis quam bello Caninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude illectus, ad hostem contendit. Non procul Veteribus aberat, quum Classicus & Tutor per speciem explorandi pręgressi, cum duobus Germanorum pacta firmavere. Tumque discreti a legionibus, propio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula: Non adeo turbatam civilibus armis rem Roma-

Nervij. Bethasii. Caninefates. Marsaci.

Romanam,ut Treviris etiam Lingonibusque deſpectuie ſit. Supereſſe fidas provincias, victores exercitus, fortunam Imperij, & ultores Deos. Sic olim Sacrovirum & Heduos, nuper Vindicem Galliaſq; ſingulis prœliis concidiſſe. Eadem rurſus numina, eadem fata ruptores fœderum exſpectarent. Melius Divo Iulio Divoque Auguſto notos eorum animos. Galbã & infracta tributa, hoſtiles ſpiritus induiſſe. Nunc hoſtes, quia molle ſervitium; quum ſpoliati exutique fuerint, amicos fore. Hæc ferociter locutus, poſtquam perſtare in perfidia Claſſicum Tutoremque videt, verſo itinere, Noveſium concedit. Galli duûm millium ſpatio diſtantibus campis conſedere. Illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba juraret, pignuſque tanti ſceleris nece ac vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam ſuadebant, audendum ratus, vocata concione, in hunc modũ diſſeruit: Nunquã apud vos verba feci, aut pro vobis ſolicitior, aut pro me ſecurior. Nam mihi exitium parari libens audio. Mortemque, in tot malis hoſtium, ut finem miſeriarum, exſpecto. Veſtri me pudet miſeretque, adverſus quos non prælium & acies parantur: id enim fas armorum & jus hoſtium: bellum cum populo Romano veſtris ſe manibus geſturum Claſſicus ſperat, imperiumque & ſacramentum Galliarum oſtentat. Adeo nos ſi fortuna in præſens virtuſque deſeruit, etiam vetera exempla deficiunt? Quoties Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur? ſocij ſæpe noſtri exſcindi urbes ſuas, ſeque cum conjugibus ac liberis cremari pertulerunt. Neque aliud pretium exitus, quam fides famaque. Tolerant [a] tunc maxime inopiam obſidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promiſſis demoventur. Nobis, ſuper arma & viros, & egregia caſtrorum munimenta, frumentum, & commeatus, quamvis longo bello, pares. Pecunia nuper etiam donativo [b] ſufficit: quod ſive a Veſpa-

[a] cum,

[b] ſuffecit,

siano sive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab Imperatore certe Romano accepistis. Toi bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso toties hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem. Sed est vallum, murique, & trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia, exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. sunt alij legati, tribuni, [a] centurioque aut miles. ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus Civilem & Classicum Italiam invasuros. An si ad mœnia Vrbis Germani Galliquę duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitij imagine. Tutori Treviro agentur excubię? Signum belli Batavus dabit? & Germanorum catervas supplebitis? quis denique sceleris exitus? quum Romanæ legiones contra direxerunt, transfugæ e transfugis, & proditores e proditoribus, inter recens & vetus sacramentum, invisi Deis errabitis? Te Iupiter optime maxime, quem octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te Quirine Romanæ parens Vrbis, precor veneror-que, ut si vobis non fuit cordi, me duce hæc castra incorrupta & intemerata servari, at certe pollui fœdarique a Tutore & Classico ne sinatis militibus Romanis aut innocentiã detis, aut maturam & sine noxa pœnitentiam. Varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam, & de supremis agitantem, liberti servique prohibuere fœdissimam mortem sponte prævenire. Et Classicus, misso Æmilio Longino defertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. Herennium & Numisium legatos vinciri satis visum. Dein, sumptis Romani Imperij insignibus, in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. Iuravere qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculæ altis ordinibus, cæteros, ut quisque flagitium navaverat, præmiis attollit. Divisæ inde inter Tutorem & Classicum curæ. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantum-

[a] centurio denique aut miles.

que

que militum apud ſuperiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occiſis Magontiaci tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detrectaverant. Claſsicus corruptiſsimum quemque e deditis pergere ad obſeſſos jubet, veniam oſtentantes, ſi præſentia ſequerentur, aliter nihil ſpei. Famem ferrumque & extrema paſſuros. Adjecere qui miſsi erant exemplum ſuum. Obſeſſos hinc fides, inde egeſtas, inter decus ac flagitium, diſtrahebant. Cunctantibus ſolita inſolitaque alimenta deerant, abſumptis jumentis equiſque & cæteris animalibus, quæ profana fœdaque in uſum neceſsitas vertit. Virgulta poſtremo & ſtirpes & internatas ſaxis herbas vellentes, miſeriarum patientiæque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, miſsis ad Civilem legatis, vitam orantes. Neque ante preces admiſſæ, quam in verba Galliarum jurarent. Tum pactus prædam caſtrorum, dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarent, ac qui ipſos leves abeuntes proſequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen aggrediuntur. Pugnaciſsimus quiſque in veſtigio, multi palantes occubuere. Cæteri retro in caſtra profugiunt, querente ſane Civile, & increpante Germanos, tanquam fidem per ſcelus abrumperent. Simulata ea fuerint, an retinere ſævientes nequiverit, parum affirmatur. Direptis caſtris, faces injiciunt: cunctoſque, qui prælio ſuperfuerant, incendium hauſit. Civilis, barbaro voto, poſt cœpta adverſus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, depoſuit. Et ferebatur, parvulo filio quoſdam captivorum ſagittis jaculiſque puerilibus figendos obtuliſſe. Cæterum neque ſe, neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fiſus Germanorum opibus, &, ſi certandum adverſus Gallos de poſſeſſione rerum foret, inclytus fama, & potior. Mumius Lupercus, legatus legionis, inter dona miſſus Velledæ. Ea virgo, nationis Bructeræ, late imperitabat, *Velleda, virgo fatidica.*

vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas. Tuncq; Velledæ auctoritas adolevit. Nam proſperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti, reſervantur, pignus ſocietatis. Cohortium, alarum, legionum hyberna ſubverſa crematque, iis tantũ relictis quæ Magontiaci ac Vindoniſſæ ſita ſunt. Legio decimatertia cum auxiliis ſimul deditis a Noveſio in coloniam Trevirorum tranſgredi jubetur, præfinita die intra quam caſtris excederet, medium omne tempus per varias curas egere. Ignaviſſimus quiſque, caſorum apud Vetera exemplo, paventes, melior pars rubore & infamia, quale illud iter, quis dux viæ, & omnia in arbitrio eorum quos vitæ neciſque dominos feciſſent. Alij, nulla dedecoris cura, pecuniam aut cariſſima ſibimet ipſi circumdare. Quidam expedire arma, teliſque tamquam in aciem accingi. Hæc meditantibus, advenit proficiſcendi hora, expectatione triſtior. Quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus & dies. Revulſæ Imperatorum imagines, innexa ſigna, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, ſilens agmen, & velut longæ exequiæ. Dux Claudius Sanctus, effoſſo oculo, dirus ore, ingenio [a] dirior. Duplicatur flagitium, poſtquam, deſertis Bonnenſibus caſtris, altera ſe legio miſcuerat. Et vulgata captarum legionum fama, cuncti quæ paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectiſq;, & undique effuſi, inſolito ſpectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium inſultantis vulgi, ſpretiſque Sancti promiſſis, aut minis, Magontiacum abeunt: ac forte obvio interfectore Voculæ Longino, conjectis in eum telis, initium exſolvendæ in poſterum culpæ fecere. Legiones, nihil mutato itinere, ante mœnia Trevirorum conſidunt. Civilis & Claſſicus rebus ſecundis ſublati, an Coloniam Agrippinenſem diripien-

Vindoniſſa.

[a] debilior.

diripiendam exercitibus ſuis permitterent, dubitavere: ſævitia [a] ingenita & cupidine prædæ, ad excidium civitatis trahebantur. obſtabat ratio belli, & novum Imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Civilem etiam beneficij memoria flexit, quod filium eius, primo rerum motu in Colonia Agrippinenſi deprehenſum, honorate cuſtodierant. Sed Tranſ-Rhenanis gentibus inviſa civitas, opulentia auctuq; . Neque alium finem belli rebantur, quam ſi promiſcua ea ſedes omnibus Germanis foret: aut diſiecta, Vbios quoque diſperſiſſet. Igitur Tencteri, Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud conſilium Agrippinenſium edi jubent. quæ ferociſſimus e legatis in hunc modum protulit: Rediſſe vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, ſed præcipuo Deorum Marti, grates agimus. Vobiſque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras & cælum quodammodo ipſum clauſerant Romani, ut colloquia congreſſuſque noſtros arcerent: vel, quod contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac prope nudi ſub cuſtode & prælio coiremus. Sed ut amicitia ſocietaſque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus a vobis, muros Coloniæ, munimenta ſervitij, detrahatis. etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliviſcuntur. Romanos omnes in finibus veſtris trucidetis. haud facile libertas & domini miſcentur. Bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quidquam, aut ſegregare cauſam ſuam poſſit. Liceat nobis vobiſque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris. quomodo lucem [b] diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Inſtituta cultumque patrium reſumite, abruptis [c] vectigalibus, quibus Romani plus adverſus ſubjectos quã armis valent. ſincerus & integer & ſervitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis. Agrippinenſes, ſumpto conſultandi ſpatio, quando neque ſubire conditiones metu futuri, neque

Tencteri.

a ingenij.

b noctéque.

c voluptatibus.

que palam aſpernari conditio præſens ſinebat, in hunc modum reſpondent: Quæ prima libertatis facultas data eſt, avidius quam cautius ſumpſimus, ut vobis cæteriſque Germanis conſanguineis noſtris jungeremur. Muros civitatis, congregantibus ſe cum maxime Romanorũ exercitibus, augere nobis quam diruere tutius eſt. Si qui ex Italia aut provinciis alienigenæ in finibus noſtris fuerant, eos bellum abſumpſit, vel in ſuas quiſque ſedes refugere. [a] Deductis olim & nobiſcum per connubium ſociatis, quique mox provenere, hæc patria eſt. Nec vos adeo inimicos exſtimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos noſtros velitis. Vectigal & onera commerciorum reſolvimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes, donec nova & recentia jura, [b] in vetuſtatem & conſuetudinem vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Velledam, apud quos pacta ſancientur. Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem & Velledam miſſi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinenſium perpetravere. Sed coram adire alloquiq; Velledam negatum. Arcebantur aſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Ipſa edita in turre; delectus e propinquis conſulta reſponſaque, ut internuncius numinis, portabat. Civilis ſocietate Agrippinenſium auctus, proximas civitates affectare, aut adverſantibus bellum inferre ſtatuit. Occupatiſque Sunicis, & jnventute eorum per cohortes compoſita, quo minus ultra pergeret, Bethaſiorum, Tungrorumque, & Nerviorum tumultuaria manu Labeo reſtitit, fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis anteceperat. Pugnabaturque in anguſtiis ambigue, donec Germani tranantes, terga Labeonis invaſere. Simul Civilis auſus, an ex compoſito intulit ſe agmini Tungrorum, & clara voce, Non adeo, inquit, bellum ſumpſimus, ut Batavi & Treviri gentibus imperent. procul hæc a nobis arrogantia. accipite ſocietatem, tranſgredior ad vos, ſeu me Ducem, ſeu militem mavultis. Movebatur vulgus, condebantque gladios,

a Eductis.

b in vetuſtatẽ conſuetudine vertantur

Sunici.

dios, quum Campanus ac Iuvenalis, ex primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumveniretur, profugit. Civilis Ecthasios quoque ac Nervios, in fidem acceptos, copiis suis adjunxit: ingens rerum, perculsis civitatum animis, vel sponte inclinantibus.

Civilis avia Belgarum circumibat dum Claudium Labeonem capere, aut exturbare nititur. Classicus, segne plerumque otium trahens, velut parto Imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit superiorē Germaniæ ripam & ardua alpium præsidiis [a] claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupere. Accessit ala singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa Præerat Iulius Briganticus, sorore Civilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensusque. Tutor Trevirorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano equite atque pedite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis, qui primo cohortem præmissam a Sextilio Felice interficiunt. Mox, ubi Duces exercitusque Romani propinquabant, honesto transfugio rediere, secutis Tribocis, Vangonibusque, & Caracatibus. Tutor, Treviris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat, sed incursu cohortium quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fususque. Ea clade perculsi Treviri, & plebes, omissis armis, per agros palatur. Quidam Principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quæ societatem Romanam non exuerant, profugerunt. Legiones a Novesio Bonnaque in Treviros, ut supra memoravimus, traductæ, seipsas in verba Vespasiani adigunt. Hæc Valentino absente gesta, qui ubi adventabat, furens, cunctaque rursus in turbas & exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatē, abscessere.

Tacitus paulo post eodem lib. 4 Historiarū.

a capere.

Vangiones. Caracates. Triboci.

Navæ flumen.

Medicmatrici.

Valenti-

Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Hic belli status erat, quum Petilius Cerialis Magontiacum venit. ejus adventu erectę spes, Ipse pugnæ avidus, & contemnendis quam cavendis hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat: ubi primum congredi licuisset, nullam prælio moram facturus. Delectus per Galliam habitos in civitates remittit, ac nunciare jubet sufficere Imperio legiones. socij ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanæ manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium. nam recepta juventute, facilius tributa toleravere, proniores ad officia quod spernebantur. At Civilis & Classicus, ubi pulsum Tutorem, cæsos Treviros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuncijs Valentinum monuere, ne summæ rei periculū faceret. Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci, quantumque secum transvexerat, tertijs castris Rigodulum venit, quem locum magna Trevirorum manu Valentinus insederat, montibus & Mosella amne septum, & addiderat fossas, obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanū Ducem, quo minus peditem perrumpere juberet, equitum aciem, in collem erigeret, spreto hoste, quem temere collectum, haud ita loco juvari, ut non plus suis in virtute foret. Paulum moræ in ascensu, dum missilia hostium prævehuntur. Vt ventum ad manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum, æquioribus jugis circumvecta, nobilissimos Belgarum, in quîs Ducem Valentinum, cepit. Cerialis postero die coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis: Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam, horum scelere clausas cæsasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse,

Rigodulum.

fuiſſe, quam e gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram ſedem, ſpoliis exercituum & Ducum cædibus ovantem. Redigeret prædam in fiſcum. Ipſis ſufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot caſtorum excidia penſarentur.[a] Cerialis a metu infamię, ſi licentia ſævitiaque imbuere militem crederetur, preſſit iras, & paruere, poſito ciuili bello, ad externa modeſtiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miſerabilis aſpectus. Stabant conſcientia flagitia mœſtæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio, neque ſolantibus hortantibusve reſponſa dabant, abditi per tentoria, & lucē ipſam vitantes, nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obſtupefecerat, attonitis etiam victoribus, qui voces preceſq; adhibere non auſi, lachrymis ac ſilentio veniam poſcebant. donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans, quæ militum Ducumve diſcordia, vel fraude hoſtium eveniſſent: Primum illum ſtipendiorum & ſacramenti diem haberent: Priorum facinorum, neque Imperatorem neque ſe meminiſſe. Tunc recepti in eadem caſtra, & edictum per manipulos, ne quis in certamine jurgiove ſeditionē aut cladem commilitoni objectaret. Mox Treviros ac Lingonas, ad concionem vocatos, ita alloquitur: Neque ego unquam facundiam exercui, & populi Romani virtutem armis affirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non ſua natura, ſed vocibus ſeditioſorum æſtimantur, ſtatui pauca deſſerere, quæ profligato bello utilius ſit vobis audiviſſe, quam nobis dixiſſe. Terram veſtrā cæterorumque Gallorum ingreſſi ſunt Duces Imperatoreſque Romani, nulla cupidine, ſed majoribus veſtris invocantibus, quos diſcordiæ uſque ad exitium fatigabant: & acciti auxilio Germani, ſociis pariter atque hoſtibus ſervitutem impoſuerant. Quot præliis adverſus Cimbros Teutonoſque, quantis exer-

[a] Cerialis metu.

cituum noſtrorū laboribus, quove eventu Germanica bella tractaverimus, ſatis [a] clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus, ut Italiam tueremur, ſed ne quis alius Arioviſtus regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civili Bataviſque & Tranſ-Rhenanis gentibus creditis, quam maioribus eorum patres avique veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ ſedis amor, ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum, voſque ipſos poſſiderent. Cæterum libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſervitium, & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus cōcederetis. Nos, quamquam toties laceſſiti, iure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cætera in communi ſita ſunt. Ipſi has aliaſque provincias regitis. Nihil ſeparatum clauſumve, & laudatorum Principum uſus ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævi proximis ingruunt. Quomodo ſterilitatem, ac nimios imbres, & cætera naturæ mala, ira luxum vel avaritiam dominantium tolerare. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur, niſi forte, Tutore & Claſſico regnantibus, moderatius Imperium ſperatis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis (quod Dij prohibeant) Romanis, quid aliud quam bella omnium inter ſe gentium exiſtent? Octingentorum annorum fortuna diſciplinaque compages hæc coaluit, quæ cōvelli ſine exitio convellentium non poteſt. Sed vobis maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum cauſæ. Proinde pacem & vrbem, quam victi victoreſque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moveant vos vtriuſq; fortunæ documenta, ne

[a] c'aret.

ta, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malitis. Tali oratione graviora metuentes cōposuit, erexitque. Tenebantur victore exercitu Treviri, quum Civilis & Classicus misere epistolas ad Cerialem, quarum hęc sententia fuit. Vespasianum, quamquam [a] nuncios occultarent, excessisse vita, Vrbem atque Italiam interno bello consumptam, Mutiani & Domitiani vana & sine viribus nomina. Si Cerialis Imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatum suarum contentos: si prælium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Civili & Classico nihil: eum qui attulerat ipsas epistolas ad Domitianum misit. Hostes divisis copiis, advenere vndique. Plerique culpabant Cerialem, passum jungi quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quîs temere antea intutis consederat. Apud Germanos diversis sententijs certabatur. Civilis opperiendas Trans-Rhenanorū gentes, quarum terrore fractæ populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quam prædam victoribus? & tamen quod roboris sit, Belgas secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanā affirmabat, coeuntibus vndique exercitibus: Transvectam a Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia, nec subitum militē, sed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, majora apud Romanos, & neminem adeo in arma promptum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. Quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali, nisi ex reliquijs Germani exercitus legiones, fœderibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentū illis Ducique temeritatis. Ausuros rursus, venturosque in manus, [b] non imperitia militum, sed adolescentuli, verba & conciones plus, quā ferrum & arma meditantis,

[a] nuncij.

[b] nō imperiti adolescentuli vetsed ba.

ſed Civilis & Claſſici : quos ubi aſpexerint, redituram in animos formidinem, fugam, famemque, ac toties captis precariam vitam. neque Treviros aut Lingonas benevolētia contineri : reſumpturos arma, ubi metus abſceſſerit. Diremit conſiliorum diverſitatem, approbata Tutoris ſententia, Claſſicus, ſtatimque exſequuntur. Media acies Vbiis Lingonibuſque data, dextro cohortes Batavorum, ſiniſtro Bructeri Tencterique, pars montibus, alij viam inter Moſellamque flumen tam improviſi adſiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in caſtris egerat) pugnari ſimul vincique ſuos audierit, increpans pavorem nunciantium, donec univerſa clades in oculis fuit. Perrupta legionum caſtra, fuſi equites, medius Moſellæ pons, qui ulteriora coloniæ annectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortiſſimi cujuſque accurſu recuperatum pontem, [a] electa manu firmavit. Mox in caſtra reverſus, palantes captarum apud Noveſium Bonnamque legionum manipulos, & rarum apud ſigna militem, ac prope circumventas aquilas videt. Incenſus ira : Non Flaccum, inquit, non Voculam deſeritis. Nulla hic proditio, neque aliud excuſandum habeo, quam quod vos Gallici fœderis oblitos ([b] prædixerim,) memoriam Romani ſacramenti tenere credidi. Annumerabor Numiſiis & Herenniis, ut omnes legati veſtri aut militum manibus aut hoſtium ceciderint. Ite, nunciate Veſpaſiano, vel, quod propius eſt, Civili & Claſſico, relictum a vobis in acie Ducem, venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos inpunitos, patiantur. Vera erant, & a tribunis præfectiſque eadem ingerebantur. Conſiſtunt per cohortes & manipulos, neque enim poterat pateſcere acies effuſo hoſte, & impedientibus tentoriis ſarciniſque, quum intra vallum pugnaretur. Tutor, Claſſicus, Civilis, ſuis quiſque locis, pugnam ciebant. Gallos pro

[a] lecta.

[b] proximam.

libertate,

libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam instigantes. Et cuncta pro hostibus erant; donec legio vicesima prima, patentiore quam cæteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes, mox impulit. Nec sine ope divina, mutatis repente animis, terga victores vertêre. Ipsi territos te cohortium aspectu ferebant, quæ primo impetu dissectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilij fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso spolia consectandi. Cerialis, ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit: secutusque fortunam, castra hostium eodem die capit exscinditque. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses, offerebantque uxorem ac fororem Civilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Vnde metus & justæ preces invocantium, antequam hostes, reparatis viribus, ad spem vel ad ultionem accingerentur. Nam & Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum [a] integra manu, & e Caucis Frisiisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium, agebat. Sed tristis nuncius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium, qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne injecto, cremavere. Simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem & alius metus, ne quartadecima legio, adiuncta Britannica classe, afflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit. Eæque civitates in [b] ditionem acceptæ. Classem ultro Caninefates aggressi sunt, majorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, ijdem Caninefates fudêre. Classicus quoque adversus equites Novesium a Ceriale præmissos secundum prælium fecit, quæ modica, sed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant.

[a] integra manente, e Caucis. *Tolbiacum.*

[b] deditionem.

Tacitus Hiſtoriarũ. lib. 4.

At Civilis, poſt malam in Treviris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera conſedit, tutus loco, & ut memoria proſperarum illic rerum augeſcerent Barbarorum animi. Secutus eſt eodem Cerialis, duplicatis copiis, adventu ſecundæ, & decimæſextæ & quartædecimæ legionum. Cohorteſque & alæ jam pridem accitæ poſt victoriam properaverant. Neuter Ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, ſuopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis, adjacentibus ſuperfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis ſubdola, & nobis adverſa. Quippe miles Romanus armis gravis, & nandi pavidus: Germanos fluminibus ſuetos, levitas armorum, & proceritas corporum attollit. Igitur laceſſentibus Batavis, ferociſſimo cuique noſtrorum cœptum certamen, deinde orta trepidatio, quum prælatis paludibus arma equique haurirentur. Germani notis vadis perſultabant, omiſſa plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes, neque ut in pedeſtri acie cominus certabatur, ſed tanquam navali pugna vagi inter undas, aut ſi quid ſtabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quam pro tumultu cædes: quia non auſi egredi paludem Germani, in caſtra rediere. Ejus prælij eventus utrumque Ducem, diverſis animi motibus, ad maturandum ſummæ rei diſcrimen erexit. Civilis, inſtare fortunæ, Cerialis, abolere ignominiam, Germani, proſperis feroces: Romanos, pudor excitaverat: nox apud Barbaros, cantu aut clamore, noſtris per iram & minas acta. Poſtera luce Cerialis equite & auxiliariis cohortibus frontem explet: in ſecunda acie legiones locatæ: Dux ſibi delectos retinuerat ad inproviſa. Civilis haud porrecto agmine, ſed cuneis adſtitit. Batavi Cugernique in dextro, læva ac propiora fluminis Tranſ-Rhenani tenuere. Exhortatio Ducum non

more

more concionis apud vniverſos, ſed ut quoſque eorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recenteſque victorias, ut perfidum, ignavum, victum hoſtem, in æternum abſcinderent, ultione magis quam prælio opus eſſe. Pauciores nuper cum pluribus certaſſe: attamen fuſos Germanos, quod roboris fuerit. Supereſſe qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant. Proprios inde ſtimulos legionibus admovebat, domitores Britanniæ quartadecimanos appellans. Principē Galbam ſextæ legionis autoritate factum. Illa primum acie ſecundanos nova ſigna novamque aquilam dicaturos. Hinc prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, ut ſuam ripam, ſua caſtra, ſanguine hoſtium recuperarent. Alacrior omnium clamor, quîs vel e longa pace, prælij cupido, vel feſſis bello, pacis amor, præmiaque & quies in poſterum ſperabantur. Nec Civilis[a] ſilentem ſtruxit aciem, locum pugnæ teſtem virtutis ciens, ſtare Germanos Batavoſque ſuper veſtigia gloriæ, cineres oſſaque legionum calcantes. Quocunque oculos Romanus intenderet, captivitatem, clademque, & dira omnia obverſari. Ne terrerentur vario Trevirici prælij eventu, ſuam illic[b] victoriā Germanis obſtitiſſe, dum omiſſis telis præda manus impediunt. Sed cuncta mox proſpera & hoſti contraria eveniſſe. Quæ provideri aſtu Ducis oportuerit, providiſſe: campos madentes & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias. Rhenum & Germaniæ Deos in conſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam, conjugum, parentum patriæ memores. Illum diem aut glorioſiſſimum inter majores, aut ignominioſiſſimum apud poſteros fore. Vbi ſono armorum tripudijſque (ita illis mos) approbata ſunt dicta, ſaxis glandibuſque & cæteris miſſilibus prælium incipiunt: neque noſtro milite paludem ingrediente, & Germanis, ut elicerēt, laceſſentibus. Abſumptis quę jaciuntur, & ardeſcente pugna, procurſum ab hoſte infeſtius immēſis corporibus, &

[a] ſilens, *aut* ſilenter.

[b] matetiā.

& prælongis haſtis, [a] fluitantemque militem fodiebant eminus: ſimul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranſnatavit, turbata ibi res, & pellebatur ſociarum cohortium acies, quum legiones pugnam excipiunt, ſuppreſſaque hoſtium ferocia, prælium exæquatur. Inter quæ, perfuga Batavus adiit Cerialem terga hoſtium promittens, ſi extremo paludis eques [b] immitteretur: ſolidum illâ, & Cugernos, quibus cuſtodia obveniſſet, parum intentos. Duæ alæ cum perfuga miſſæ incauto hoſti circumfunduntur: quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere: pulſique Germani, Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet. Ne eques quidem inſtitit, repente fuſis imbribus, & propinqua nocte. Poſtera die, decima quarta legio in ſuperiorem provinciam Gallo Annio miſſa. Cerialis exercitum decima ex Hiſpania legio ſupplevit. Civili Caucorum auxilia venere: non tamen auſus oppidum [c] Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, cæteris injecto igni, in Inſulam conceſſit, gnarus deeſſe naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter tranſmiſſurum: quin & diruit molem a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, diſiectis quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus, Inſulam inter Germanoſque, continentium terrarum ſpeciem fecerat. Tranſiere Rhenum Tutor quoque & Claſsicus, & centum tredecim Trevirorum ſenatores, in quibus fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio miſſum in Gallias ſuperius memoravimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus. Simul cæteri miſeratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli ſuperfuit, ut præſidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis quadripartita Civilis invaſerit. Decimam legionem Arenaci, ſecundã Batavoduri, & Grinnes Vadamque cohortium alarumque caſtra; ita diviſis copiis, ut ipſe

a fluitantem labitemque militem.

b mitteretur.

c *Forte*, Batavoduram.

Arenacũ.
Batavodurum.
Grinnes.
Vada.

ipſe & Verax ſorore ejus genitus, Claſſicuſque ac Tutor, ſuam quiſque manum traherent. nec omnia patrandi fiducia, ſed multa auſis, aliqua in parte fortunam adfore. Simul Cerialem, neque ſatis cautum, & pluribus nunciis huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi. Quibus obvenerant caſtra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egreſſum militem & cædendis materijs operatum turbavere, occiſo præfecto caſtrorum, & quinque primoribus cēturionum, pauciſque militibus. Cæteri ſe munimentis defendêre. Et interim Germanorum manus, Batavoduri, irrumpere inchoatum pontem nitebatur. Ambiguum prælium nox diremit. Plus diſcriminis apud Grinnos Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Claſſicus, oppugnabant. nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoque: in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis & Civili avunculo infenſum diximus. Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu ſubvenit, verſa fortuna. Præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus, petituſque telis, relicto equo tranſnatavit. Idem Germanis effugium. Tutorem Claſſicumque appulſæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana claſsis pugnæ adfuit, ut juſſum erat. Sed obſtitit formido, & remiges per alia militiæ munia diſperſi. Sane Cerialis parum temporis ad exſequenda imperia dabat: ſubitus conſilijs, ſed eventu clarus. Aderat fortuna etiam, ubi artes defuiſſent, hinc ipſi exercituique minor cura diſciplinæ. Et paucos poſt dies, quamquam periculum captivitatis evaſiſſet, infamiam non vitavit. Profectus Noveſium Bonnamque ad viſenda caſtra, quæ hyematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, diſiecto agmine, incurioſis vigiliis. Animadverſum id Germanis, & inſidias compoſuere. Electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima cædes aſtu adjuta, inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet [a] coriis coopertos trucidabant. Aliud agmen

[a] tentoriis.

turbare classem, injicere vincula, trahere puppes. Vtque ad fallendum silentio, ita cœpta cæde, & quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias pauci ornati militariter, plerique circum brachia torta veste & strictis mucronibus. Dux semisomnis ac prope intectus, errore hostiū servatur. Namque prætoriam navem vexillo insignem, illic Ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Vbiæ. Vigiles flagitium suum Ducis dedecore excusabant, tamquam jussi silere, ne quietem ejus turbarent. ita intermisso signo & vocibus, se quoque in somnum lapsos. Multa luce, revecti hostes captivis navibus, prætoriam triremem, flumine Lippia, donum Velledę traxere. Civilem cupido incessit navalē aciem ostentandi. Complet quod biremium, quæque simplici ordine agebantur. Adjecta ingens lintrium vis, [a] ad tricenos quadragenosque, simul armamenta Liburnicis olim haud indecore pro velis juvabant. Spatium velut æquoris electum, [b] ubi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Causæ instruendæ classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent. Cerialis, miraculo magis quam metu, direxit classem numero imparē, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. Is flumine secundo, illi vento agebantur. Sic prævecti, tentato telorum jactu dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus, trans Rhenum concessit. Cerialis Insulam Batavorum hostiliter populatus, agros villasque Civilis intactos, nota arte Ducum, sinebat: quum interim fluxu autumni, & crebris plúvialibus imbribus superfusus amnis, palustrem humilemque Insulam in faciem stagni opplevit. Nec classis aut commeatus aderant. Castraque in plano sita, vi fluminis differebantur. Potuisse tunc opprimi legiones, & voluisse Germanos, sed dolo a se flexos, imputavit Civilis. Neque abhorret vero, quan-

Lippia flumen.

a tricenis quadragenisque armamēta Liburnicis solita: et simulcaptę linires sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur. *Ita ex Vatic: MS. locum mutilum Lipſ. correxit.*

b *Alij libri:* Vbi Mosæ fluminis os amnē Rhenum O. a.

Probe. Res certe eadē, aliter elata. Vbi nunc oppidum Briela est navale prælii hoc inter Civilem Batavū, & Romanam classem tentatum, sed æquo Marte diremptū fuisse. viri docti conjectant.

quando paucis post diebus, deditio insecuta est. Nam Cerialis, per occultos nuncios Batavis pacē. Civilis veniam ostentans, Velledam propinquosque monebat, fortunam belli tot cladibus adversam, opportuno erga populum Romanū merito mutare: Cæsos Treviros, receptos Vbios, ereptam Batavis patriam, neque aliud Civilis amicitia peractum, quam vulnera, fugas, luctus: exulem eum & extorrem, recipientibus oneri: & satis peccavisse, quod toties Rhenum transcenderint. Si quid ultra moliantur, inde injuriam & culpā, hinc ultionem & Deos fore. Miscebantur minis promissa, & concussa Trans-Rhenanorum fide, inter Batavos quoque sermones orti. Non prorogandam ultro ruinam, nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli, quid perfectum cæde & incendijs legionum, nisi ut plures validioresque accirent? Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri. Sin populum Romanum armis provocent, quotam partem generis humani Batavos esse? Respicerent Rhætos Noricosque, & cæterorum onera sociorum. Sibi non tributa, sed [a] virtutes & viros indici. Proximū id libertati. Et si dominorū electio sit, honestius Principes Romanorum, quam Germanorum fœminas tolerari. Hæc vulgus. Proceres, atrociores Civilis rabie semet in arma trusos. Illum domesticis malis excidium gentis opposuisse, tunc infensos Batavis Deos, quum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis, sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant, & noxij capitis pœna pœnitentiam fateantur. Non fefellit Civilem ea inclinatio, & præverire statuit, super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, scindi [b] Nabaliæ fluminis pons. In cujus abrupta progressi Duces, Civilis ita cœpit: Si apud Vitellij legatum defenderer, neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, a me aucta erant.

Rhæti. Norici.

[a] juventutem, *alij* virtutem,

Nabaliæ flumen.

[b] *Lipsius* Vahalis *legit: Iunius* Navalię, *& urbē Campos hariolatur.*

Erga Veſpaſianum vetus mihi obſervantia: & quum privatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epiſtola ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones, & Gallica juventus Alpes tranſcenderent. Quæ Antonius abſens, Flaccus præſens movebat, arma in Germania movi, quæ Mutianus in Syria, Aponius in Mœſia, [a] Fabianus in Pannonia.

[a] Flavianus.

Hactenus Tacitus. ſequitur Gerardi Noviomagi Epiſtola, qua populos & loca nonnulla quæ infra Coloniam Agrippinam ſunt, & quorum Tacitus meminit, obiter exponit; Hoc loco Lectoris commodo Hiſtoriæ Batavicæ inſerta.

G. N.

G. N. THOMAE ZEGERO S. P.

DVm tu isthic, numeros, dimensiones, concentus, perpetuosque cœlestium orbium motus, doces, ego hic Cornelium Tacitum, eloquentissimum Historicum, relegi. Deprehendi vero, eos qui Annotationes in Cæsaris commentarios & hunc Auctorẽ scripserunt, in locorum, quę infra Coloniam Agrippinam sunt, declaratione, aliquantulum (ut modeste dicam) a scopo aberrasse. Quare quid de his mihi videatur, liberius tibi scribo, ut vicissim tu quoque sententiam tuam (nam hæc tibi non minus quam domus tua nota sunt) mihi perscribas. COLONIA AGRIPPINA, vetus nomen retinet. NOVESIVM, aliquot immutatis literis, NVSSIAM dicimus. TENCTERI, Rheno ab Agrippinensibus (ut Tacitus inquit) discreta gens. BRVCTERI, ad LIPPIAM flumen fuere, quod veteri vocabulo appellatur Germanice die Lippe. Vetustum etiam Generosorum Comitum Lippianorum stemma viget floretque. CVGERNI sunt, qui vulgo Gulickers nominantur. GELDVBA, olim Rheno imminens, Geldrie nomen dedit. ASCIBVRGVM, Germnice die Aschburg/ nunc duarum syllabarum in unam contractione & aliquot literarum elisione, commutationeque, Doesburg dicimus. ARENACVM, Arnhem vulgo dicitur. Neque enim Andernacum esse poterit, quum (teste Tacito) infra Coloniam Agrippinam sit. BATAVODVRVM, Batavice Wijck by Duersteden appellatur, ubi Episcopus Vltrajectinus egregiam arcem occupat, eo loci ubi Rheni pars Lecca dici incipit. VADAM, Wagening Batavi dicunt, oppidum Principis Batavorum præliis obsidionibusque nobile. GRINNES, ego RHENOS legendum, & Rhynen/ oppidum Bataviæ indicari puto. BETHASII, die Peellanders Brabantice dicuntur, qui ultra Mosam habitant. TVNGRI, FRI-

SII, & BATAVI noſtri, vetus nomen non mutarunt. CANINEFATES, mutatis ſedibus, & nomine non nihil, ſunt qui Kennemerlanders in Holtlandia eſſe aſſerant, & vocabulum non abludit. CAVCI, in Friſiorum nomen conceſſere, dicunturq; vulgo, die Enderfrieſen/Woxtfrieſen/Edderfrieſen/Strantfrieſen/&c. Non te moveat, quod Latini Hiſtorici noſtrorum locorũ vocabula, dum in ſuæ linguæ formam deflectere volunt, in diverſum ſonum & literas detorſerint. Id enim & noſtra ætate in multis vocabulis experimur. Vnum & alterũ adjiciã. ANTVERPIAM, cjus loci cives Antwerpen dicunt, Galli (Anvers,) Germani ſuperiores Andorff. Angli & Scoti, juxta ſuæ quiſque linguæ proprietatem, aliter atque aliter pronunciant. LEODIVM nos Ludick/Galli (Liege) vocãt. Quare priſca locorum vocabula non ſolum ex Græcis & Latinis petenda ſunt ſcriptoribus, ſed magis etiam ex vetuſtis cujuſque linguæ literis: ita ut nos obſervemus, ea quę noſtrate lingua ſcripta ſunt, & majorum parentumque noſtrorũ loquendi conſuetudinem. Præterea certum eſt Rheni, Moſæ, & aliorum fluviorum curſus, a Taciti tempore, valde mutatos. Id quod apud Zanthum oppidum, & alia patriæ noſtra loca, te vidiſſe non dubito. Iſulæ quoque fluvij, qui nunc in utraque ſui ripa inſignia oppida & arces habet, nulla apud Tacitum aut Plinii mentio fit, ſed lacuum tantum, in quos Rhenus ad Septentrionem ſe exoneret. Conſtat etiam intra ducentos plus minus annos non fuiſſe tam amplum mare (quod vulgo die Zuyderzee dicitur) inter Holtlandiam & Friſiam. Hęc addidi, mi Thoma, ut te animarem, ſatis licet animatum, ad ſcribendũ quid de hac mea epiſtolari annotatiuncula, ſentias neve nimium tribuas quibuſdam magni nominis auctoribus, qui de patria noſtra Latine ſcripſerunt. Bene vale. Argentorati. Anno M. D. XXX. Kalendis Ianuarijs.

Inſignium

Insignium Locorum ac Oppidorum Bataviæ nomina, a Lobeca Arce, ubi Rhenus se in duo cornua dividit, ad Oceanum usque, qui Britanniã ab Insula nostra dirimit.

HVSSENVM, Rhenum latissime præterfluentem habet. Ab hoc oppido non procul abest is locus, ubi Isela ex Rheno, Septentrionem versus, fluere incipit. Hic præterlabens Doesburgum, Zutfaniam, Daventriam, Hattenum, Campos, haud obscuri nominis oppida, tandem se mari (quod hodie die Zuyder zee vulgo dicitur) immiscet. NOVIOMAGVM, quod nonnulli NVMAGAM, alij NEOMAGVM, quidã NOVIMAGIVM scribunt, civitas libera, extra Insulã ad Vahalim sita, patria mihi dulcissima. In hujus laudẽ sic olim scripsi in Satyris meis:

O Noviomagum, cui non certaverat Vllus
Terrarum locus: & Rhodos & celebris Mitylene
Cedunt namque tibi, cedunt & Thessala tempe:
Te nemus annosæ redimitum robore quercus,
Aequans Aonium, cingit, fontesque salubres
Quos adamat Clarius: hic candida turba Sororum,
Dulces docta modos, divina poëmata cantat.
Alluit & placido te cursu VValis ab arcto.
Regia te Superis templa, & te Manibus imis
Arx sacrata ornat, quam quondam, milite cæso,
Romani statuere Duces, in littore VValis.
Olim grandiloqua surget, mihi credite, Vates
Vena par priscis, culto qui carmine ad astra
Te Noviomagum tollet, fortesque Batavos.

Imo

Jmo, mox canere incipent Craneveldius atque
Henricus Batavus, canet & Murmellius ille,
Quem Muſæ Phœbusque docent Heliconis in antro.
Hi Noviomagum laudabunt carmine, quali
Flaccus Tiburti pomœria laudat & undas.
Nil tamen hæc humili me prælibaſſe Camœna
Obfuerit, majora alijs memoranda relinquo.

BATOBVRGVS, in ora Gallica Moſæ imminet. TIELA, ad Vahalim olim nobilis Galliarum portus: his vero annis Burgundiorum obſidione fortiter lata, nomen celebrius adipiſci meruit. BOMELA SALINARVM, Vahalim muris minitantem aſpicit. DORESTATVM, quod BATAVODVRVM olim, ad Rheni ripam, ubi Lecca e veteri Rheno profluit. BVRENVM, cum arce munitiſsima, quam Linga fluvius adlabitur, qui olim Molarum foſſa dicebatur. CVLENBVRGVS, Lingam & Leccam proſpicit. ASPERA, Lingam placide perſtrepentem audit, qui eam quoque mutato nomine interſecat. vulgo hæc pars Amor dicitur, quem nos olim carmine celebravimus. Hoc oppidum, ſub Carolo Geldriorum Duce, a Burgundiorum transfugis peditibus diu oppugnatum, tandem, fortiſsimis civibus inter expugnandum ad unum cæſis, raptum eſt. Hic ſupra omnem Turcicam crudelitatem, in omnem ſexum, in omnem ætatem, in ſacra, in profana, igne, ferro, libidine, deſævitum eſt. Hoc excidium duorum nobilium Equitum Batavorum & affinium, quorum alter loci Princeps erat, odium conflavit. LERDAMMVM aggerem ultra Lingam obtinet. Batavice enim Damagger nominatur. Hinc Batavicorum oppidorum pleraque vocabula deducuntur. HVCLENVM, circa Lingam, vetuſta arce, Heculanorumque familia nobile. GORICHEMVM, non procul

Anno 1528.

Anno 1516.

procul a caſtris Herculis, una cum pagis aliquot vicinis, vetus nomen hodie retinet. Ager enim Herculis dicitur, Batavice, Dat landt van Arkel. Horum caſtrorum fit mentio in Charta illa vetuſtiſſima, quæ itinera Romanorum militum, ex provinciis nonnullis, depicta continet. Hanc mihi oſtendit clariſſimus D. Conradus Peutingerus, utriuſque juris doctor, Patritius ac Cancellarius nobilis Auguſtæ Vindelicorũ, quæ ſecundus a Celte, cognomine ſuo poëta laureato, patriam ſuam totamque Germaniam illuſtrare cœpit. Paulum ſupra hoc oppidum, ad arcem Loveſteinum, Vahalis ac Moſa confluunt. Linga vero Gorichemum interſecans Meruæ influit, Vahalique parenti, ac Moſæ affini conjungitur. DORDRACVM, clariſſimum oppidum, nonnulli extra Inſulam olim fuiſſe contendunt. Veriſimile tamen eſt, Batavorum fuiſſe, ſicut Huſdenum, VVorchemum, & Montem qui Sanctæ Gertrudis dicitur, cum nonnullis pagis Gallici littoris. VIANA, citra Leccam, in proſpectu trajectus Rheni. VLTRAIECTVM, in ipſo Rheni trajectu ſitum, urbs nobilis. Hujus Beda in Geſtis Anglorum honorificam mentionem his verbis facit: Pippinus autem donavit VVilibrordo locum cathedræ Epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo gentis illius vocabulo VVILTABVRGVS, lingua autem Gallica TRAIECTVM vocatur. Hæc ille. Memini me legere in duobus libris ſcriptis ante ſexcentos annos VVILTRAIECTVM & VLTRAIECTVM. In hujus urbis Epiſcoporum vitis deſcribendis Itali ſcriptores lapſi ſunt. Nullum namque diſcrimen inter Moſæ Trajectum, & Rheni Trajectum faciunt, & duarum urbium Epiſcopos, tanquam vnius, recenſent. ISELSTINVM, vicinorum odiis nobilitatum. MONDFORDIA, hanc Albertus Saxonum Dux, quum gravi admodum obſidione aliquamdiu preſſiſſet, capere non potuit. Tanta enim fortitudine, non ſolum viri, ſed & fœminæ, ſe patrioſque lares defendebant. VVORDA, [a] Ioannis Piſtorij natale ſolum.

a *Hic Haroſeos dãnatus, exuſtus eſt Hagæ Comitis, anno 1525 Septemb. 15.*

VETERES AQVÆ. SCONHOVIA. GOVDA, a cognomine rivo dicta, VVilhelmi Hermanni, Poëtæ & Hiſtorici, patria. ROTERODAMVM, ad Moſam ſitum, Roteram quoque habet influentem. Hanc Deſiderius Eraſmus, vir vndecunque doctiſſimus, ſole clarius illuſtrat. SCIEDAMVM, a Sciea fluvio nomen habet. VLARDINGA, ſiue VLARDINGIACVM, vetuſtiſſimum oppidum in ea Inſulę parte, quæ ad Oceanum vergit. DILFI, ab aqua per foſſam oppido inducta nomen ſortiuntur. Foſſam enim vulgus Dilfſt vocat. HAGA COMITIS, non tam Senatu ampliſsimo, quam hoſte Geldrio excurſionem eo uſque faciente, nobilis. LEIDA, amœniſsima civitas apud veterem Rhenum, multa antiquitatis monumenta poſſidet.

Habet præterea hæc Inſula, arces, vicos, pagos cultiſsimos, habet foſſas quoque, lacus, rivos navigabiles atque piſcoſiſsimos, quorum nomina recenſere, otioſi hominis forte videtur, licet ego hoc decore factum cuperem.

Miraberis fortaſſe Lector, quare nullam hic præclarorum oppidorum HARLEMI, ALCMARIÆ, AMSTERODAMI, HORNII, MEDENBLICÆ, & cæterorum in eodem tractu, mentionem faciam. Verum ſcias me religione quadam abſterritum, ne quid affingerem, quod veteres ſcriptores, Bataviæ non adſcripſerunt. In libro enim Cameræ Trajectenſis (ita vocant literarum antiquarum privilegiorumque receptaculum) legitur, quod Septentrionalis hæc Hollandiæ plaga, quæ continet ſeptuaginta duas Eccleſias parochiales, adſcripta ſit VVeſtFriſiis. Nonnulli tamen Harlemios & finitimos, Caninefates eſſe contendunt. Vtinam hæc tam facile teſtimoniis veterum auctorum & diplomatis vetuſtis approbari poſſent, quam dicuntur. Habuit autem habetque hæc Hollandiæ (ut hodie loquimur) pars multos clariſsimos viros, inter quos celebres ſunt:

Gerardus

Gerardus Sebaſtianus,
Ioannes Harlemius Theologus,
Quirinus Taleſius, Harlemenſis,
Alardus Amſterodamus,
Nicolaus Cannius,
Cornelius Crocus, } omnes Amſterodamenſes.
Ioannes Sartorius:

Quos oro, ut his meis collectaneis addant, quæ ipſi legendo de commnis patriæ laudibus obſervarunt.

Nomina Regum ac Principum Batavorum, quæ in hanc uſque noſtram atatem deducere ſtudui.

BATO, Cattorum Regis filius, primus Batavorum Rex. Hic Noviomagi arcem, quæ Magum ſive Magium dicebatur, innovavit: inde Noviomagum, partim Latino partim Germanico ſermone deductum eſt. HESSVS, Batonis & Reicheldinnæ (vulgus Richildin vocat) filiæ Menapij Tungrorum Regis, filius. Iſte natale ſolum Noviomagum domibus auxit & ornavit. CARIOVALDA, Batavorum Dux. BELLINVS, Batavorum Rex. ADMIMOCINVS, hujus filius, ad C. Cæſarem transfugit. BRENNO, Bellini filius. IVLIVS PAVLVS. CLAVDIVS CIVILIS. CLAVDIVS LABEO. IVLIVS MAXIMVS. CLAVDIVS VICTOR. Qui vero a Veſpaſianorum Auguſtorum temporibus, ad Carolum uſque Martellum, Inſulæ præfuerint, nominatim recenſere, præſertim in tanta religionis mutatione, tot exteris nationibus incurrentibus, factu fuerit difficillimum. CAROLVS MARTELLVS, nobiliſsima matre Batava natus, fortiſsimis Equitibus Batavis cōſanguineis ſuis adjuvantibus, bellica gloria maximis orbis Principibus adnumerari meruit. PIPPINVS, Martelli filius,

ex Duce, Francorum Rex factus est. CAROLVS MAGNVS. LVDOVICVS PIVS. CAROLVS CALVVS. Hic Batavorum Insulam primus discerpere cœpit, extero Comite aulico inferioribus Batavis præfecto, a quo Hollandiæ Comites originem ducunt. Superior vero Insulæ pars sub Romanis Imperatoribus & Augustis libera mansit, ad tempora usque Gulielmi Hollandi, qui, vivente Friderico II. Augusto, Pontificia factione Romanorum Rex inunctus est. Is Othoni hujus nominis tertio Geldriorum Comiti Noviomagum & quicquid Noviomagorum jussis parebat, tantæ civitatis privilegiis nihilo mutatis, pignoris loco occupandum concessit. Huic Othoni succesit REYNALDVS, primus hujus nominis. REYNALDVS secundus, ultimus Comes & primus Geldriorum Dux. REYNALDVS tertius. EDVARDVS. VVILHELMVS, Geldriæ & Iuliæ Dux. REYNALDVS quartus. ARNOLDVS, ex filia filiæ sororis quarti Reynaldi originem trahens. Hic Noviomagis adnitentibus Geldriæ Dux declaratus, non admodum grato erga hos animo fuit. Iugum enim quod nepos gratissimus Noviomago tandē imposuit, ille imponere non semel tentaverat. ADOLFVS, omnibus optimi Prinipis dotibus præditus, tandem cogente magna nobilitatis parte, matre fœmina nobilissima non dissuadente, Noviomagis etiam, ut sese ulciscerentur, impellentibus, patrem Arnoldum senem arci Bureniæ septem annis inclusit, Ducemque egit. CAROLVS, Adolfi ex filia Ducis Borbonij, &c. filius, cæso pro Flandris apud Nerviorum Tornacum patre, post multa pericula in Geldriorum Ducem inauguratus est. Hic multis annis patriam avitamque hæreditatem, contra multos Principes belando, multis præliis, non minus fortiter quam feliciter non modo tutatus est, verum etiam haud mediocriter auxit. Horum Comitum & Ducum historiam alteri operi reservamus. Nunc accipe

Nomina

Nomina Clarorum ſcriptorum Bataviæ, ex libris meis de Viris Illuſtribus Inferioris Germaniæ.

Franciſcus Cranefeldius Noviomagus, utriuſq; jurisdoctor.
Theodoricus Bornius Noviomagus, theologus.
Ioannes Henricus Batavus Noviomagus, rhetor.
Ioannes Bronchorſtius Noviomagus, rhetor, mathematicus, ac philoſophus.
Gerardus Moringus Bomelianus, theologus.
Henricus Gorichemius, theologus.
VVilhelmus Vianenſis, theologus. (Romanus.
Hadrianus Florentius Vltrajectinus, theologus, ac Papa
Gisberechtus Longolius (vulgo a Langeraith) Vltrajectinus, doctor medicus, & rhetor inſignis.
Chriſtophorus Longolius Schonhovianus, orator.
Cornelius Aurelius Goudanus, hiſtoricus & nobilis verſificator.
VVilhelmus Hermanus Goudanus, poëta & hiſtoricus.
Hermannus Goudanus, theologus.
Iacobus Goudanus, verſificator.
Reynerus Snoius, medicus & hiſtoricus.
Deſiderius Eraſmus Roterodamus, theologus undecunque doctiſsimus.
Ægidius Dilfus, poëta ac theologus.
Iodocus Sasboldus Dilfus, poëta & utriuſque juris doctor.
Ioannes Dilfus, grammaticus.
VVilhelmus Hagienſis, primus poëta Comicus in ſecunda Germania.
Cornelius Honius, jureconſultus ac theologus.
Martinus Dorpius Naeldicenus, poeta & theologus.
Engelbertus Leidenſis, verſificator & grammaticus.
Nicolaus Leontius Leidenſis, grammaticus.
Petrus Blomevenna Leidenſis, theologus.

Germaniæ Inferioris loca aliquot declarata.

GERARDO NOVIOMAGO Auctore.

NEOMGAI, non adpellantur vulgata veterive noſtrate lingua, novi amici vel vicini, ſed Magen Batavice cōſanguineos dicimus. Quare longe altius ejus vocabuli ratio petitur, ab his qui Belgarum vicinorumque Germanorum Hiſtorias exactius & majore judicio conſcripſere. Qua de re in BATAVIA noſtra nonnihil attigimus, ubi etiam nobilem arcem BATOBVRGVM, non a BASSANO, Rege neſcio quo forte chartaceo, ſed a BATONE Batavorum Principe, ad Moſæ ripam conditam oſtendimus. Neque Baſſanborch (ut eſt apud Abbatem Trithemium) ſed, ſervata Batavicæ linguæ proprietate, Batenborg dicitur.

ROTERODAMVM, Batavorum oppidū, & olim non ignobile, & noſtra ætate Deſiderij Eraſmi incomparabili eloquentia & eruditione apud exteras nationes magis nobilitatum, non a Sycambrorum Rege quopiam, ſed ab aquis, in quarum aggere (quem Dam Batavi dicunt) ſitum eſt, quaſi ROTERÆ AGGEREM dicas, denominatur.

De Sycambrorum finibus, & ubinam ultra Rhenum, Rheno licet proximi, habitarint, Cæſar Iulius in primis conſulendus. Nam hos qui ab Octavio Auguſto in Gallicā Rheni ripam tranſlati leguntur, nullum unquam Regem proprium habuiſſe conſtat.

Quæ vero de Francis & Sycambris ſcribuntur, ad alia tempora & loca ſpectare videntur. Suntque hic obſcuræ Hiſtoricorum veterum nebulæ diſcutiendæ, ut veritatis ſplendor Lectori adparcat. Id quod nos, Chriſto auſpice, aliquando conabimur.

GEL-

GELDRIÆ Ducatum (ita dici cœptum) a Gerlaco Geldriæ Prefecto nomen habere, tam verum est quam Vahalim Buscumducis Brabantiæ oppidum præterfluere.

GELDRIORVM Præfecturam, ante Gerlacum, VVichardus & Lupoldus administrarunt; neque opus est, ut ad Geldriacum monstrum, fabulosum videlicet illum & volatilem draconem, recurramus, illorum ineptam gloriationem imitantes, qui Olorem Ledæ adulterum & nescio quem obscuriorem incubum generis nominisque sui auctorem agnoscere malunt, quam notæ probitatis plebeium quempiam.

Verisimilis autem conjectura est GELDRIAM a GELDVBA arce, paucis immutatis literis, dictam. Sed de his in BATAVIA nostra fusius. Iulius Cæsar non minus omnis eruditionis, & in primis Mathematicæ, quam armorum gloria clarus, recte (ut cætera) scribit Scaldem in Mosam influere. Hujus rei etiamnum haud obscura vestigia exstant. In Zelandia, quæ Hollandiæ subjacet, Insula est (in qua CIRICZEA oppidum celebre, cujus cives rei nauticę peritia cæteras fere maritimas nationes excellunt) quæ a Scaldi fluvio Scaldiæ nomen sortitur. Quæstores quoque Zelandiæ, unus a Scaldi Orientem versus, alter a Scaldi Occidentem versus, appellantur. Præterea in Mosam, non procul a BRIELIS oppido, influit. Sed exteris mercatoribus imponit, quod ubi olim terra pagis & arcibus culta extabat, ibi nunc vastum mare cernitur. Hinc factum est, ut fluviorum ostia, ad veterum præscripta internosci vix queant. Constat inter maritimos Flandros, Zelandos, Hollandos, Frisios, colles illos arenarum, (Dunen vulgo dicuntur) quos rerum parens Deus terminum mari circumdedit, olim non tam late perruptos ac dissitos fuisse, quam nunc sunt. Cœlestis enim pater peccatis nostris ad iracundiam provocatus, horridis tempestatibus terras admodū fertiles in salsissimum mare intra ducentos annos convertit. Sed nos infelices plane & vecordes naturę adscribimus, quod

solis

ſolis ſceleribus noſtris imputandum erat. ADVATICI, ſive ACTVANTICI (utrumque enim legitur) neque Antverpiani ſunt, quorum civitas Scaldeni præterfluentem habet, neque Moſa-Trajectini, quorũ oppidum Moſa interſecat: ſed Cæſaris teſtimonio, Advaticorum oppidum, omnibus partibus in circuitu altiſſimas rupes deſpectuſq; habebat, una ex parte lenitèr acclivis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur. Raymundus Marlianus, alludens ad vetus vocabulum, Duacum (vulgo A Duay dicitur) eſſe arbitratur. Verum Cæſaris deſcriptio, huic loco, neſcio an unquam, certe hac ætate minime quadrat.

Cornelius Tacitus de Germanis, homo Romanus, non male meritus, quem etiam conſtat Belgicæ Galliæ rationes procuraſſe, non potuit tria Rheni oſtia ignorare, quum Cęſar Rhenum, ubi Oceano appropinquat, in plures diffluere partes ſcripſerit. Verum ea nominatim non explicat, ſicut nec Plinius, qui duorum tantũ meminit, tertij velut notioris nullam mentionem faciens. Tacitus præterea eo loci, BATAVORVM INSVLAM, non Rheni oſtia deſcribere voluit. Huc accedit, quod brachium Rheni ad Septentrionem nomen ſuũ, ut ad Gallicam ripam, nondũ mutaverat: ſed tam ad Septentronem, quam medio alveo, Rhenus dicebatur. Poſtea Lacus illi, in quos Rhenum ſe ad Septentrionẽ ſpargere Plinius indicat, una cũ vicinis paludibus, deductis foſſis, multis in locis exſiccati, eaque Rheni pars, quæ in hęc influebat, intra certas ripas fluere, aggeribus coacta, ISSVLA dici cœpit. Ad hujus dexteram eſt hodie tot nobilium Equitũ patria Comitatus ZVTPHANIÆ, qui a paludibus (quas Veenen vulgus appellat) nominatur. Peninſula vero, quæ ad ſiniſtram jacet, & ipſa a locis paluſtribus, VEENAVIA, id eſt, paludum Inſula, corrupto vero vocabulo VELVA vel VALAVIA adpellatur. Verum de his in FRISIA noſtra, ubi ad OSTERGOAM, & VVESTERGOAM, id eſt, ad pagos Orientales & Occidentales, perventum fuerit,

fuerit, exactius scribemus: declarabimusque quomodo Oceanus crebris tempestatibus actus, excrescens atque exaestuans, fluviorum ostia, a veteribus diligenter descripta, confuderit.

Quæ vero ad BATAVORVM INSVLAM pertinent in BATAVIA nostra paucis perstrinximus, licet sint, qui absque ratione, nulla veterum auctoritate muniti, a me in quibusdam dissentiunt. Sed candidi Lectoris esto judicium.

Eos qui VETERA castra, nunc XANCTVM oppidum agri Clivorum dici putant, Cornelium Tacitum oscitanter legisse adparet. Is enim Veterum situm describens, partem castrorum in collem leniter assurgere dicit. Constat autem XANCTVM in palustribus locis fuisse, licet paulatim tot annorum spatio terra altius aut adcreverit, aut adgesta sit. Legitur in vita Divi Victoris & commilitonum ejus, quod corpora eorum in loca palustria projecta sint, quorum ossa mea ætate, sub fundamento templi Divi Victoris reperta, & Maximiliano Augusto, ob insignem magnitudinem, miraculique gratia, ostensa sunt.

MARARMANIS portus, cujus Ptolemæus meminit, est inter duo fluviorū ostia, Vidri videlicet & Amasis, ergo nullo modo fuit ubi nunc CAMPI, VEENAVICI littoris oppidum est, sed necesse eum est fuisse in FRISIA. Et quum is portus jam nusquam sit, excutiendæ sunt veteres Frisiorū Historiæ, in quibus legitur, quod olim brachium quoddam maris Oceani tutissimum portum magnarum navium fecit juxta arcē MARARMANIS, cujus nomen & ruinæ etiam hodierno die manent. Situs quoque hujus loci omnino cum gradibus longitudinis & latitudinis, per Ptolemæum descriptis, concordat.

De BATAVODVRO, quod Batavice Duerstat dicitur, distatque duobus plus minus miliaribus ab VLTRAIECTO, in BATAVIA nostra diximus.

FINIS.

CORNELII AVRELII

BATAVIA,

sive

De antiquo veroque ejus Insulæ quam Rhenus in Hollandia facit situ & laudibus,

Adversus

GERARDVM NOVIOMAGVM,

libri duo.

Ad

REINERVM SNOYVM GOVDANVM,
Virum Doctissimum & Medicinæ
Professorem.

ADELARDVS AMSTERODAMVS
CORNELIO AVRELIO
S.

GRandis Lovanij est contentio inter plerosque doctos, Hollandiam non posse vocari Bataviam. Istud nisi tu refellas & improbes, nemo est qui poterit; vt cui totius Hollandiæ reconditissima quæque sunt perspectissima. Nam & huius auctor opinionis Noviomagus te solum veretur, teque unum omnibus Hollandiæ doctissimis viris præfert. Cupit amice refellas rationes suas, & cito cupit: quod ni feceris, pudefiam ego, constanter asserens, te vt facillime, ita & verissime posse manifestam eius inscitiam ostendere. VVilhelmum Hedanum Trajecti ad S. Johannis Decanum consule, si opus est, vt huic Gelro, ac proinde non satis Hollandiæ faventi, resistas. Sed citra calumniam fiant volumus omnia. Erasmus Basileæ agit. Miramur omnes quod tui sinceriss imi semper amici & præceptoris nusquam meminit. Vale, & scias nullum te vno mihi chariorem Aureli. Lovanij. Anno M. D. XV.

COR-

CORNELII AVRELII
BATAVIAE
LIBER PRIMVS,
quem ipſe Auctor inſcripſerat,
DEFENSIONEM GLORIÆ BATAVINÆ.

Bataviam Hollandis nulla ratione præripiendam, Hiſtoricis argumentis probatur.

CAPVT I.

ROmani, certiſſime cognito, Britanniam rebellaſſe, (quam ſibi olim, ſub Caio & Claudio, auxiliariis Batavorum cohortibus fecerant tributariam) mox communi Senatuſconſulto illuc Conſtantium, Magni Conſtantini patrem, legaverunt. Is deſtinatum ſibi munus ſagaciter obiens, [a] Angliam tributa reddere cogit, perduellionibus aqua ignique interdictis. Rebus itaque compoſitis, Inſulaque [b] Anglorum recepta, mox legatus Helenam [c] Cœli filiam (vt eos arctius in fide & officio ſibi retineret) loco vxoris accepit, quam ille pridem (quod ſe veneno petiſſet) Romæ occiderat. In hujus ſatellitio Demarchus quidam merebat, ab Athenis exilio relegatus, fortunamque quaqua verſus ſequens, vir plane armis ſtrenuus & prudentia ſingulari. Qui audita ex commilitonibus incredibili Batavorum probitate, viſendæ gentis pellectus deſiderio, e Britannia Staldunum cum ſuis appulit, vbi Moſa fluvius haud procul ab æquore, reducto paululum ſinu, quaſi portum quendam egredientibus mare fecerat. Exploratis exul Athenienſis omnibus quæ mox uſui fore ducebat, locique amœnitate captus, & ubere gleba, ſedem ſibi illic conſtituit. Tum Atticæ religionis memor, aram in honorem Dei ſui ibidem erexit, cui [a] Moniſchyros (Vnum fortem dicimus) nomen

Circa annum Chriſti 300.

a Britanniam.
b Britannorum,
c Coeli.

Staeldunum.

d Monaſchyros,

nomen erat. Cujus adhuc auſpicio vicus ille corrupto paulum vocabulo Monaſtherium vocitatur. Hic oraculum erat omnium quæ tum in Batavia minoreque Friſia ſtabant longe celeberrimum. Vnde & finitimi omnes huc conſultandi gratia confluebant, & offerentes Deo loci parvulos ſuos, credebant fortiores omnibus evaſuros. Proinde exire tritum in gentibus proverbium, Fortiſſimos omnium Batavos eſſe, qui Deo Vni forti ab ipſis cunabulis dicarentur. Erat ea tempeſtate inter Bagaudas ruſticus quiſpiam, eo in diſtrictu commorans, ubi tum Rhenus Batavorum facto ſinu ad Veteres tendebat aquas. Huic ovis domeſtica agnum proceriore forma & corpore enixa eſt, quam pro ea ætatula par eſſe videbatur. Homo inſolita ſtupefactus ſpecie pecudē Deo Moniſchyro deſtinat immolandum; ratus ſibi Deum illum magis magiſque propitium fore, ſi tam inſuetum munus ei omni ex grege obtuliſſet. Arripit ille duorum fere dierum iter cum matre agni; ne lactis victu proles interim fraudaretur. At ubi ad profanum Moniſchyri fanum perventum eſt, ilico aruſpex (qui tum oraculo præerat) proſpiciens editum ex ovicula prodigioſæ magnitudinis agnum, ſuo more ſpiritu abreptus fanatico præſagire cœpit & vaticinari, bucciſque reboare crepitantibus, & ita circumſtantibus dicere: Quiſquis, inquit, omnium veſtrum hanc pecudem immolaverit, ejus divinamus gentem genuina fortitudine & induſtria ſuis ſemper hoſtibus ſuperiorē fore. Audijt hoc ſacerdos qui tum expiandæ hoſtiæ gerebat officium, & poſſeſſorem beſtiæ alloquens: Vade, inquit, pro ſeptem frugis triticeæ ſpicis in proximum agrum; quoniam non immolabitur hic agnus, niſi prius his fuerit ſacratiore ritu coronatus. Ruſticus, omnis technæ inſcius & commenti, abiit in campum, &, ne religioni quicquam deeſſet, ſpicas haud aliter atque juſſus fuerat colligit, & in hodiernum uſque diem ubere gleba proveniunt. Verum, prius quam ille reverteretur, occiſus

Monſter prope Naeldijck.

Bograven.

Oudewater.

Boeldijcxterwe.

occisus est fatalis agnus ab ejus incola ruris, qui tum proxime sacrificium stabat. Quibus cognitis, herus animalis, haud parum excandescens, mœstus abiit, matremque oviculam ad ædem Monischyri iratus reliquit, dicens ad loci inquilinum: Qui tuo genio filium immolasti, & matrem pro simili creando fœtu in tuam perniciem retineto, hujusque injuriæ Harpocrates noster vindex esto. His ira jurgio dictis, tum mox discessum est. & quod præsul Dei Vnifortis divinando prædixerat, hoc nimirum hac luce clarius ad hunc usque diem veraciter constare videmus. Quanquam enim Batavus uterque fuit, tamen (ut conjectoris veritas comprobetur) simulatque Martis opera opus est, Rhenanus semper a Mosano, ut ita loquar, Batavo superatur. His itaque tum historice, tum allegorice prælibatis, tandem quo scopum intendam te nunc facile, mi Reinere, arbitror animadvertere: ut qui minime sinam (quod ad me attinet) Hollandis omnino suam eripi, nedum præripi, Bataviam. Verum enimvero non atra bile, non maledictis, (ut suus plerisque mos est) sed aperta ratione, & veterum dictis, & quidem adeo factis hostem, quisquis est, pie admonitum cupio, totisque eloquentiæ viribus eniti in mea illum reducere castra, & de turbato forsitan benevolum, de suspecto placatum, de æmulo gloriæ nostræ faventem, & de adversante facere mihi propitium & probe consentientem. Plurimum enim ejus eruditioni pariter & religioni deferendum esse quis ambigit? Sancti præterea patres (quorum vestigia exosculando veneror) non probant plurima scire, si ipsum sciendi nescias modum. Omnem quippe scientiæ fructum & utilitatem in ipso sciendi modo constituêre. Quid igitur obsecro discis, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo denique fine unumquodque nosse oporteat? quo, inquam, ordine; ut illud prius, quod maturius movet ad salutem. quo studio; vt illud ardentius, quod ad Dei

proximique

proximique amorem vehementius accendit. quo denique fine ut non ad inanem gloriam & oſtentationem, ſed ad tuam potius aliorumque ſalutem lectio tua proficiat. Quorſum, rogas, iſta? Vt plane quiſque religioſus intelligat, parum ſibi eſſe curandum, quod homines inhabitent ſolum, modo is ſibi aliiſque ſacra eruditione ac diſciplina vindicet polum. Non enim, reſtante ſcriptura, gentem propter locum, ſed locum propter gentem elegit Dominus. nec pluuimi facit barbatus ille Hieronymus, Hieroſolymis habitaſſe, ſed ibidē bene vixiſſe ſummis effert præconiis. Poſtremo, quemadmodum Theologis vitio damus ſi Prophetarum oracula violenter in ſuum pertrahunt inſtitutum; ita & Hiſtoriographis minime conceditur nimia perplexitate, ob ſimilium conſonantiam ſyllabarum, veterum geſta depravare; & pro voto aliorum fila præter ordinem ſuo glomeri intorquere.

Aliam eſſe Batuam & Bethaſiam; aliam quoque Bataviam & Bethicam.

CAPVT II.

ET quoniam ex rerum differentiis æquivoce diſtinctis ad certiorem earum perveniemus notitiam & veritatem: quantum inter ſe Batua & Bethaſia, Batavia quoque & Bethica differunt quam pauciſſimis explicabo. ut vel eo clarius ac proinde facilius omnem extricemus errorem. Bethicam, extremum terræ noſtro in orbe verſus Occidentem novimus eſſe; ubi Europa ab Africa dirimitur. Interjacentibus tamen duabus Inſulis, quas Gades (quod in modum ſepis mari circumdentur) appellamus. Primam & quidem majorem alij Erythræam vocavere, quod Tyrij eorum origine exorti ab Erythræo mari ferebantur. Alteram, alij Aphrodiſiam, nonnulli Iunonis inſulam divinarunt. In hujus templo

Bethica.

templo & civitate, quæ Gadium (aliâs Iulia) dicitur, Hercules, ad perpetuam præsentiæ suæ memoriam, geminas ex ære octo cubitorum fixit columnas. non secus atque olim Bacchus ad Orientem, Alexander Magnus apud Arimaspos versus Aquilonem, cum se Diis æquare, & cœlestes accersere tentat honores. Hoc unum denique restat, vt ad Meridiem magnus ille Hispaniarum Rex & egregium militiæ decus, superatis Lunæ montibus, nominis sui monumenta relinquat. Nec factu difficile fuerit, brevique auspicandum, modo Christiani (prôh dolor) sanguinis effusione inter Catholicæ fidei Reges satis sævitum esset. Hanc Bethicam a Bethi fluvio, qui Hispaniam & Lusitaniam, nunc Portugalliam, separat, ab incolis Turdetanam regionem, nos Granatam, vbi sedes est regni, dicimus a grano (Græci κόκκον vocitant) quod ibidem copiose proveniat. In quo lanas pulcherrimo tingi colore ostendit Martialis, ubi dicit: *Lib. 12. epigr. 100.*

Bethis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Nunc Bethasiam percurramus. Hæc Eburonum & Leodiensium terra est, cis Rhenum ad utramque Mosæ fluminis ripam sita. Cujus populi carbonum e terræ cespitibus eruendorum avide sunt studiosi, quos pro fabrorum usu Dordracum, extremum & nobile Belgarum oppidum, actuariis navibus convehunt. Vulgariter Betheleers appellantur. Porro Batuam ingredienti occurrit mihi in primis maxima ejusclaritas, quæ fide & religione nos præcesserit. Hanc enim Marcellinus presbyter ante VVillibrordum ad Christi fidem primus convertit: deinde Sanctus VVerenfridus novellum in Baptismate populum a VVestervordio usque in Vicum arenosum continuis prædicationibus salubriter rexit. qui tandem innumeris clarus miraculis, sanctissimam corporis sui glebam deposuit, & in Vlmo quietis suæ locum elegit. Et

Bethasia.
Batua
Sandtwijck.
Elst/*prope Neomagum*

quid de hujus terræ ſitu dicemus? Mira aëris cœlique fruitur clementia; agrum habet frugibus fertilem, pecori bonum, fructiferis fecundum arboribus; fluviis & ſaltibus, paſcuis & lacubus, pro cujuſque loci conditione, cultiſſima; a Rheno Lobeceno uſque in Lingam procurrens. Hominum genus habet ſalubri corpore, velox, laborum omnium patiens, tractabile, & ſuo Principi ad extremam uſque ſervitutem ingenue obediens, convictu facile, fidei in ſuos & amicitiæ tenax & obſervantiſſimum: in alienos non ita. Et quid tum amplius? O nobilis & felix Batua, quæ Romanis Imperatoribus præparaſti cunabula. In te enim Iulij Cæſaris ſoror cuidam Principi, Carolo nomine, juncta, Octavianum ſemper Auguſtum genuit, & Octaviam ejus germanam. Hæc Regi Braboni nupta, alterum in Novia (nunc Noviomago) genuit Carolum, cui Imperator avunculus plurimas dedit regiones, quibus ad annos ferme nonaginta magnifice præfuit, uſque ad ipſa Tiberij Caiiq. tempora perdurans. Is Titum reliquit filium, qui Rex in Germania Veſpaſianū genuit Imperatorē. Quid multis? Ea tempeſtate qua Carolus regnabat ſeptimus (ut plurima interim tranſeam) venerūt ex Pannonia in Germaniam Sicambri, anno ſalutis noſtræ CCCLXXX. ſub Imperatore Gratiano, a quo [a] Angeſiſus huius Caroli filius Romam deductus, & iterum dimiſſus, a S. Martino Turonū Epiſcopo baptizatur. genuitque Carolum octavum, Brabonem, & Veraiam filiam; quæ Haymoni nupta Rhenano Principi quatuor genuit filios. quorum memoria vniverſo orbi celeberrima eſt, & ad præſens vſque Haymonis filij vocitantur. Horum minimus nomine Adelbertus omnia bona ſua Eccleſiæ S. Petri in Corbia contulit. alter autem nomine Reynaldus in Colonia Agrippina tandem martyrio affectus, nunc Tremoniæ quieſcit, multis coruſcans miraculis. Quid ad hæc vos dicitis ô Batavi? Anne hæc vobis ſufficiet gloria, niſi etiam ab aliis falſo vobis eam vindicetis? Sinite, obſ-

Lingen, fluvius Gorcomium interſecans.

Novia, ſive Noviomagum.

[a] Anſegiſus.

De vier Haymis kinderen.

obsecro, Batavos, vel arma cohortesque suas non sine gloria Imperatoribus illis administrare, quos vobis datum est in lucem edidisse. Contenti igitur vestra estote gloria. quorum nimirum honoris demum ac tantus est, vt alieno colore seu fuco non egeat, neque aliquando cumulatior fieri possit. Verum vt ad Christi fidem redeam (inde enim divertit oratio) nonne vobis præ omni natione quæ sub cœlo est desuper datum est illum Christianorum hostem acerrimum Simonem Godefridum Normannorum Ducem occidere? quem ne Francorum Rex & Imperator cum omnibus suis potuit ab immani totius Europę vastitate, jam vrbibus eversis, templisque Sanctorum incensis, cohibere? Hunc enim a Frisia revertentem (qua tum a Gallorum Rege in dotem neptis donatus fuerat) vos soli cum multis Danorum millibus interemistis? & in Batua vestra tandem permissione divina Christianorũ vindicatus est sanguis, quem ille crudeliter per totum fere orbem effuderat. Qui ergo gloriatur, in Domino glorietur. Nec opus est cavillosis & distorte complexis veterum commentatorũ auctoritatibus, ab aliis gloriam haud secus atque clavam ab Herculis manibus extorquere. Sua quemq; liberaliter sequitur manetque gloria. Attamen Batua plurimum a nostra differt Batavia. Non enim illa a VVali dum a Mosa excipitur secundũ Cęsarem incipit, neque Cattos sibi habet finitimos, neque Caligulæ speculam, neque Oceanum in fronte, marisq; æstuarium, quamquam suo illam diluvio pelagus non semel invasit atque diripuit. Plurima apud veteres etiam Prophetas legimus, quæ huic nostro tempori & locis poterunt ut sonãt haud immerito coaptari. Dicit enim Esaias: Ite angeli veloces ad populum terribilẽ, post quẽ non est alius, cujus diripiunt flumina terrã ejus. Terram quã diripiunt flumina ejus, si ad sola respicimns verba, recte Hollandiam intelligimus. Nam lacus ipsi (propter frequentem maris incursum) quos in viscеribus habet, ultra centum jugera agrorum

Simonis Godefridi cædes in Batua.

quotannis ſua alluvione diripiunt,devorant & conſumunt. Adſtipulabor itaque ex verbis Prophetæ, Hollandos populum eſſe terribilem inſtar leonum, ubi vel ſemel fuerit provocatus,cujus terrorem & fortitudinem non Damiatæ modo,verumetiam ipſi Romani & Britanni ſæpius experti ſunt. Verum longe diſtat hæc a ſenſu Prophetico tam ſcrupuloſa interpretatio. Iudæorum enim populum Propheta his exprimit,qui erat terribilis imo & terrori omnibus propter miſeriam & calamitatem quam ſuſtinebat, & poſt quem non eſt alius populus ſcilicet miſerabilior. cujus terram flumina, id eſt impetus militum,nunc ex Ægypto,nunc ex Babylone venientium,diripiunt, hoc eſt prædantur & devaſtant. Incongruum igitur & inſolens eſt hujuſmodi captiunculis curioſius intendere,& veterum ſententias aliter atque deprompte ſunt incruſtare.

Accuratiſsima Rheni qui a tergo Bataviam alluit deſcriptio ; qua examuſsim & evidenter Bataviæ ſitum in longum & latum cognoſcere poſſumus ,ſecundum Cæſarem & Tacitum.

CAPVT III.

Batavia deſcriptio.

NE igitur libera nonnullis errandi detur occaſio,ipſam Bataviam ante omnium oculos depingemus;modo perennem Rheni decurſum prius deſcripſerimus. Rhenus itaque, inter tres maximos Europæ fluvios deputatus, de Rheticarum Alpium jugo vſque in Oceani profunda curſum dirigit; Romanis olim memorandus contra feras gentes Imperij murus. Hic diverſas alluit regiones,donec variato ſæpius nomine,perpetuo decurſu mari magno illabitur. qui & diverſa diverſarum partium flumina in ſe excipiens ,evomit ſecum in pelagus,quo ipſe tendit. Porro ubi Dusburgo appropinquat,

Rhenus.

quat, in geminos se rivos dividit. Vno (Iselam dicunt) alluens Bronchorstum & Zutphaniam, Daventriamque & Hattemum, apud Campium civitatem maritimam in fretum tendit Austrinum. Altero (nonnulli Lecam vocitant) Hussenum præterlabens & Malburgum, alluit Arnhemum & Oisterbecum, VVagenum, & oppidum Rhenum, Doreſtadum quoque. Et [a] nunc tandem Belloportum (Schoonhaviam dicimus) donec in Mosam refusus mare subintrat. Verū alia ex parte Novesium deserens & Iuliacum, vbi Noviomagum attingit, VValis dicitur, vsque ad dum venias Lovesteenum. Qui deinceps Mosa dictus, aut si mavis a Mosa exceptus, Lecamq; deorsum, & Goudanū Iselam, Romani impiam, in se recipiens, ad Oceanum æque decurrit. Ast justo hic forsitan spatio, & quidem cis Dordracum Mosam deducentibus, describendū nobis fuerat præcipuum Rheni brachium (Plinius Helinū vocat) quo plures Selandię efficiens Insulas, tandem prope VValachriam Oceano cōmiscetur: nisi dumtaxat nostri esset propositi, quod ad solius nostrę Batavię situm attinet demonstrandum. Hac itaque multivaga Rheni præmissa in pelagus decursione, nunc ad incœpta revertamur. Igitur ubi VValis fluvius desinit, ibi, Iulio teste, nostra Batavia incipit. Hunc locum nunc Goricum civitas, quam & celebriorem efficit amplum D. Martini collegium, & arx munitissima, perpetuum [b] Caroli primi Comitis nostri monumentum. Hic principium Batavorum olim fuit, ad VValim scilicet & Lingam. præsidium sane quam munitissimum regnique principium, de quo Theodericus, primus Catholicæ fidei Comes, quem Carolus Calvus tum his terris præfecerat, [c] Dacorum monarcham, qui jam pridem omnia in circuitu vastaverant, potenti manu ejecit. Ab hoc præterea loco ripa tenus Batavia nostra progrediens, Dordracum (Belgarum, alij Slavorum, oppidum) in vlteriori Mosæ alveo relinquit, & transitis deinde Lecæ Iselæque faucibus, vsque in Roterodamum,

Isela, d'Yssel.

Leca, de Lecke.

a nunc, *quia olim non, vt patebit ex sequentibus.*

VValis, de Wael. Lovestein.

Helinum præcipuum Rheni brachium.

Goricum.

b Theoderici.

Theoderi-cus primus Comes Catholicus.

c Danorum monarchia.

Dordrack.

Roterodamum.

damum, Eraſmi noſtri (optimis terrarum religione & doctrina notiſsimi) cunabulum, protenditur. A quo, eodem in aggere, Delphicos inviſens portus, opus mirabile & ſumptuoſum, Sciedamū, Vlardingumq; pertranſit. Poſtremo, Brielli peninſula e proſpectu a longe conſalutata, Staldunum cum Moſa flumine tandem intrat. Porro ubi Moſa Oceano miſcetur, noſtra nihilominus Batavia contra [a] chorum ad Septentrionē procedens, & a pelago in fronte excepta, vſque ad torrentē (qui marinis e collibus diſtillans, ſacrum in Haga Comitis preſecat lucum) plurimis circumvallata terrarum tractibus procurrit; ibiq. finem habet ac deſinit. Batavis mox Catti ſunt finitimi, qui hinc uſque in Sacræ domus torrentē tranſeunt. His modo VVaſſenarij Heroës abſolute imperāt, ex Claudio Civile & Cereale trahentes originē. Cattos ſequuntur Caninefates uſque in Alcmariam, quibus a Verona olim civitate maxima accedunt Friſij & Friſiabones, uſque in mare Freſonicū. Hæc quinaria partitio, quę apud Plinium Tacitumq. celebratur & legitur, totānunc Hollandiam cōplectitur. Verum ad noſtrum ut revertamur inſtitutum, Batavos & Cattos, auctore Tacito, mare ipſum a fronte alluit, vt ſupra diximus, & Rhenus a tergo excipit, in hunc maxime modum quem nunc ponemus. Itaq; Rhenus ille magnus Germaniæ fluvius, olim a Rheno oppido, Rhenani Regis baſilica & habitaculo, prope Doreſtadum (alij Batavodurū) civitatem maximam & quinquaginta duabus Eccleſiis ante Danorum incurſiones celeberrimam, ſolito curſu (Rhenus inquam) deſcendebat, verſus Arcem Antoninā, barbaris VViltiburgū, nobis Trajectum, Ptolemæo Navaliam, quod illic navium ſtatio erat in trajiciendis mercibus quæ ex mari advectæ fuerāt. Deinde VVoirdenum, Svvameredamum, Rineburgum, ArcemqueRomanorum alluebat. Inde mox gemino diſpartitus gurgite Leidas pertranſiens, tandem in Oceanuum apud Cattos ibat. Omnia igitur loca, civitates, vici, & paludes, (ut breviter curram)

[a] Corum

Delfshaven.
Staeldupnen.
Haga Comitis.
Cattwijcken.
Hillechommerbeeck, *prope Harlemum.*
VVaſſenariæ domus origo.
Kenemers.
Verona.
Weſt-Frieſen.
Noort-Hollanders.
Waterlanders.
Doreſtadū.
Traiectenſis vrbis variæ appellationes.
Leidæ Leidarū, ſicut Athenæ, propter honorificentiā tantæ civitatis.

ram) quę in fronte a VVali & Moſa marique uſque in Cattos alluuntur, Batavorum ſunt. Et iterum quicquid terrarum a Doreſtado Rhenus in tergo uſque in Cattos juxta complectitur, vnanimi omnium Hiſtoricorum ſententia Bataviam conſtituit, quam nunc maxima ex parte, haud injuria Hollandiam, alij Holtlandiam dicunt; quod olim tota fere ſylveſtris fuerit & nemoroſa: Sic enim veterum Comitum literæ aureis obſignatę ſigillis, quas ex venerabili domino Menardo Abbate Hecmundenſi & primate noſtro olim accepi; qui eas legit, & in ſacrario Cœnobij ſui reconditas habet. qui etiam earum rerum, quæ patriam ſuam (Hollandus enim eſt) illuſtrare poſſunt, quam maxime ſtudioſus exiſtit ; bonorumque omnium ac perinde literatorum liberaliſſimus fautor & patronus. vir ſane integra fide, integriore doctrina, integerrima religione. Cujus (ut verum fatear) ejuſque Monaſterij haud immerita præconia in eo libello, mi Reinere, inveneris quē De Hollandiæ noſtræ illuſtribus viris & locis inſcripſimus. Nunc ad noſtram Bataviam, vnde exceſſimus, pedem referamus. Igitur ne meis dumtaxat verbis fides adhibeatur, nec illis perinde atque Apollinis oraculo ſtetur, vetuſtiſsimorum teſtimoniis auctorum ſingula comprobabo. *Holtlandia.*

Bataviæ verus ſitus. eamque maxima ex parte ad Hollandos pertinere, probatiſsimorum auctoritatibus ſcriptorum irrefragabiliter & evidentiſsime demonſtratur.

CAPVT IIII.

REctius nihil unquam apud Hiſtoricos agi poſſe Tullius ipſe definit, quā ut ſtabiliendæ veritati veterum adducāt teſtimonia. Hoc enim hominibus potiſsimum innatum eſſe cognovimus, ut veritatē vel ipſa inſtigāte natura fideliter inquirant. quam etſi per ſe minime poſſunt invenire, conſuluntur nihilominus ſapientes; ut ſaltem eorum veſtigiis inhærendo, veritatem ipſam præclarius inveſtigent. Horum equidem provocatus exemplo, & ut apes ſolent ſingulis inſidere floribus

floribus, & inde quod ad rem ſuam conducit colligere: haud aliter, quanquam librorum mihi curta ſupellex, indagandæ veritatis cauſa &intuitu,receptorum dicta ſcriptorum in medium adducam. Virtus enim intellectualis (ſi quid Philoſopho creditur) augmentum habet ab experimento & tempore. Illi ergo in dubiis ſunt nobis potiſſimum conſulendi,qui vel exercitio vel ſenio plurima cognovere. Ad hoc etiam nos ſuo in Cantico Moſes hortatur,dicens:Interroga patrem tuum,& annunciabit tibi; majores tuos,& dicent tibi.Igitur Hollandiam Romani longa ante Chriſti tempora Bataviam, quod profunda & infera videbatur,vocitabant. Nam Batavia inſularis eſt provincia,bicorni Rheno concluſa,qui vtraque ex parte ſe Oceano immergit. Hoc ipſum & Iulius Cæſar quã maxime affirmat; qui in Commentariis ita ſcribit: Moſa ex Vogeſo monte profluens,in finibus Lingonum,qui ſunt in Galliis ſupra Helvetios (ne omnino verbis ejus tenear) & quadam parte Rheni receptus, quæ VValis dicitur, Inſulam efficit Batavorum: neque longius ab Oceano millibus paſſuum octuaginta in fretum influit. Hunc quidem locũ omnes qui in Cæſarem ſcripſere commentatores interpretantur de Batavis qui nunc Hollandi appellantur. nec injuria, neque abſurde. Si enim hos Iulij paſſus in noſtra milliaria redigere voluerimus; procul dubio vndecim circiter conſtituent. Quod profecto ſpatium a Gorico civitate,ubi VValis deſinit, uſque in Oceanum, juſto reſultat calculo. niſi quod aſſidua forſitan maris alluvione nonnihil terrarum a Cæſaris numero nunc videas diminutum. Bataviam igitur recte dicimus, teſte Iulio,ibi incipere,ubi VValis in Moſam decurrit uſque in Oceanum, per octuaginta paſſuum millia. Bataviam itaque affirmant Hollandiam eſſe,longe diſcrepantem a Betua, ſive Batua, quæ Sicambrorum hodieque eſt; & a Bethaſia, quæ Eburonum eſt,cis Rhenum ad utramque Moſæ fluminis ripam;de quibus ſupra ſatis meminimus. Quidquid ergo

Lib. 4.

terrarum

terrarum brachio Moſę in fronte, ubi VValim excipit, & brachio Rheni a tergo prope Doreſtadū interjectum protenditur utrinq; uſque in Oceanum, Batavia eſt. At non continuo omnem Hollandiam dixerim Bataviam; neque rurſus omnē Bataviam eſſe Hollandiam. quandoquidem & pars Trajectinæ diœceſis, nec forſitan minus Geldriæ. ſi quid ad eam pertinet quod a Moſa juxta Goricum protrahitur, vſque dum venias Doreſtadum, ubi Rhenus a tergo Bataviam alluere incipit. quod profecto in ſingulis Hollandia non eſt. Ad horum omnium aſtipulationem Raimundum Marlianum, virum ęque præclarum & haud vulgariter doctum, adducimus, ita ſcribentem in Indice Commentariorum Cæſaris, & maxime earum rerum quas ad cognitionem urbium, fluviorum & locorum invenit: Batavi, inquit, populi ſunt inter Belgas. Nam Moſa flumē qua parte ex Rheno, fere ab Oceano octoginta millibus paſſuum, fluit, qui VValis appellatur, Batavorum efficit Inſulam. Hi hodie Hollandi vocantur, diœceſis Trajectenſis, propinqui Friſiæ, & Ducatui Gelriæ, ſuntque mari Oceano finitimi. Cui profecto ſententiæ accedunt recentiores quidam, ſed viri æque doctiſſimi, Ioannes Tortellius, Beroaldus, Raphael Volaterranus, & noſter Gaguinus. Quocirca obſecro hic nobis pauliſper ſubſiſtere liceat, & hac ipſa luce clarius demonſtrare, quam abſurde illi deſipiant qui Batuam pro Batavia intelligi volunt. Sed obſervandum hujuſmodi fuerat, teſte Quintiliano, ne id quod ſimilitudinis gratia adſcire nituntur, aut nimis obſcurum ſit, aut ignotum. Batuæ enim principium ibi temere ponunt, ubi ferme ad quatuor milliaria VValis nondum a Moſa excipitur. numerumque Cæſaris, quo octoginta paſſuum millia colligit, cauſantur eſſe depravatum. Verum hoc illis pro tam brevi ſpatio ingenue condonaremus, ſi non omnes Geographi (ſive Ptolemæum, Dionyſium, ſive Pomponium cites, alioſque innumeros) deſcriberent ſingulas terrarum nationes

ibi desinere,ubi magis magisque Oceano appropinquant. Omnesquippe fluvij ad mare magnū veluti in antiquum chaos & matrē aquarum omnium relabuntur. Rursus ibi terrarum ponuntur initia,vbi remotius a mari dispariantur. At nescio qua isti temeritate hoc infere & in caudam (vt cum Propheta loquar) quod illi supere in caput locitant. Rectius igitur Iulius auctoresque ceteri nostram statuerunt Bataviam , qui eam ibi asserunt incipere vbi VValis a Mosa excipitur,& inde in Oceanum vsque per octoginta passuum millia in fronte protendi. & in tergo quoque a Rheno exceptam,tandem per centena passuum millia,prope Cattos æque in mare deduci. Venumenimvero hunc protinus adversarij nodum rumpentes,novam sibi concinnant technam,& aliud (ne Geographis,vt diximus,adversentur) Bataviæ suæ quærētes principium, Plinij centenarium in passibus numerum congeminant,vt Lobecam saltem pertingere detur , vbi manufacto Mosa alveo VValim incurrit , hicque Bataviæ suæ initium nituntur reponere. Porro hi Cæsaris verba atque sententiam haud recte videntur trutinare, qui proculdubio ibi fatetur Bataviam incipere, non ubi Mosa VValim, sed vbi VValis Mosam influit. Credimus vel tandem nunc illis ista sufficere, qui nostrā Bataviam facere suam enituntur. Sed littus arant, laterem abluunt, frustraque laborant; nisi forte aut novam sibi creare volunt aut somniare Bataviam. novum præterea effodere pelagus in quod se Rhenus exoneret. novam in [a] aspera aut alibi properabunt forsitan erigere Pharum, quę navigantibus suis per noctē inserviat facibus. Hæc modo de Bataviæ nostræ solum dixerimus fronte, qua per Mosam in Oceanum deducitur. quid si ad tergum ejus pergamus, quod Rhenus alluit? Vbinam, obsecro, hi Batuani reponent sibi Doresta-dum, olim civitatem Batavorum maximam? vbi Trajectum, Arcem Antoninam, & nunc Batavorum metropolim, nostrorumque sedem Pontificum relinquent? vbi denique (vt interim

a *Forte* Aspera. Asperen.

interim interiora ejus viscera, Veteres scilicet aquas, Bello- Oude-
portum, Goudamque meam, & Delphos transeam) tot pro- water.
pter Rhenum vicos arcesque sitas, & Arcem Romanorum, Schoon-
grande Neronis opus. Igitur aut hæc quæ recensuimus loca in hoven.
sua nobis quam somniant ostentēt Batavia; aut certe suo erro- Room-
ri probe consulentes, in nostra hæc omnia nobis relinquant burg.
mirenturque Batavia. At de his hactenus. Mavelim equidem nostra ingenue defendere, quam aliena satyrice refellere. Neque enim hoc nostrā decet ætatē, neque vitæ institutum. Omissisitaque hic blateronibus & plagiariis, cupientes benevolis atq. amicis (quoad ejus per nos fieri potest) haud segniter satisfacere, alterum in rem nostram producemus testem, itemq. & tertium, vt nihil ambigui relinquatur. Accedat igitur Cæsari Plinius ipse; cui merito adhibenda fides, quod Romanæ classi præfectus nostra fere flumina enavigavit, & res Germanicas viginti & amplius libris descripsit. Si tamen vetustissimus codex, quem Parisijs apud Victorinos legi, non exorbitat. Is præterea Plinius est, quem qui non legit, censetur indoctus: qui lectum fastidit, indoctior: cui denique non sapit, indoctissimus. Nec omnino in tanta literarum jactura naufragamur, quamdiu nobis superstes est Plinius. Is itaque talis tantusque auctor ita de nostra scribit *Lib. 4. cap. 15.* Batavia: In Rheno autem ipso, inquit, prope centum millia passuum in longitudine est nobilissima Batavorum Insula, & Caninefatum, & aliæ Frisiorum, Caucorum, Frisiabonum, Sturionum, Morsaciorum. quæ quidem Insulæ sternuntur inter Helinum & Flevum. Ita appellantur ostia, in quæ effusus est Rhenus, ab Septentrione in Lacus, ab Occidente in amnen Mosam se spargit, medio inter hæc [a] Choro modicum nomini suo custodiens alveum. Hæc Plinius. Cui e vestigio, priusquam aliis distrahamur, Cornelium Tacitum jungemus, nostram in hoc veram Bataviam describentem: Batavia, inquit, Insula

a *Alij,* Chorum versus, *alij,* ore. *Historiarū lib. 4, 3*

quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera ejus circumluit, & tempore hyemali aquis obtegitur. Quibus ex verbis hoc breviter citra omnem injuriam inferre possumus, vt si qui nobis Bataviam præripere gestiunt, doceant inprimis necessum sit, Caninefates sibi esse finitimos, urbemque ipsorum nominatissimam, & ipsis etiam Ægyptiis atque Heliopolitanis formidatam; Herlemum nunc dicunt, olim Bacchi sylvam vocitabant. Deinde vt inter duo Rheni ostia (Helinum dicimus & Flevum) demonstrent sese contineri. Postremo, nihilominus in fronte ab Oceano se ablui, æque nobis declarent. Sed quoniam hæc omnino præstare non possunt, quia neque Caninefatibus sunt proximi, neque Helino complectuntur & Flevo, neque ab ipso mari affluuntur, nobis cum pace Bataviam quæso relinquant. Nisi forte ingenita sibi pertinacia dicere pergant, Hollandiam prorsus olim terram non fuisse, sed nuper novam cum cæteris prodigiosæ eruptionis insulis e pelagi visceribus emersisse. Verum hanc ipsorum hallucinationem, scotoma, & vertiginem facile medicabimur, si, qua ratione olim Rheni cursus apud nos sit obturatus, in medium adferamus. Omnis enim contentio eorum & controversia eatenus tendere videtur, & alibi Bataviam quærere: quatenus non aspiciunt nos in tergo, vt olim, a Rheno allui.

Caninefatum caput.

Herlemum Bacchi sylva.

Pluri-

Plurima temporis morbo ita ab hominum obliterari memoria, vt ne illa quidē olim fuisse certo constet. De ostio Rheni obturato, ubi primum nostram Bataviam ingrediebatur. De Arce Britonum in Catvvico excisa. deque ejusdem telonio in Leidas translato, cum omnibus emolumentis & juribus ad usum Principum Cattorum.

CAPVT V.

INnumera possemus super his adferre testimonia, quæ nostram nobis jure Bataviam restituunt. Sed quoniam hæc satis e re nostra, & benevolis credimus sufficere, ad viciniora nostræ ætati tempora descendere properamus, & Rheni nostri alluvionem haud temere obturatam recitare. Meatum itaque fluminis Rheni, qui ab oppido Rheno propter Doreſtadum a tergo nostram Bataviam usque in Oceanum perpetuo decursu alluebat, hoc modo obstructum esse haud semel ex vetustissimis Trajectinorum Chronicis legimus. Tempore enim Hungeri (qui vndecimus a V Villibrordo prę- *Circa annum Christi 860.* sidebat Episcopus) cum Dani, juxta Sancti Frederici prophetiam, Trajectum totamque Hollandiam hostiliter devastassent, visæ sunt in cœlo stellæ inter se concurrere, fulgura Iovisque tela acrius stridere; flumina supra modum augeri & excrescere. quod utique non tantum ad præsens damna inferre, verumetiam & aliqua significare futura Isidorus testatur. Quid multis? tanta Circio diuscule flante facta est ex Catvvico versus Leidas maris inundantia, vt ad Trajecti mœnia pisces marini caperentur. Sursum quoque Rhenus tum grandi pridem nive perauctus, veterem secum Iordanis adducens tragœdiam, conversus est retrorsum. Qui, dum (concertantibus invicem aquis ventorum violentia) in mare

deſcenſum non haberet, omnem, propere egreſſus ripas, invadit continentem, mox pecora involvens & homines, triſtem ubique ſui excurſus relinquebat imaginem: ita ut etiam ipſa Sicambrorum Batua Deucalionis ſeculum lugeret innovatum. Tum arbores ſylvæque propter marini gurgitis ſalſedinē arefactæ, tandem effractis viribus, ventorū turbine ſunt diſiectæ. Quas ad hanc quoque diem vidimus apud Veteres aquas alibique e terræ viſceribus erui, & cuneis inſciſſas ſarciendis domorum tectis regulatim coaptari. Hoc igitur malo afflicti, & animo conſternati omnes qui circumcirca morabantur, Batuani ſcilicet & Trajectini, Batavi quoque & Hollandi, ſibi poſteriſque ſuis de majore periculo proviſuri, deliberato diu cenſuêre decreto, vt ab vrbe Doreſtado ab utraque ripa, modici amnis a Rheno deorſum Viennam verſus ſtillantis (Lecam dicunt) aggeres conſtruerent, & in eos effoſsis ruderibus, manufacto meatu, Rheni fluenta deflecterent. Quod & unanimi ſtudio, ardentique opera, & plurimis denique impenſis pro communi utilitate elaboratum eſt, & efficaciter abſolutum. Qua ex re quoniam & aſcendentibus e pelago nautis, & rurſum e Rheno deſcendentibus in mare, commodior via, & quidem compendioſiore tractu, adolevit. paulatim prior ille meatus Rheni, tum pridem interceptus & obſtructus, adeo cum tempore evanuit, vt ibi jam boves paſci videas, ubi olim (maxime inter Doreſtadum & Trajectum) videre licuit natare carinas. Ita Rhenus & nomen apud nos & flumen amiſit. Quamquam deſuper VVoirdenū, Arcemque Godefridi Præſulis, tenui alveo, deinde paulo effuſiore Leidas ſubintras, jam prope Rynſburgum, haud procul a Regali ſacrarum Virginum Abbatia, facit ſtationem, quod dudum ſuperne obſtructo eius antiquo meatu, ſcopuli etiam in Catvvyco, vbi pelago influebat, redintegrati ſunt. Et ne hoc quidem ſolum a noſtra ſublatum eſt memoria, verum etiam Pharus illa & turris ſpeculatoria, quam in littore Oceani prope Cat-

Oude-water.

Vlamen. de Lecke.

pe Catvvycum olim Caius Caligula Romanorum Imperator posuerat, vt per noctem, facibus incensis, navigantibus inserviret, ita prorsus evanuit, vt ne illam quidem olim ibidē stetisse jam credamus. Et quid est in vniverso orbe quod non obliteret vetustas, aut temporis morbo intereat, si non literis commendetur? Verum longe alia hujus Phari destruendæ visa est ratio, atque adeo sine omni utilis detrimento & honesta, vt ne possessori quidem doleat eam amisisse. Nam, vt paulo altius repetā, hanc Arcem a Romanis Imperatoribus post Caium Caligulam & Claudium, Iulius Paulus & Claudius Civilis fratres possidendam acceperant; quod hi patre quidem Batavo, sed matre Romana essent progeniti, majorū suorum more bicornis lunæ signum in armis deferentes. Hi igitur horumque posteri, ex hac Arce Britonum (ita appellata quod ab ea facillimus in Britanniam ex opposito esset transitus) piraticam exercentes, vectigalia ab omnibus Rhenum intrantibus & exeuntibus accipiebant. Sed ne ista quidē sufficiens fuit Arcis diruendæ causa & occasio, quoniam non suis sed dumtaxat alienis hæc gravamina imponētes, patriam fortiter præclarisque facinoribus defensabant: ita vt [a] tam apud Danos omnesq. maritimas nationes haud ignaviter celebres haberētur. Si quid enim apud finitimos super negotiis pelagi natum esset quæstionis, aut quoties in commune consulto opus erat, ad istos qui tum Arci præsidebant legati mittebantur, contempto Batavia omnisque minoris Frisiæ Domino & Comite. Quod molestē satis ac ingrato animo ferēs Comes, quia nullius apud exteros pretij haberetur, Dominū VVassenarium, Cattorumq. Principē, qui tunc Arcem regebat, accersiri ad se jubet, sortemque suam apud illum deplorans, petit juri sui & Arci lubens ei cedat, & in Burggravium Leidensem Præfectumq. cum solitis Rheni vectigalibus eum constituit: traditq. Castrū quod ibidē bicorni gurgite Rhenus circumfluit, opus quidem rude & sphæricum, sed munitissimum

Iulius Paulus & Claudius Civilis fratres.

Buttenburg/ sive t'Huys te Britten.

[a] tum.

Heroum VVassenariorum auctoritas & dignitas.

de Burgt tot Leyden.

mum, ſi defenſorem habeat. Tanta inſuper eſt porrectum ad cœlos altitudine, ut omnibus civium tectis facile ſupereminеat; habensque ſubinde, quaqua verſum velis, proſpectus aptiſſimos. Intra hujus ambitus puteus eſt mira profunditate, raram tamen continens aquam, ſed dulcem & limpidiſſimam. de quo inaudita & incredibilia fabulantur. In planitie vero & circuitu (quo ad utrumque Rheni brachiolum opertus eſt tranſitus) fructiferis conſitum eſt arboribus & vinetis, vt alteram non deſideres Paradiſum. Hanc modo Arcem dominus meus & amicorum ſinceriſſimus Petrus Brunus, Canonicorum Sancti Pancratij Decanus, vir ſingulari eruditione & doctrina, legumque & canonum longe peritiſſimus, ad ſuas ſuorumque delitias ſub annua excolit penſione. Hæc igitur, vt dicere cœperam, Caſtrorum commutatio, & noſtri Comitis provida conceſſio ad hunc uſque diem jure hæreditario Heroibus VVaſſenariis perſeverat; & perpetui omnium quæ per Rhenum importantur portitores ſunt inſtituti. Tanti ſuam Comes patriam habuit, vt & aliis omnibus poſthabitis ejus gloriæ conſuluerit, & vaſallo ſuo nihil emolumenti ademerit. Porro obfirmatis ſigillo pactis, Caſtrum illud apud Cattos (Arcem Britonum dicunt, quod ab ea directus in Britanniam erat tranſitus) mox dirui Comes juſſit: & priſtinam apud exteros noſtra ſuſcepit Batavia dignitatem, notitiam, & honorem.

Veterum verbis, auctoritatibus, & dictis facta & opera ſubjunguntur; ut qui verbis nolint credere, vel operibus ipſis credant, quibus Romani irrefragabiliter atteſtantur Bataviam quam maxime Hollandorum eſſe.

CAPVT VI.

OPeræpretium nunc eſſe arbitror, Reinere virorum omnium candidiſſime, his veterum auctorum teſtimoniis & verbis opera ipſa & facta conjungere; & Romanorum monu-

monumenta in medium adducere, quibus noſtram, atque adeo noſtram illuſtrarunt Bataviam, vt alteram nemo qui vel hominem agit cupiat inveſtigare. Quibus nimirum hac ipſa luce clarius poterit cunctis irrefragabiliter eluceſcere, Bataviam ipſam non Sicambrorum, ſed quam maxime Hollandorum eſſe provinciam. Videre enim mihi videor, nonnullos ea comparatos eſſe natura, vt ipſis etiam Iudæis reperiantur duriores, qui abſque prodigiis & ſignis non coluere Deum. Accipiant itaque hi ſigna evidentiſſima, & in rem noſtram atque ſententiam venientia, quæ hodie extant, & cernuntur, quæ quotidie compaginantur, & leguntur; vt ſi non Hiſtoricorum verbis, certe ipſis fidem adhibeant factis, & lapidibus inſculptis; per quos ipſi Romanorum Cæſares nos credere compellunt, partium Hollandiæ Bataviam eſſe. Anno igitur ſalutis noſtræ ſupra milleſimum quingenteſimo ſecundo inventa ſunt obiter aratro humum proſcindente, prope Leidas ad jactum ſagittæ ab ipſo Rheno, vetuſtiſſima Romanorum monumenta, grandibus inſculpta ſaxis, cum circumferentia ad quadrum & fundamentis magni Palatij. Cujus ſane muri ſenos in latitudine, ducentos in longitudine pedes habebant; & in ſingulis ejus quadraturæ angulis ſingulas opere ſphærico miræ amplitudinis turres. Inter cætera, vt breviter curram, hujus Romanorum Arcis ruinoſa, & plurimas forſitan fide majores reliquias (ſi oculi fallerentur) duo præcipui & grandes inventi ſunt lapides, qui Romanis inſcripti characteribus hoc continebant:

Batavia Hollandoriũ provincia, non Geldrorum.

Antiquæ inſcriptiones in Batavis anno 1502 erutæ, tot Room. burg.

Scriptura ſculpta in primo lapide:

SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG.
IMP. TRIB. POT. VIII. IMP.

Hoc eſt:

Severus Pius Pertinax, Auguſtus Imperator, Tribunitia poteſtate, octavum Imperator.

Alia ſcriptura:

AVG. PIVS. PONT. MAX.
P. L. SEPTIM. SEVER.
COH. XV. VOL. P. P.

Hoc eſt:

Auguſtus Pius Pontifex Maximus Publius Lucius Septimius Severus Cohortis quintædecimæ Voluſianæ, aut *Volſcorum.*

Sculptura & ſcriptura ſecundi lapidis:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS AVG. ET. M. AVRELIVS ANTONINVS CAES. COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM. VETVSTATE. CONLAPSVM. RESTITVERVNT. SVB. VAL. PVDENTE. LEG. AVG. PR. PR. CVRAN. CAECIL. BATONTE. PRAE.

Hoc eſt:

Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Auguſtus, et Marcus Aurelius Antoninus Cæſar, Cohortis quintædecimæ Volſcorum, (vel *Voluſianæ*,) *Armamentarium vetuſtate conlapſum reſtituerunt, ſub Valerio Pudente Legato Auguſtali, Præfecto Prætorio, curante Cæcilio Batonte Præfecto.*

Mirum itaque ſi non miremur tantam Romanorum erga Batavos ſocietatẽ, gratiam & amorẽ; apud quos non obſtantibus tot terrarum ſpatiis, tanto ſuum Armamentarium labore opera, & impenſis inſtaurant, curante Cæcilio Batonte Batavorum Præfecto. Quæ quidem reparatio, ſi diligenter rem & tempus inſpicere volumus, facta eſt ſub Romano Pontifice Calliſto primo, qui omnibus Deo ſacratis clericis

&

& ſacerdotibus continentiam indixit, circa annum Domini CCXXI. Primam tamen ejus fundationem nuſquam adhuc legimus, neque ſupremam ejus devaſtationem; qua profecto ita ſub terris obrutum eſt, vt nemini noſtrûm antea conſtiterit quicquam ibi latuiſſe, vbi nunc tandem hæc ejus Arcis celeberrima Romanorum inveniuntur monumenta.

Sculptura & ſcriptura ejuſdem lapidis in hac pagina. nam habet quatuor pedes in altitudine, & ſenos in latitudine, poſitus ad introitum anterioris portæ. Vidimus, compegimus, & legimus:

S. NERVAE. TRAIA. CAES. GER.
DACICO. TRIB. P. PP. CONS. V.
LVCENSIVM. PRAEF. TRAIANO
TRIB. PO. LVCENSIVM.

At forſitan ad hæc inferet Batuanus noſter, & dicet: Quid ſibi hæc omnia, ô Aureli, ad tuam Hollandorumque Bataviam? An vero quoniam in hac inſcriptione legis CVRANTE CAECILIO BATONTE, ad Batavos continuo referes? Minime inquam. Abſit, abſit hoc a me; nec quiſquam credat velim tam hebeti me eſſe ingenio, tamque ſcrupuloſum vt iis me cavillis occupem. Non enim in angiportu ambulamus, prætorias & conſulares ingredimur plateas, arceſque Romanas. Reſpice igitur & legito quæ proxime ſequuntur,

& quidem maximis in hanc formam ſcripta characteribus:

GENS BATAVORVM, AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Hæc facile inſcriptio ibi quam maxime declarat eſſe Bataviam vbi olim ſtetit & nunc tandem noſtra ætate reperta eſt. Credo igitur te, quiſquis es, & tantis teſtibus & tantis rerum monumentis ita obrutum, confutatumque eſſe ipſa etiam veritate, vt nihil poſthac repugnare, nihil ultra quærere merito debeas.

Epigramma tumultuarium & extemporale in eundem.

Hiſcere num contra perges? Non, cedere fas eſt.
Credere & his veteres quæ poſuere patres.
Si tibi profuerint quæ ſcribimus; ito, valeque:
Sin minus, eſt mecum pugna gerenda. cave.
Saviet Aurelius, grandemque[a] ardeſcet in iram
Carmine, bile, ſtilo, Theſpiadumque manu.

[a] vel *exurgat.*

Invocat auxilium omnium literatorum.

Arma huc o Muſæ, vos huc Heliconides arma
Conſerite; inque ſpatas perfidus hoſtis eat.
Ferte arma Aonides, ſi non reſipiſcere curat,
Pellite eum e caſtris, fiat aſellus iners.

Batavus

Batavus ad Batuanum.

Horum acies ponenda tibi: iam iamque videbis
Me cataphractatum, qui pedes ante fui.
Aut cede, & noſtris tandem conjungere caſtris,
Aut metue, & fugito. Nam tibi tela paro.

De Batavorum virtute, fide, & gratia apud Romanos.

CAPVT VII.

INventa demum citra omnem controverſiam Batavia: quanto eam habitatores amore coluerint, quantaque illuſtrarint virtute, nunc pariter audiamus. Cornelius quem Tacitum cognominant, de loci ejuſdem incolis, ſua quidem ſententia, ſed noſtris nobis loquatur verbis. Qua videlicet in hoſtes virtute, qua in amicos fide & gratia, quo denique in patriam amore fuerint, quam pauciſſimis repetemus. Nam mores & vitæ eorum inſtituta proprium ſibi codicem poſtulant & morantur. Arcem igitur illam (cujus jam jamque monumenta, &, vt verius dicam, reliquias & fragmēta oſtendimus) Vitellius inferioris Germaniæ ſub Nerone Princeps gubernans, cōmuniter & pacifice cum Batavis agebat. Claudium Civilem gentis primorem charum habebat ex animo, eratque viro comiter inclinatus. Præterea omnibus civiliter præeſſe, cum æqualibus curſu certare, jaculari, obequitare, venari, cunctiſque gratus eſſe. Cujus rei gratia, ſuorumque precibus, Civilis, vir ſane quam Regia ſtirpe, noſtraſque, provocatus, filio Romani Principis filiam ſuam dedit vxorem. ea demum ratione, vt communibus populi ſui rebus ingenue conſuleretur, & pacem cum Romanis perennem haberet; Hoc Latini fœdere non parum erecti, cœperunt in terra non ſua nequiter agere, genium vino jociſque curare, colonos

Claudius Civilis.

lonos opprimere, incautis insidiari, aliena rapere & calumniari. Deinde, quæ sua illis natura est, studere avaritiæ, luxuque omnia fœdare; impuberes forma conspicuos, &, quæ plerisque nostratium est, procera pueritia, in naturæ dedecus ad stuprum trahere, & ingenuam juventutem ad delectum vocitare. His citissime Claudius cognitis, suorumque fortunæ miserens, & ab infandi sceleris haud minime abhorrens turpitudine, primores gentis suæ, & promptissimos quosque vulgi, quasi specie epularum, Sacrum in nemus vocitabat. Vbi quum eos mero & lætitia incaluisse videt, a gloria laudeque patria orsus, injurias, raptus, & cætera servitij mala enumerat: neq. sese jam a Romanis socios, vt olim, sed tanquam vilia haberi mancipia. Insuper instare propediem delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, mariti ab vxoribus veluti supremum dividantur. Emori præstare per virtutem, quam hanc miseram vitam atque inhonestam, vbi alienæ superbiæ ludibrio simus, diutius sustinere. Magno cum assensu auditus Civilis, vniversos sibi adigit. Missi ad proximos Caninefates sunt qui consilia sociarent; statimque accitis Frisiis qui mox navigiis ad Arcem Britonum appulerant, repente Civilis arma rapit; idemque cæteri fecere. Quid multis? Incautum Vitellij filium (nam ille tum agebat Maguntiæ) nec de commeatu satis provisum, vt qui amicitiæ gratia nihil tale suspicaretur, in castro (Arcem dicunt Romanorum) prope Leidas inopinata premunt obsidione, & hostiliter circumvallant. Præses, ejecto post alterum diem ab Arce nocte concubia nuncio, patri Civilis temeritatem scribit; qua neque staret conventis, neque geniali thoro quicquam deferret; oratumq. mittit, vt si sibi suæq. posteritati bene consultum esse cupiat, sine mora descenderet liberare filium suum strictissime obsessum. Nuncius in itinere Trajectum versus a Batavis interceptus, ad Claudium reducitur; literas rogatur, & offert, omneque negotium coram profitetur. Tum Civilis

Sacrum nemus, Schakēbosch *vulgo putatur, quasi* Sacrenbosch.

Reomburg.

Civilis ad Præfidis tabellionem ita refert, dicens: Ecce literas domini tui integras tibi reddimus; Vade ocyus, ne fteteris. extremum enim Vitellij periculum ſimulque noſtrûm nunc agitur. Interea auſpicandum nobis eſt, vt qui plurimum debemus virtuti, quid etiam fortunæ, ſi adſit, debeamus innoteſcat; quam nemo vnquam mortalium diu in poteſtate habuit. Hæc & alia hujuſcemodi vbi Claudius dixerat, poſt Præfidis nuncium, & ipſe verſus Vbios & Rheni accolas mittit, orans vt ſaltem Vitellii iter & deſcenſum ſuo equitatu retardent, & tranſitu coërceant. Nam tum Colonienſibus etiam hoſtis erat. Se interim ſuo periculo in commune libertati conſulturum: ipſum ſe hujus præclari facinoris caput & principem gerere: neque militarem ſine duce turbam aliud quicquam eſſe quam corpus ſine ſpiritu. Quare ſibi inprimis capta oportunitate conſulerent, deinde amicis in neceſſitate non deeſſent. Vnam omnium eſſe ſententiam, Romanos omnes e Germania propellere, libertatem natura omnibus etiam mutis animantibus datam, virtutem vero proprium hominis bonum, Deoſque fortioribus ſemper adeſſe. Audita eſt hujuſmodi Civilis oratio ab Agrippinenſibus cum omnium ſilentio & aſſenſu, ttanſitumque Vitellianis non permisêre. Interea Præfectus Arcis Romanæ (quam tum Claudius noſter cum ſuis occupaverat) ſpe venturi patris deſtitutus, ac interim annonæ attritus inopia, ſe ſuamque ſupellectilem pacto redimens, Arcem Civili aperuit; ſicque noſtris nullo ſanguine & vulneribus victoria ſtetit. Deinde confeſtim duarum cohortium hiberna proxime Oceanum irrumpunt, nomenque Romanum quaqua verſum ab Inſula ſua propellunt. Nullum etenim mare tantos concitat fluctus, quantos multitudo libertate luxurians habet motus. Hæc ubi Romæ audiuntur, lugêre omnes, Vitellij injuria & libidine Batavos fratres & amicos Imperij a ſe tandẽ deſciviſſe. Quare mox illum juſſu Veſpaſiani accitum,

Tiberinis

Tiberinis immerſere vorticibus; quod ſuæ ſtudens avaritiæ, fidiſſimos Imperii ſocios, ſua etiam petulantia Imperio abrupiſſet. Ecce tanto Claudius Civilis pro patria ſuccenſus eſt amore, vt ſe vltro cum ſuis Batavis, eatenus periculo expoſuerit, quatenus deteſtabile crimen vlciſcens, de medio ſuorum tolleret. tametſi omnes ſui tributorum expertes erant, viros tantum & arma Imperio miniſtrantes.

Quæ Batavi Imperio beneficia præſtitêre, & quæ illis vicißim Imperium præſtitit.

CAPVT VIII.

GAude nunc igitur in ſinu, ô felix Batavia, quæ tales produxiſti viros quibus Romanum haud minime ſuſtentabatur Imperium; & qui rurſum in multis decorati ſunt ab Imperio. Tanti enim ab Imperatoribus priſcæ ætatis habiti ſunt, vt ſine illis nullum extra Vrbem armigeri Martis ſubire tentaverint periculum. Hi ſunt quippe Batavi, qui ablatam Neroni Italiam reſtituêre. Hi ſunt qui Veſpaſiano diu deliberanti, amicitiæ gratia Imperium adegêre. Hi ſunt denique Batavi, qui Heduos juxta Ararim fluvium & Arvernos populum Aquitaniæ inſtructiſſimo equite protrivêre. cum quibus olim ne ipſe quidem Iulius congredi audebat; quod aquis vndique ſepirentur, & innumera gauderent populi multitudine. Frequenter enim in Cæſarem circiter ducenta millia pugnatorum eduxerunt. At Batavi milites inperteriti & equites, præcipuo natandi ſtudio edocti, arma equoſq. retinentes, integris turmis noverant flumina perrumpere, & ab inſperato hoſtibus imminere. Per hos præterea Caligula & Claudius Imperatores Britanniam tributariam effecerunt. Per hos Galba, Otho, Vitellius, ſacri Imperij incubatores, profligati & repulſi. Per hos denique Lingones in provin-

provincia Lugdunensi, quos Vitellij motus turbaverat, in Imperatorum officio sunt retenti. Tam enim formidabile cunctis Batavorum erat nomen, vt grande viderentur momentum sociis, aut (prout inclinassent) adversis. quod & Martialis poëta & Domitiani culinarius testatur his verbis, dicens. *Lib 14. epigr. 176.*

Sum figuli lusus, rufi persona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora[a] pater.

a *Domitianus.*

Hæc Batavi, vt quam pauciſſimis plurima præteream, Imperio præstitêre. Nec mentiar, si dicere velim & congruis testibus asseverare, nunquam per orbem, tantum terrarum sub Regibus usque ad Tarquinij Superbi expulsionem Romano adauctum esse Imperio, quantum illi, victricibus armis, Batavi adiecere. Neque enim omnes ille veterum cruentæ victoriæ, & tantis emptæ calamitatibus, per ducentos ferme & quadraginta quatuor annos, tantum dilatare potuerunt Imperium, quantum illud suo tempore Batavi extendêre. Sed dices: Quid rogo pro his omnibus præstitit Batavis Imperium? Plurimum, inquio, per omnem modum. Inprimis tanto eos Romani honore & gloria, amore & benevolentia (quibus neque melius neque amplius in natura mortalium est) & quidem quam officiosissime prosequuti sunt; vt illos nullo modo a se divelli permiserint Quum enim Fabius Valens Præfectus Augustalis Batavos ab exercitu Romanorum dividere destinasset; quod paulo jactantius garrirent, omnem belli fortunam in ipsorum manibus sitam, quodque simul ex petulantia (vt plerumque fit) perfidiam suspectabat: mox mœrore socij Romani, fremere Legiones, orbari se fortissimorum virorum auxilio. Veteres illos tot bellorum victores, diuque exercitos, postquam in conspectu sit hostis, veluti ex acie abduc; clamitantes Batavos Imperij sanitatem, sustentaculum, robur & columen. ideo neque abrumpendos,

vt corpori validissimos artus. Cæterum tanta Romani Batavos fide & gratia donaverunt, vt suum inter eos erexerint Armamentarium, in rebellium terrorem, &, post plurima annorum curricula, illud vetustate conlapsum ad perpetuam mutui amoris memoriam instauraverint. Quid de præsidiis dicam, quæ in littore maris, ad tuendam sibi Bataviam ab incursu Barbarorum, olim posuerunt? Quid referam de aggeribus & collibus, quos tum in nostræ regionis fronte contra maris æstum, tum in tergo adversus Rheni excursum plurimis laboribus & impensis construxerunt? Quid denique loquar de Latinarum Schola literarum, quam ibidem ad Rhenum haud procul a castro (quod Arcem dicimus Romanorum) aperuerunt? Videntes enim Batavinam juventutem procera pueritia; acrique ingenio, si studium non deesset: linguam eorum suapte natura exsertam, vocalem, expeditam, & ad omnia habilem idiomata, & cui extremæ non excidunt tenuiter syllabæ, nec vox faucibus auditur, sed plano resonat pectore, sermoque profertur expressior: non potuere committere quin Romano eos instituerent eloquio, quorum industriam & linguam, sua tum eruditam, sibi adhuc vsui fore sperabant. Nam quoniam Batavia portuosa est, & mare ei apertum, quo ad omnes facillima navigatione pervenias nationes: credebant Romani; in nullo sibi vtilius consultum iri, quam vt Batavorum pueros bonas artes omnemque civilitatem edocerent; vt vtriusque linguæ suffragio facilius ad subjugandas ignotæ sibi linguæ nationes perrumperent; & Batavos, eorundē juvenum parentes, ea specie in officio arctius retinerent, quorum filiis tantam impendere curam videbantur. Tota namque Romanorum spes & fiducia totius Germaniæ in fide conservandæ, a solis tum visa est Batavis propendere; qui jam diu Germanorum bellis erant exerciti. ne si illi forsitan ab Imperio desciscerent, reliquæ Teutonum, imo & Galliarum, nationes mox sequerentur. Nec multum abfuit,

Armamentarium Romanorum in Batavis.

Schola antiquitus prope Leidas.

abfuit, ſi non frequenter cum illis Romani Principes diſſimulaſſent. Propterea enim, & quidem quam maxime, Iulius Civilis præpotens inter Batavos periculo exemptus eſt, vt non cum Pompeio Belgicæ procuratore & Iulio Burdono Germanicæ claſſi præfecto morte abriperetur. Cauſam rogas? Ne ejus ſupplicio (inquit Tacitus) gens ferox Batavorum a Romanis alienaretur. Tam formidata Romanis Batavorum virtus, tamque accepta fuit eorum fides & conſtantia.

Hactenus ex reconditiſſimis Veterum archivis, vere de vera Batavorum regione, potentia, ſocietate & gratia cum Imperio, ſatis dixerimus. Reliquum eſt, vt nunc de noſtræ Inſularis Bataviæ felicitate, quæ inter duo Rheni brachia ſita eſt, perpauca dicamus. Hæc gemina Rheni oſtia Plinius Helinum vocat & Flevum. Illud prope VValachriam, extremam Rheni & Selandiæ Inſulam, Oceanum petit. Iſtud vero circa Herlingum, celebrem Friſiorum portum, & proxime Scellingiam in mare præcipitatur.

Vide infra finem libri ſecundi.

CORNELII AVRELII BATAVIAE sive DEFENSIONIS GLORIÆ BATAVINÆ,

LIBER SECVNDVS.

Quem ipse Auctor inscripserat, Elucidarium variarum quæstionum super Batavina regione et differētia.

OPtatissima nobis est, mi Reinere virorum omnium candidissime, tuæ flagrantissimæ voluntatis institutio; qua pridem animo destinasti, mutua Epistolarum vicissitudine, quod corpore separamur, in literario mecum stadio velitari. Conditionem, fateor, pro mea virili, & quidem amice fideliterque, admitto. At cave tu interea, amicorum sinceriſsime, ne contra te Carneadem provocasse doleas; dum (quod forsitan quam fieri poterit breviſsime) tuarum quæstionum nodos cupis dissolvi; multo ille ocyter longiore quam æquum est oratione, ex ea quam ei facile tribuis dicendi copia, tuas aures defatiget. Nec te Daretis quidem ac Entelli oblitum esse velim, barbatique Hieronymi dicentis: Bos lassus fortiter figit pedem. Cave itaque tibi, ne dum pressius aliquando humi vestigia fixerim, tuas dolenter obtrivero plantas. Verum hæc interim more nostro familiariter jocati sumus. Tuæ enim charitati morem gerere, quoad ejus per me fieri potest, gratissimum habeo. Verumtamen in hisquæ flagitas non me agogum & ducem, sed socium & comitem lubens offero, polliceor, & spondeo. Cum igitur intelligam te magis ex aliorum ingenio, quam proprio (vt qui in tuis elaboratissimis Batavorum Comitum & Pontificum Historiis ne in minimo quidem a me dissentias) hæc ipsa dubitando proponere: haud molestum nobis fuerit, quantumlibet dabitur otij (nam diurni cogimur ex religione laboris pensum reddere) succisi va tem-

Reineri Snoyi Historia Hollandica.

va tempora tibi & amicis impartiri. Igitur, quoniam, teſte Philoſopho, dubitare in ſingulis non erit inutile, & nunquã ſine diſceptatione res dubias credimus eluceſcere, ad indagandæ veritatis prælia tecum accingimur. quam nimirum, ſi quid Ariſtoteli deferimus, ſine diſputatione quærentes, haud immerito comparabimus viris viam qua eant ignorantibus. Accedit & his verus fideliſque teſtis Hieronymus, ita contra Pelagianos ſcribens: Socraticorum Schola, inquit, conſueverat omnia adducere quæ dici poſſent ex utraque parte: vt magis perſpicua fieret veritas. Sed & Sacri nobis Canones in his non minime ſuffragantur, vbi legimus: Veritas ſæpius exagitata magis ſplendeſcit in lucem. Sicut enim in aquæ cyatho ſi guttam olei conjectam multum exagites, plurimos generat oculos; ita etiam variis quælibet res diſcuſſa altercationibus oculatiorem ipſam efficit veritatem. Quapropter Scholaſticis permittitur quandoq. ad ardentiſſimam vſque bilem diſputando contendere, vt vel ita rei veritas clarius eluceſcat. Sed jam in campum expedienda eſt acies. En acinace accingimur, ſepti armis, galeaque obtecti, haſtam in agrum conjecimus. Contortis vibranda eſt oratio jaculis, vt quacunque nudus fuerit hoſtis feriatur. Igitur, vt tandem ſtadium ingrediar, nihil ambiguitatis de Batavia noſtra tibi relictum eſſe, ſed omnifariam te noſtris aſtipulari ſententiis, ſcribis. Porro de Betua ſeu Batua, quam tu auctore Tacito Bethaſiam credis, non nihil a me diſſentire videris. Amo in te, vt verum fatear, hanc incredibilem atque adeo accuratam hiſtoricæ veritatis indaginem, & cumulatiſsimis vſquequaque eam extollere contendo præconiis; qua profecto nõ tuos modo labores, verumetiam mea ſtudia ab omnibus doctis & quidem benevolis commendatum iri procuras. Hæc eſt nimirum veritas quam tota Philoſophorum Academia quærit; quam præclara Theologorum Schola invenit; quam deniq. Sancta Religio plenarie, atque adeo vna poſsidet. Morem itaque ge-

Betua, ſeu Batua.

ram tuo, mi Reinere, deſiderio. modo tu viciſſim memineris duplicato me fœnore remunerandum. Sed quo id facilius poſſis, imo vt voluptuoſius, & quidem ſine labore atque diſpendio velis; nulla re alia opus erit, quam vt immortale Hiſtoriarum tuarum opus in lucem edas, & noſtræ parvitatis opuſcula, quæ tenui confecta ſunt Minerva, ſed tuo amori ingenue dicata, ſine faſtidio lectites, & in mutuæ charitatis argumentum ſine fine lecturias. Itaque vt ad rem nobis propoſitam demum pertingamus, breviter dicimus: Neminem Latinorum, qui Germaniæ deſcribunt Hiſtorias, de Betua (aut, ſi qui malint, Batua) feciſſe mentionem. Quapropter quæ olim de hac regione legimus, fideliter in medium proferemus. Quum igitur ante duo luſtra geminasque meſſes Pariſios reformationis gratia peteremus, Parlamentæa acciti auctoritate, & Patrum præcepto emiſſi; intravimus tandem obiter haud ignobile in Hannonia Cœnobium monachorum. vbi mox, cæteris comitum meorum ſeſe reficientibus, ſolus bibliothecã loci ab armario admiſſus conſcendens, inveni librum quendam pulveribus obſitum, & antiquiſsimo perſcriptum charactere, qui omnes Germaniæ Belgarumque Hiſtorias continebat. In hoc, quæ nunc de Betua, deque Bethaſia, & noſtra denique Batavia ſcripturus ſum, legi & collegi. Nam ibidem fere biduo propter aëris inclementiam hoſpitati ſumus. At de Betua primum quid hic legerim tibi literis mandare curabo. Igitur, Agrippinenſium Vbiorumque eccleſia ſuo inevitabili fato privata paſtore, cum jam circumquaque Arriana peſtis immineret, proviſum eſt Synodali Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ concilio (cui tum maxime Martinus Turonenſis præſidebat) vt Severinum, ſeverum hæreticorum in Aquitania oppugnatorẽ, eidem præficerent. Qui Patrum decreta humiliter ſuſcipiens, relicta protinus Burdegala Coloniam petit, vt munus ſibi ab Epiſcopis injunctũ ſagaciter exequatur. Hunc non ita longo poſt

Germaniæ Belgarumque Hiſtoriæ MS. Pariſius.

poſt tempore ſuorum quidam ex Aquitanica regione proceres ſunt conſequuti. Quibus vt apud ſe commanendi locum provideret, orat Severinus Brabonem Caroli ſeptimi filium, Pepinique primi Brabantiæ Ducis avum, qui tum Gelriæ & Hasbaniæ præſidebat, vt ſuis cognatis ſedem alicubi ordinet. Qui, Præſulis charitate devictus & gratia, Inſulam Rheni in Gelria eis conceſſit, & ipſe in Landeno ſibi manſionem ſtatuit. Hi itaque proceres cum terram ſibi a Brabone cõceſſam viderent eſſe campeſtrem & planam, facileque meabilem, Betuam ex ſitu loci vocitarunt. Betere enim veteres, bene & ſine moleſtia ire interpretantur. Quemadmodum etiam vbi in regionibus intra alpes & monticulos terra occurrit plana & campeſtris, eam continuo Campaniam appellamus. Ita in divinis reperitur ſcripturis, cum Martyrum memoriæ recenſentur, Campania Galliæ, vbi Rhemorum civitas eſt, quæ Francorum Reges ſacro initiat chriſmate; & Campania Italiæ, quæ nunc Terra laboris dicitur: quod hæc quondam loca, circumjacentium comparatione, non montoſa; ſed æqualia & greſſu facilia, paſcendiſque pecoribus apta eſſe cognoſcuntur. Quocirca multo omnium facillime poſſumus colligere, nihil de Betua Romanos olim ſcriptores meminiſſe; quæ id ſibi nominis tum primum accepit, cum Theodoſius Minor rerum potiretur. Deinde ab ea tempeſtate, & S. VVerenfridi temporibus, qui Catholicæ fide; radiis eam primus illuſtravit, in hunc vſque diem apud nos idem perſeverat nomen. Nihil tamen hæc Sicambrorum portio, quantula eſt, cum Bethaſia, neque noſtra cum Batavia commune habet. Et quoniam horum procerum (quos Sancti Severini cognatos memoravimus) alij ſuperne, alij inferne morabantur, vno ſub nomine Betuam ſuperiorẽ & inferiorem diſtinguebãt. Hanc in poſſeſſionem longo poſt tempore tanquam hæreditaria ſucceſſione VValgerus Princeps, & ipſe paterno genere Aquitanicus, cum Terſterbandiç Comitatu, propè Ticlam

Brabo.

Betuæ appellatio vnde fluxerit. Sed nugatur Auctor quiſquis eſt.

Campania.

d'Over-Betuwe cuđe de Neder-Betuwe.

VValgerus Betuæ & Teiſterbandiæ Comes.

VValgeri frater Theodericus Bataviæ sive Hollandiæ Comes.

Tielam commorans acceperat, priusquam frater suus junior Theodericus, a Carolo Calvo Francorum Rege, post Danorum incursionem, Batavia, nunc Hollandia, donaretur. Hæc de Betua interim, mi Reinere, tibi sufficere credimus. Porro de Berhasia, quæ priore libro Bataviæ gloriam tuentes scripsimus, tu ratissima habeto omnia, quoniam eodem ex fonte libroque memorato ea nostris tibi verbis accurate satis expressimus. Hæc enim Berhasia Mosanorum est regio, cujus, vt ipse nosti, meminit frequenter Tacitus. Hic milites Romani suas stationes & hiberna agebant, quod natio illa quasi medius Germaniæ Galliæque sinus videbatur; vt eo facilius Austrasiorum & Lingonum regna, quæ nunc Lotharingos & Burgundiones complectuntur, in fide & officio retinerent. Hic præterea, ne quid Imperiali deesset industriæ & cõmodo, Octavianus Imperator semper Augustus in honorem patris sui Octaviam vrbem haud procul à mari condidit, propter argenti fodinas in monte Vosago, salisq. fontes candidissimi. At mirum dictu, vbi tum mare propius atfluebat, ibi nunc, dum vorat & removit dira charybdis aquas, amplissimã plurimis passuum millibus continentem relinquit. vnde & nos versus Septentrionem suis vorticibus acrius invadit: tantaque facta est ab ea ætate vsque in præsens locorum & fluminum, morumque & hominum, apud Germanos, Belgas, & Batavos immutatio, vt nova prope indigeant Historia. Hactenus de Bethasia. Porro de nostra Batavia satis superque in priore libro commentatum esse arbitror. vbi tamen quod maxime dictum oportuit præteriisse me recolo. Dum enim omnem atque adeo vnam in Betavia describenda intorqueo mentem, alterum Rheni cursum, (vt vel gemina ejus brachia non prætermittam) quo ipse in Flevum tendit, non descripsi. Igitur quemadmodum, priusquam Leidas civitatem Batavorum longe omnium ædificiis & moribus ornatissimam Rhenus ingreditur, bicornis est; ita gemino juxta

Bethasia.

Octavia vrbs.

Rheni cursus in Flevum.

Leida,

gurgite

gurgite extra præfatam vrbem, relicto jam rure Lopſeno, prope ſui nominis Burgum, vbi nunc Regalis ſacrarum virginum eſt Abbatia, ſeſe diſpartit. Altero, quo per vtroſque Cattos Oceanum petit; altero, quo Caninefates Friſioſque interluens, tandem propter S. Athelbarti Regale Monaſterium, ſupraque Caſtrum, quod Rheni domum vetuſtas appellat, grandi ſinu in Flevum vſq. decurrit. In vtraque Rheni hujus ripa, ab eo ferme loco, quo Cattos Rhenanos deſerens, verſus Subſolanum in præfatum vſque tendit procurſum, plurima olim viſebantur caſtella, villæ, pagique populoſi, domus voluptariæ, quas a volucrum circumſtrepentium garritu Avium concentus vocabant. Hîc nemorenſes horti, deliciarumque monticuli, ſaltus innoxij, & omni ferarum genere offerti, fertiles agri & paluſtres, omnibus aucupiis & leporum cuniculorumque venationibus aptiſſimi. Hîc lacus piſcoſi, & torrentes refrigeratorij; ita vt alteram terreſtrem non deſideres Paradiſum. Hîc domus illa ſtabat tributaria, quam Danorum Rex ſubactis ſibi Friſiis ibidem erexerat; in qua Regalis Quæſtor cenſum quotannis ad jactum ærei ſcuti exigebat: de qua Grammaticus Saxo miranda ponit in Hiſtoria ſua quam De Geſtis Danorum accuratiſſime edidit. Poſt hanc lucus ſequebatur Baccho dicatus, vndique vitibus vlmoque conſitus. Ejus loci incolæ, Bacchiades olim, nunc Herlemij vocitantur. gens dura, ſed æqui tenax. vbi adhuc noſtra tempeſtate, cum nova erigendarum ædium fundamenta effodiuntur, certiſsime conſtat ad humani pene femoris ſpiſsitudinem veterum radices vitium inveniri. His præterea Prætoria accedit domus, & principale civilium cauſarum Conſiſtorium. quod tandem VVilhelmus Romanorum Rex deſignatus & Comes noſter Hagam tranſtulit; erecto ibidem mira magnitudine & Imperiali quodã ſplendore Palatio; in quo de patriæ cauſis & negotiis tractaretur; cujus laquearia & omnia tignorum ligna (mirabile viſu) neque

Lopſen. Eijnſburg.

Catwijcken. Leneburg. Weſt-Frieſen. Kinichê.

Vogeleſanck.

Regis Danorum domus tributaria.

Bakeneſſers in Haerlem.

Curia Hollandiæ Harlemo Hagã tranſlata.

caries aut putrilago corrodere, neque aranea ſuis fœdare telis cernitur. Huic in deſcenſu plurimę adjacebāt arces, domuſq. ſenatoriæ; quarum vel prima fuit Baronum de Lata virga, qui legitimā a primis Hollandiæ Comitibus progeniem ac ſtemmata ducunt: deinde Dominorum de Velleſona & Bevere-vico, Militum de [a] Hemerca vel Suthera, de [b] Gaſtrico, de [c] Limba, de Polanio, de Polenburgo, deque aliis pleriſque (modo nobis ſine nominibus) caſtellis & mœnianis. quæ jam partim vetuſtas, partim edax flamma conſumpſit. Poſtremo Rhenus exinde progrediens, & prope Alcmariam reflexo curſu, Veronam verſus (olim civitatem Friſiorum maximam, ſed a Batavorum Comite ſolo potenter æquatam) ad Eurum vſque grandi lacu procurrit. Tandem circa arcem domumque ſuo illuſtrem nomine, & vetuſtiſſimorū Dominorum de Egmunda monimentum (qui de ipſo Rathbodo Friſonum Rege trahunt originem) tutiſsimū aperiebat navibus portum, quæ de mari appulſo Batavos & Rhenanos ſuis cum mercibus adire cupiebant. In eum portum, primo Iuſtiniani Imperatoris anno, noſtræque ſalutis [d] D C LXXXVII S. V Vilfridus Lindisfarenſis Epiſcopus, Romam iturus, flante Favonio appulſus eſt. qui ab Aldegillo Friſiorum Rege, patre Rathbodi, & omni populo honorifice receptus, primus in Friſia Chriſtum per hyemē totam prædicavit, & complures fonte abluit ſalutari. In hunc etiam anno D C X C miſſus a S. Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo V Villebrordus, regnante in Anglia Catholico Rege Alfrido, & Præſule Coloniæ Alderoino, cum vndecim verbi Dei cooperatoribus, vt Friſiam converteret, appulit. Ab hoc denique portu Rhenus ampliore procurſu Herlingum pertranſiens, Flevum vſque, Sceldingam S. Brandarij inſulam attingit. Ecce dum aliud ab Helino Rheni brachium (quod Flevum dicunt) quærimus, forſitan opinione longius per varia terrarum ſpatia evagati ſumus. At nunc vel tandē ad propoſitas recurrat oratio quæſtiones.

Baender Heerē vā Bzeede-roede.

Illuſtres familiæ Hollandiæ

a Heemſkerck.

b Caſtricum.

c Limmē.

Alcmaria.

Verona.

Ginechē.

Egmundinorum Regia ſtirps.

d *Alij* D C LXXVII.

stiones. Nuper igitur dum cœnobitæ & amico erroris præcipitium adimere cupimus, nonnullis & ipsi videmur errasse. Scripsimus enim (nec inficias ire volumus) nostram ibi Bataviam incipere, non vbi VValis incipit, sed potius vbi desinit, aut certe vbi nomen suum perdit, id est, prope arcem quam nostra ætas Lovestenum vocat, haud longe ab oppido Gori- Loves stein.
co. Et vt audentius aliquid, sed non temere efferamus, dum veluti sub Dædalæo quodam typo nostram Bataviam describere, omnemque prorsus ambiguitatē explodere cupimus, tandem apertissime professi sumus, non ibi nostram initium sumere Bataviam vbi Mosa (manufacto brachiolo alvei quo Romanis brevior e Bethasia in Betuam & Noviomagū Imperiale præsidium transitus esset) ipsum VValim influit, sed vbi VValim Mosa excipit. At ista mihi plane proferenti substomachantur forsitan viri haud vulgariter eruditi, quod Augusto & Cæsari ausim contravenire. Atqui Aurelius concertet Iulio? Ille (vt forte lectitant) ibi dicit Bataviam incipere, vbi a VVali Mosa recipitur. Ego autem e regione ibi nostrā profiteor Bataviam habere principiū, vbi VValim Mosa excipit. Nam (vt verum fatear) plus equidem fidei nostris adhibeo oculis, quam Iulij Commentariis. Quis enim non videat juxta Goricum (vbi nostrę Bataviæ caput est) VValim a Mosa excipi, sed minime a VVali Mosam? quod & ipse rerū vsus & natura nos docet. Omnis enim fluvius superne descendēs, ab eo qui inferne fluit, donec mare intrat, rite excipitur. Quod si convertere volueris, plurimum delipies, & naturæ genium prope lęseris. Vtcunq. tamen est, ego hanc scopulosam cavillationem pili faciam, modo nostram monstravero ibi incipere Bataviam, vbi VValis prope Goricum se Mosæ commiscet; donec simul vel in Helinum vsque, quo Rhenus brachio multas complectitur Insulas, perpetuo meatu decurrant. Atque vtinam rescire dignentur viri plurima lectione eruditi, ipsum in Commentariis Cæsarem non vbique esse *Commentarij Cæsaris alienæ manu interpolati.*

Cæsarem, hoc est, non vbique loqui vt Cæsarem. Plurimi enim ejus Commentarij, qui olim marginibus a diversis inscripti fuerant, nunc librariorum insciti a, aut temeritate, in textum Cæsaris coaluerunt; ita vt plurima videamus[a] Iulij Capitolini aliorumque complurium commentatorum Iulio Cæsari falsissime adscribi. Porro in vetustissimo codice Cæsaris, qui in Monasterio regularium (quod olim Castrum Nantonis dicebatur) apud Puteolos & Aurelianum, qui ante mille & quinquaginta annos a Leone primo Romanorum Pontifice, cum in minoribus ageret, scriptus perhibetur, sic equidem ipse legi: *A Mosa VValis receptus Insulam efficit Batavorum:* ubi per erroneam literarum transpositionẽ modo legimus: *Mosa a VVali receptus Insulam efficit Batavorum.* Hoc etiam inter receptissimos haud contemnendi testantur auctores, qui de Rheno celeberrimo Germaniæ fluvio ita scribunt: Rhenus multis, inquiunt, assumptis amnibus, Mæno scilicet, Limago, Mosella, Mosa, aliisque, in Germanicum Oceanum duobus effunditur ostiis, pluribus factis Insulis, quarum aliæ a Frisiis, aliæ a Sicambris, aliæ a Batavis, hodie Hollandis, incoluntur. quarum omnium nobilissimam Plinius testatur Insulam Britannis oppositam. Quam nimirum Batavorum Insulam, Cæsar, inquiunt, in Cõmentariis, Mosam fluvium accepta Rheni parte, quæ VValis appellatur, efficere dicit. Hæc eadem cum plerisque aliis in rem hanc atque sententiam transeuntibus priore libro attulimus. Nec facile quovis modo ab ea deflecti valeo; quam & oculi nostri probabiliorem nobis faciunt, & castigatiores Cæsaris Commentarij veriorem approbant & defendunt. At de his hactenus. Nunc ad postremam eundum est quæstionem. Sunt etiam nonnulli quibus nostra Batavia longe videtur angustior quam vt Romanis tanta multitudine militare potuisset; ideoque ei Betuam tanquam superiorem corrupto pau-

a *Alij* Iulij Cesi *manum agnoscunt.*

Cæsarisvaria lectio.

paululum nomine Bataviam adjungi oportere. Verum enimvero hæc mihi narratio visa est quasi aquilæ juventus, quam nemo facile comprehendit. At qui vel Thrasonis habet salem, hanc facile solverit quęstionem; adeo digna res est vbi nervos intendam meos. O me scitum hominem, si vel homines prorsum ex stultis insanos fecero, aut potius ita me comparem vt sciolorum aculeos prudens perpetiar. qui, si veterum scriptores rerum oculatius inspicere velint, invenient proculdubio Batavos non numero sed humero, non millibus sed viribus, non anulo sed animo, non multitudine sed virtute, non strato schemate sed stratogemate vbiq. gentium pro Romano certasse Imperio. Cujus rei gratia, quoties militum delectus apud Principes Romanos fieret, Gallique & Germani ex nomine sub certo citarentur salario, solis Batavis gloria & victoria ex virtute promittebatur. Hi enim duplici remunerabantur stipendio, & propter singulare, quo cæteris præstabāt, robur, speciale prę aliis donativum, quantumque volebant itineris & certaminis pretium capiebant. Hos præterea C. Caligula electissimos sui corporis habuit custodes & stationarios; plus fidei nostris quam suis deferēs. Cui etiam (quum in Britanniam tendere statuisset) consuluêre sui, vt Batavorum ante omnia numerum, & maxime equitum instauraret. Tanta quippe Romani Batavos æstimabant fide, constantia, & virtute, vt sine illis nunquam auspicari præsumpserint bellum, neque ullam sperare victoriam. His enim victoribus Hierosolyma sub Vespasiano est excisa; Italia Romanis reddita; Germania in fide & officio retenta; [a] Anglia denique (quam ne ipse quidem Iulius evincere potuit) armipotenter est Imperio subjugata. Quæ profecto omnia Batavi non populi multitudine, sed animi virtute atque altitudine, audaci que ferocia, tanquam primipilares & Reipublicæ propugnatores perpetrarunt. Verum vbi hæc virtus & audacia (vt plerumque fieri solet) insolentiam

[a] Britannia.

Batavis augere cœpit, metuens Ordeonius Romani ductor crercitus ex jactantia seditionem inter legionarios cohortesque posse suboriri, aut certe jam jamque apud Augustam Taurinorum exortam volens reprimere, decrevit Batavos, quos tum belli fortuna petulantiores effecerat, in Britanniā, vnde a Nerone exciti erant, ocyus remitti. At ille mox pœnitentia ductus, & dissuadentibus iis qui paulo ante suaserant; quod interim viderent Batavorum cohortes vna tendere ob veterē adversus quartadecimanos discordiam; inferioremque Germaniam (vt Civili jungerentur) expetere: scripsit Herennio Gallo legionis primæ legato, qui tum Bonnam obtinebat, vt Batavos transitu arceret, sese cum exercitu sequuturum, tergisque eorum acriter hæsurum. Batavi igitur, dum castris Bonnensibus propinquarent, præmisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent: Nullum sibi bellum adversus Romanos esse, pro quibus toties bellassent. Longa dumtaxat atque irrita militia fessis, patriæ & otij cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium fore iter. Sin minus, ferro viam se facturos. At, principium interno simul externoq. bello parantibus fatis, Herennius superbia elatus eis cum suis armatis hostiliter congredi parat. Interea Batavi ordinata acie in vnum veluti apes globum confluentes, hostem constanter excipere, admissis equis haud segniter concurrere, & collatis signis Bonnensium aciem conturbare, constringere, persequi, profligare, occidere, magnamque stragem facere: ita vt etiam fossata Bonnæ corporibus mortuorū opplerentur, qui metu persequentium Batavorum se sponte immersērāt, quod portis recipi præ multitudine non potuêre. Tantam tamque memorabilem multorum millium stragē, quos Herennius Gallus eduxerat, tribus circiter millibus Batavi confecere. Hæc dicimus, vt omnibus scrupulosis innotescat, nostrates non millium pluralitate, sed militum alacritate, industria & virtute congredi solere. Quapropter nemo omnium

ım Betuam, quaſi infracto nomine Bataviam ſuperiorem,
ioſtræ pergat addere Bataviæ, vt vel exinde majore gaudeat
ıumero pugnatorum; quæ nunquam Betuanos, ſed longe
iciniores ſibi Caninefates & Friſios ſuæ frequenter adſciſce-
e ſolebat militiæ. quorum dux [a] Brenno, vir magnæ auda- a Brinio.
iæ, & claritate natalium conſpicua, Civili ſe jungens, olim
Romanorum caſtra diripuit, lixaſque eorum & negotiatores
ıvaſit, duarumque cohortium hiberna proximo Oceano ir-
ıpit. Quin potius ſæpiſſime legimus noſtrates magis Bri-
annica invocaſſe auxilia quam Betuana. Sed nec opus qui-
lem erat. Nonne certiſsimo conſtat Comites noſtros e ſola *Hollandico-*
Batavia noſtra & minore Friſia (nunc ſimul Hollandiam fe- *rũ Comi-*
unt) centena expeditorum millia in hoſtem ſæpius eduxiſ- *tum po-*
e? Nihil igitur vnquam Batavis cum Betuanis ſive Sicam- *tentia.*
oris commercij aut præſidij fuit. quos magis Gallis adverſus
Cæſarem quam noſtratibus ſuppetias miſiſſe legimus. Et
propterea Iulium in eos moviſſe, vt Romani nominis metu
ac terrore quietos redderet Germanos. Sed quum illi ad
primum nuncium in ſylvas ſe occulerent, Cæſarem accen-
ſis eorum agris ad Vbios ſe retuliſſe. Tradit præterea Strabo,
Sicambros Rheni accolas initia belli factitaſſe, quod a pleriſ-
que Germaniæ populis adverſum Druſum Liviæ Auguſtę fi-
lium duce Molone Sicambro geſtũ eſt. Ex his & horum ſimi-
libus pro confeſſo breviter colligi poteſt, Gelros (ſive Betua-
nos, ſive Sicambros dixeris) ſemper ad hunc uſque diem Ro-
manos infeſtos, & Gallis ſemper fuiſſe obnoxios, ſed nobis
quam maxime adverſantes. Habes vel tandem, mi Reine-
re, omnium quos antehac vidimus candidiſſime, & præter
ſummam Medicæ artis notionem haud vulgariter & non ſi-
ne plurimorũ ſtupore in humanitatis ſtudiis erudite: habes,
inquam, hîc verum noſtræ Bataviæ initium ibi proculdubio
cõſiſtere, vbi Moſam non V Valis, ſed ubi V Valim Moſa pro-
pe Goricum excipit. Habes præterea abunde oſtenſum Betuæ
nomen

nomen recentioris esse ætatis, cujus nemo veterum Romanorum meminit, & quæ longe a Bethasia discrepet, quam sępius vetusti scriptores memorant. Habes postremo nostram Bataviam minime contractiorē esse quam vt Romani Principes eam tanta fuerint dignati veneratione, suoque satellitio & mutua fraternitate. quæ, vtique omnium Insularum Rheni facile nobilissima, mittebat Imperio viros etsi impari forsan numero, virtute tamē & fide omnium aliarum gentium præstantissimos. Verum vnde & quando hæc Romanorum & Batavorum charitas & mutui amoris perpetuum fœdus originem habuerit, & vt longe ante Cęsaris tempora coaluerit, aliâs apertius referemus.

De insularis nostræ Bataviæ felicitate, cultu, deliciis, & commerciis; quibus (veluti quoddam Orbis emporium) omnibus notissima est.

DE Insulæ Batavinę cultu, felicitate, & commerciis loquuturus, quoniam propio laus sordet in ore, nec quisquam sui suorumq. testis legitimus perhibetur, in mediū adducam virum mira ingenij dexteritate præditum, patriâ Mediolanensem, arte Medicum, nomine [a] Aloysium Marlianum. Is pro confesso Bataviam asserens Hollandiam, in quadam Epistola D. [b] Hieronymo Buslidiano, Arriensi Præposito, elegantissime scripta, mihique per nostrum Martinum Dorpium Theologum, virum omnium qui in humanis agunt longe candidissimum & juxta eruditissimum, pridem transmissa, Bataviæ nostrę præconia accuratissime decantat. cujus Epistolę, vtpote lectu digniśimæ, ne fragmentum aliquod Lectoribus objiciam, totum exemplar adscribam.

a *Aloysius Marlianus Mediolanēsis, primarius Medicus Caroli Principis, residens Mechliniæ.*

b *Hieronymus Buslidianus, patria Lucenburgensis, Præpositus Arriensis in Artheśia & frater quondam D. Frāciści Buslidiani, Archiepiscopi Bisuntini, primarius Rector Philippi Regis Castellæ, &c.*

Aloysius

Aloysius Marlianus D. Hieronymo Buslidiano, Arriensi Præposito, S.

Aloysii Marliani Mediolanēsis De Bataviæ sive Hollandiæ laudibus Epistola.

REcte feceris, mi Buslidiane, si meam solitudinem & rarum cum amicis cœnandi consuetudinē in bonam accipies partem, naturæque id meæ dederis aut fortunæ. Naturæ; quæ vsque ab incunabulis ita me instituit, vt studiis potissimum delecter meis, neque majorem vllam jacturam putem quam temporis: Fortunæ; quæ me adeo per vltima quæque, exercuit, vt tandem satislatêre mihi non videar, si etiam intra me ipsum latuero. Cōtineo igitur me apud me, & mihi vivo, cum veteribusque amicis, hoc est cum libris, quotidie magis in gratiam redeo, ex quibus non mediocrē fructum percipio, quum præteritæ fortunæ solamē, pręsenti consiliū, & futuræ remediū afferant, doceantq. non magis me lętę nunc fortunę credere, quā docuerunt adversam æquo animo ferre. His studiis, his amicis delector, mi Buslidiane, qui me apud te minime ambitiose excusant. Cave autē posthac ea uti mecum ironia, dum exoletas & immundas cœnas vestras narras. Iamdudum profecto ad Rhenum & Mosam Syrus Orontes decurrit, tantaq. facta est civitatum, hominū, & morum immutatio apud Germanos, Belgas, & Batavos, vt nova Historia indigeāt. Quo fit, vt cum hæc mecum repeto, & cum præteritis præsentia confero, adducar Astronomis credere, Æthiopiam apud vos quandoque futuram. Quo enim prisci illi mores Germani & Belgæ? quo ardua & tetrica illa virtus, quæ mercatores vinum, nec aliud quicquā quod viriles eorum animos emollire posset, importare prohibebant, ivere? Tacite in Galliam Belgicam & Germaniam commercio omnium gentium divitiæ irrepsere: applaudente Germanis gravidis metallo montibus natura, & vtrisque Rheno Mosa & Oceano, continuatoque sibi navigatione pene toto orbe Europa, Asia, nu-

Vide Cæsaris Commentarios.

per Afris & Indis commercio domesticis factis, orbis emporium & pene vmbilicus facta est terrarum Gallia Belgica. cum divitiis & regina pecunia omnes Gratiæ & Veneres pleno Copiæ cornu venêre in felicem Belgicam; cui nihil prorsus ad summam felicitatē deest, si non prisca virtus cum paupertate emigravit. Nitidi idcirco mundique & elegantes sunt Belgæ, si omnibus cōferas, præterquā Batavis. Ego enim eam Insulam satis admirari non possum; sive rerum novitate, sive pulcritudine, sive omnium rerū felicitate. Quid enim novum magis, quam videre Oceanum cum terris luctantē? terrasque solo paleæ intextæ & nodatæ scuto contra Oceanum tutas & victrices? Quid ventos, dum rotas agunt flatu suo cum aquis quotidie pugnantes, & quo velint aquas derivantes? Quid denique admirabilius videri potest, quam vno gelu totam concretam hyeme Insulam cernere? vltroque citroque huc illuc virorum, fœminarum, puerorum examina ferreis nescio quibusdam pedibus tam rapide ferri, vt multos Icaros volantes putes & Dædalos? Redeunte autem anno, & apparente vere, quid est ea Insula formosius, quid viridius, quid herbosius, quid floridius? Spirant vndique opobalsama venti; prata habent pascua, nemora, campos: tenent armenta prata pascua; nemora feræ sylvestres; lætæ & luxuriantes segetes campos. Complet autem cœlum vndique omnigenûm avium concentus. Scatet enim omnium avium genere, quas aut tellus pariat, aut aqua nutriat. Hæc felix Insula, cum ad civitates perventum est (libet civitates, non oppida appellare) offert se oculis tanta elegantia, vt non sit minus difficile, quo male divertas quærere, quam facile fortuitum & optimū hospitium invenire. Immundi quicquam importari vetat janitor, asperso sabulo vestibulo. Intus omnia sunt summe elegantia. Muri tabulati ex ligno quod sponte fluctuantis maris vndas æmulatur vestiuntur. Supellex ingens; argenti, æris, metalli, tapetis & picti est plurimum. Lineæ telæ nives candore

De hoc promiscuo iuvenum ac virginum lusu in glacie, exstat elegans V. C. Iusti Lipsii carmen.

candore vincentes pluſquam dici poteſt. Vis dicam vno verbo elegantiam omnium? Exſpuendi locus non datur. Vnde ſæpe mecum cum in ea Inſula eſſem egi, natam ibi eam anilem fabulam: Cum duo amici cœnarent loco tam picto vt nefas videretur ſputo aliquam particulam oblinere, in malefactam ſocij faciem, natura forte ſomniante dum eam faceret, exſpuiſſe. Vnde commoto altero, Parce inquit, reſpondiſſe, Amice nihil facie tua turpius hoc in loco obvium oculis meis fuit. Eſt præterea nihil uſquam quo humana vita carere non debeat præſtantius quam ibi. Mirum eſt, quicquid beata hæc Inſula parit tam pulchrum eſt, vt matre Venere editum putetur. Dij boni, quales homines, quales fœminas, quos equos, quæ cætera armenta, quæ pecora parit! vltra vero mirari hanc ſoli felicitatem, accedit quod cumulatiorem fortunam faciat copia roſtratarum navium tanta, vt pene Germanici, Britannici, & Gallici Oceani domina dicatur. quibus ad aſſidua quæ cum omnibus gentibus exercet commercia vtitur. Inſuper tanta eſt lanificij cura, vt ambigere quiſquam poſſit, dicatam ne putet Minervæ hanc Inſulam, an Veneri? Lineæ autem pretioſæ telæ Ochemeniis telis prælatæ ſummum eſt pretium. Et ne terrarum benignitati & ſummæ arti mare cedere videatur, tam piſcoſum & beatum eſt, vt piſcando Batavi plus argenti & auri venentur, quam extremis laboribus alij effodiant. Ad ſummum delectantis eſt opus naturę, &, vt Poëtæ ferunt, Dædalia eſt hæc inſignis Batavorum Inſula. quæ ſi ea forma priſcis temporibus fuiſſet, amplam fabulæ materiam dediſſet. Hanc profecto, poſthabita Cypro, Gnido, Papho, Cytherea Venus incoluiſſet. Sed quorſum feror? quid inſanio? Noctuam Athenis oſtendo, dum tibi Galliam Belgicam & Batavorum Inſulam pingo. Verum non inſanio, non caſu ſed conſilio ad hæc littora delatus ſum. Accuratius hæc percurri, ne poſthac ironica nominis tui

De Diogene Cynico narrat Laertius.

figura in nos feraris, dum veſtris plus æquo detrahis, & Italis noſtris eâdem figura plus æquo tribuis. Niſi ſemper velis nos irridere, & in Italicum fletum irrumpere; nobiſque exprobras quod Troës fuimus. Fuimus equidem Troës; nec eſt quicquam quod forte nos futuros prohibeat. Petis a me, vt tibi Hiſtoriæ meæ copiam faciam. Mihi autem tantum otij nunquam fuit, vt poſſem Hiſtoriam conari. Dices inquam, Ne vixiſti. Vixi equidem. Scripſiſtine? Scripſi. Cur non edis? Non eadem eſt ratio ſcribendi & edendi. Scribere quocunque tempore poſſumus; edere autem niſi oportune. Accedit, difficilius eſſe emiſſam rem revocare, quam edere. Victus tamen tuo judicio, brevi ad te ſtudiorum meorum deguſtationem mittam. Sed cave ne te requiſiti officij, & contra me ſuſcepti negotij pœniteat. Vale.

Hæc Marlianus ſuo præſtantiſſimo candore & ingenio. Quid ſi iſtis addere pergam plurima Bataviæ noſtræ commoda & delicias, quæ ejus perpetuam, vt ita loquar, demonſtrent beatitudinem? Habet enim inprimis mare portuoſum, omnibus finitimis, apertum & expoſitum; monticulos obherbeſcenti viriditate amœniſſimos; valles & paluſtria feris ſylveſtribus refertiſſima; campos & ſaltus omnigeno pecore locupletiſſimos; lucellos permeabiles & innoxios; nemora quoque omnis pro tempore amœnitatis & gaudij plena, vmbriſque opacis delectabilia, quas ne ipſæ quidem Gratiæ deſiderent denſiores; lacunas inſuper & ſtagna admodum piſcoſa; flumina ſuo fluxu & refluxu colonis omnibus accommodatiſſima; agros frugum omnium fertiles: ſed tamen ſpatio breviores, quam vt ſuum expaſcant poſſeſſorem. Sed ſi quid minus eſt tritici aut vini, hoc noſtra nobis argenti copia abundantiſsime ex omni natione ſubminiſtrat. Poſtremo civitates habet complures opulentas, mœnibus & ædificiis permagnificas; pagoſque & villas innumerabiles; vias negotiatoribus tutas, & propemodum expoſitas; ita vt ſine mora, quæ

ro, quo velis, ſive rhedis, ſive remis ocyus pervenias. Dent Superi, ut de hac felici patria ad patriam æternæ claritatis pertingamus.

His quæ de Batavia noſtra ſcripſimus, aſtipulatur validiſsime noſter Eraſmus, vnicum Germaniæ lumen, ita inquiens in Epiſtola quadam: Convenit inter pleroſque doctos, nec id refragantibus conjecturis, eam Inſulam, cujus Tacitus meminit, eſſe quam nunc Hollandiã vocant, terram mihi ſemper & celebrandam & venerandam; vt cui vitę hujus initium debeam. Atque vtinam illi nos tam poſsimus honeſtamento vicisſim eſſe, quam illa nobis non eſt pœnitenda. &c. in Adagio, AVRIS BATAVA. Hæc noſter Eraſmus, ſimulatque hunc noſtrum legerat codicillum.

CORNELIVS AVRELIVS
AD SVAM BATAVIAM.

PLaude tibi nitidis ſuffulta Batavia fatis,
Et varia Superum dote ſuperba cane.
Vix locus in mundo eſt, quem non tua gloria tangat;
Roma tua extollit prælia, & Orbis herus.
Auſoniis hoſtes adimis; Hieroſolyma per te
Exciſa eſt; Anglos te duce Cæſar habet.
Germanos placido Galloſque favore tenebas
Sub fidei officio Romulidumque jugo.
Te Roma agnovit, Damiata ſtupeſcit, Arabſque,
Et Tarteſſiaci fortia regna ſoli.

At quum tanta potes terraque marique, dolendum est
Ut minuat laudem Gelria sola tuam.
Ergone visa tui est secordia tanta Senatus,
Robur ut antiquum fluxerat omne tibi?
Eloquar; atque utinam patriæ sim falsus aruspex;
Concidis ipsa tuis, o mea terra, bonis.
Auro animum perdis, quem ferro atque ense fovebas,
Tunc aderant vires; nunc gula abegit eas.
(Proh scelus) ingluvies, turpis Venus, æsque superbum,
Ambitioque furens abstulit omne decus.
Ah tandem resipisce precor, pudeatque malorum,
Pristinus ut redeat cum pietate vigor.

Aliud.

Dulce solum natale Vale. tua prælia gessi,
Nunc galeam abiicio. Quisquis amicus, ovet.

FINIS.

Epistola

Epistola CHRYSOSTOMI NEAPOLITANI, de situ & moribus HOLLANDIÆ.

MARTINVS DORPIVS HOLLANDIS SVIS S. D. P.

CLarissimi viri, in hac Epistola Chrysostomi Neopolitani, hominis (si licet ab vnguibus leonẽ) elegantissimi, nolim offendat vos, quod Hollãdis victum scribat esse parcissimum; quando & finitimæ gentes id vna voce omnes facile coarguant, a quibus voluptatis, gulęque damnati, etiam Ventres per jocum vocamur: tantum abest, vt tenui victu ac secundario pane victitare cẽseamur. Et videtur Neapolitanus non in alia quam essedariorum hospitia divertisse: quæ vbinam gentium consueverunt non esse paulo sordidiora? & agrario nauticoque cibo, quam cupediis & lauticiis instructiora? Quod si in illis quoque eam omnium rerum mundiciam offenderit quam prædicat, quid in primatum opulentissimorum q. civium ædibus (quæ pleraque rectius palatia dicantur) conjectaverit latere? Porro anceps ambiguumque facit Chrysostomus: sitne ea nunc Hollandia, quæ ab Historicis celebratur Batavia. Atqui potest id conjecturis (nam apodixem afferri res ipsa reclamat) & quidem simillimis veri comprobari: de quo Ioannes Delfus præceptor meus libellũ collegit, quem publico dignum forte aliquando emittam: simul vt ejus memoriam ab oblivione asseram, viri omnifariam quidem sed Historiæ inprimis studiosissimi: simul vt Hollandiæ nostræ majo-

majorum ſuorum præclara facinora innoteſcant. Quod autem Olandiam ſcribat Chryſoſtomus, ſciolus aliquis (ſat ſcio) perſuaſit, vtpote homini extero & peregrino. Nam vocabulo nativo Holtlandia vocata eſt; ac deinde, quod aſperius id vaſtiuſque ſonaret, cœptum eſt dici Hollandia. Siquidem in Patroni mei domini Abbatis Hecmundenſis inſigni bibliotheca Annales vidi multis jam ſæculis aſſervatos, in quibus nunquam non inveni Holtlandiam annotatam, idque a lignorū copia, quam illinc Friſij gens vetuſtiſsima nec minus nobilis, ſibi ſolent conquirere. Quod autē Calepinus auctor alioqui non futilis, Bataviam putat eſſe, quę nunc eſt Bavaria, ſomnium reputo. Errant & illi procul a vero, qui totam regionem, quanta inter duo Rheni brachia concluditur, vno Bataviæ nomine cenſeri autumāt; ſiquidem Plinius libro quinto Caninefates in Rheno collocat; qui non ſunt Batavi, vt quos Tacitus meminit vicinos eſſe Batavis, origine, lingua, virtute pares, ſed numero ſuperatos. Poſtremo nec Gelria eſt Sicambtia, quod multos velle ſcribit Chryſoſtomus. Nā Cæſar (vt quarto Commentariorum eſt videre) ex Gallia trans Rhenum per Vbios (qui nunc omnibus ſunt Colonienſes) contendit in fines Sicambrorum; ibique paucos dies moratus, in fines Vbiorum ſe recepit. Si cui ergo Gelria eſt Sicambria: is doceto, quinam ſint Vbij vltra Rhenum, an citra Sicambriam, id eſt, (vt ipſi interpretantur) Gelriam. Adde iis, quod a Cæſare factus eſt ſecundus pons prope Treviros: & is ſcribitur factus paulum ſupra priorē: ergo non procul a Colonia. Sed de his alias. Nunc [a] Epitheta dumtaxat quæ celeberrimi auctores Batavis tribuunt ſubnectam, eaque fide integra. Valete, & hanc Dorpii veſtri in patriam pietatem boni conſulite.

a Hæc Epitheta infra ad calcem Epiſtolæ Chryſoſtomi conſulto reiecta ſunt cum aliis.

CHRY-

CHRYSOSTOMVS NEAPOLITANVS
COMITI NVGAROLO
S. P. D.

CAve dubites, mi Comes ornatiſſime, Vlyſſem illum, cui primas eloquentiæ ac prudentiæ Homerus tribuit, vafrum omnino & multiſcium virum fuiſſe: verum ſolertia illa conſilia, & callida vaframenta, quibus tot pelagi terræque periculis emerſus, & Circes pocula & Sirenum cantus effugit, ea ne credas (vt Poëta fabulatur) a Pallade illi ſuggeſta, &, vt ita dixerim, in aurem inſtillata, ſed ad vnam animi prudentiam & plurimarū rerum peritiam, quam diuturna illi pepererat peregrinatio, omnia ſcias eſſe referenda. Idq. ad ſummā Homerum ſub illo fictionis ſuæ involucro innuere voluiſſe:

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes:

eum non modo prudentem ac ſapientem virum fieri, ſed aſſiduo ipſius Palladis, hoc eſt, ſapientiæ auxilio & præſidio, terra marique tutum reddi. Hæc adeo omnia ita eſſe, ſi quis vnquam fuit qui ratione collegerit, ſi quis re ipſa & experimento compertum habuerit, in his ego plane jam nomē profiteor meum. Nam poſtquam a te profectus, Olandiæ oram perluſtravi, (ſic enim eam recentiore vocabulo libentius, quam veteri Bataviam appellaverim: tum quia fortaſſe non eſt omnino eadem nunc Olandia, quę olim Batavia fuit: tum quia mollius, & blandius neſcio quid, &, vt verum fatear, minus barbarum ſonat Olandia quam Batavia) poſtquam inquam Olandiæ oram perluſtravi, Dij boni, quanto nunc mihi ipſi factus videor ſapientior, quam multarū rerum peritior, quanto nunc mihi ipſi placeo magis! Tu ipſe, ni me agnoſcas, ſi videris, mi Comes, ſi loquentem audieris, longe alium eſſe cenſueris, quam eum qui antehac fui. Tam multa, tam varia didici ad rationem vivendi conducibilia, & ad mul-

tarum rerum vſum in primis neceſſaria. Sed ego ſumma rerum faſtigia perſtringam tibi, quibus & totius regionis ſitum, & vrbium poſituram, & inſtituta vivendi leviter collineabo. Cætera narraturus coram præſervo mihi, vt (id quod peregre advenientes facere ſolent) aliquid in reditu habeam, quo te tanquam munuſculo quopiam munerer.

OLandia omnis (ſicuti ego ab incolis intellexi) paſſuum ambitu fere ſeptuaginta millium continetur : eam a Septentrione ac Oriente magna pro parte Oceanus ; ab Occidente bicornis Rhenus adluit ; a Meridie, quę nunc dicitur Gelria, olim (vt multi volunt) Sicambria terminat. Terræ natura ejuſmodi eſt, vt ab Oceano ad interiorē partem ſit paulo devexior, ſed Rhenus accepto Moſa, multiſque aliis fluminibus, licet bipartitus, & mutato nomine in mare influat, tanto tamen aquarum fertur impetu ac magnitudine, vt Oceanum ipſum longe propellat, & tam influens quam refluens ſupra triginta millia paſſuum invndet, ac alterius pene maris ſpeciem reddat. Quin etiam veluti a vaſtioribus aquis indignetur abſorberi, cum Oceano tamdiu luctatus, ab omni, quod ſupra memoraverimus, pelago illius amarorem excludit. Quapropter iratus ille, vt opinor, abhinc tres & nonaginta annos licentius egreſſus fines, magnam Olandiæ partem, & in ea duos ſupra ſeptuaginta pagos immerſit ; e quibus omnibus vnum tantum infantem elapſum natu grandiores affirmant, & cum eo felem, vt in ijſdem forte cunis vterque innatavit. Heu rem dictu nedum viſu miſerabilem. Enavigavi ego, nec parvo quidem navigio, loca illa, quę adhuc extant qui meminerint aratris olim proſciſſa, & ferratis pervia plauſtris. Viſuntur adhuc multis in locis turrium cacumina, quæ tanquam aliqua ſepulchrorum monumenta, cadavera ibi [a] oppidorum ab aquarum gurgitibus tumulari, prætereuntes commonent. Hæc maria ſic Olandiam ambiunt, ſic paſſim

Annovidelicet Chriſti 1421.

[a] *Nulla oppida periêre, ſed pagi 72.*

passim interfluunt, ac per crebras fossas & canales intermeant, vt fasciatim, modo aquæ, modo terræ veluti zonis quibusdam distincta cernatur. Neque vrbs vlla pagusve est, quo non curru pariter & mari possis duci. Neque vsquam in tota regione, quantumvis penitissima, esse possis, vnde trium horarum spatio ad mare non possis excurrere. Loca fere omnia palustria sunt, non tamen invia, vt non inaquosæ viæ qua currus commeant, suggestis vt plurimum aggeribus, non silice aut coctili latere, sed quadrato cespite in ordinem posito passim stratæ, hinc atque hinc aquarum fossæ lintribus ac navigiis innatantur. Tum crebri illices, in quos excrescentes aquæ derivantur, paludosa, & vix aliud præterquam pecori pabulum subministratia, distinguunt arva. Mortales ipsi æque propemodum in aquis, ac in terris degunt, ita vt amphibia quam terrestria animalia verius dixeris. Vrbes fossa & muro cinctæ, duodecim perhibentur. Pagi & villæ, quæ neque magnitudine, neque cultu, quibusvis oppidis cedant, supra sex & triginta. Tum vici, compita, & magalia, sic passim interjecta, vt vix quoquam oculos vertas, vbi non aliquod ædificij occurrat genus. Vrbes ipsæ plenis aqua fossis & lateritiis mœnibus cinctæ sunt. Nam saxi & tophi expers omnino regio est. Tum amplissimos ac ad amussim dimensos vicos habēt, & eos quidē glarea, navigiis aliunde invecta, stratos, nulli luto, nulli cœno obnoxios. Curiæ, Prætoria, Templa, Xenodochia, & cætera id genus publica ædificia, plerisque in locis augustissima: privatarum ædium vna fere omnium facies, vna structura est. lateritij parietes in altum haud multum assurgunt, sed in acuminatam formam, pinnisq. quibusdam ad decorem distinctam, desinunt. Intus e regione ostij (nam inferiora ædium fere omnes incolunt) abacus & paries ipse adversus, grandioribus ex nitenti ære pelvibus & peltris (vt aiunt) omnisque generis lancibus & poculis instructi, prætereuntium oculos ad spectandum invitant, ac radianti quo-

dam fulgore luminum acies pene perſtringunt. Bone Deus, quis vaſorum nitor, quis lectulorum, quæ menſarum lautitia, quis mantilium, quis mapparum candor! qui ſedium ornatus, quæ denique parietum, quæ ſoli, quæ rerum omnium cæterarum munditia! Cœnaculorum, diætarum, cubiculorumve pavimenta levi aſpergunt arenula: vt, ſi aliquid in ea immundū caſu aliquo decidat, ſi cœnoſa fortaſſe cujuſpiam veſtigia in ædes inferantur, fœdari pavimenta non queant, ſed verri ſcopis eveſtigio ſordes facilius poſsint, antequam ſolo inhæreant. Hominum genus, vt plane inſpexiſſe videor, maxime induſtrium & negotioſum, ſed verſutum & callidū. Addo etiam eſſedarios, qui currulem vectationem exercent, ſubdolos, & in advenas præſertim, lucelli cujuſpiam captandi gratia, fraudulentos. Mulieres vt pulchræ, vt lacteę, vt ſimplici munditia omnes; ita partim mercaturæ pertractandæ, partim lanificio aut linificio potius dies & noctes intentæ. Victus omnibus parciſsimus eſt, ſecundario pane aut lacte macerato, aut butyro leviter oblito vitam ducunt. Tum ſi quando ſe volunt invitare vnctius, aut bubulas, aut ovillas carnes, pridie coctas, & in ſextum interdū diem ſervatas, apponunt. Has ego intuens, averti ſtatim jubebam. Videbar enim inſpicere ſemilacerum, & (vt tu feſtiviſſime dicere ſoles) quatriduanum aliquod cadaver a ſepulcro aut ſcalis Gemoniis ad menſam pertractū. Bucularum & equarum ingens numerus. illarum lacte non magis aluntur, quam ingentes caſeos quoſdam cōficiunt. Equarum ſervitio ad currus trahendos, quorū in Olandia frequens vſus eſt, magis vtuntur. Hanc ego regionem fere totam ſex diebus perluſtravi, aut percurri potius. Sed audi rem miram. Eſt ibi vrbecula quædam apprime concinna, cui nomē eſt Roterodamo, in eam & proficiſcens, & rediens, duabus noctibus ſum diverſatus. Cumque miro quodam ſtudio diligentius illam quam cæteras pertractarem, neſcio quo pacto factum eſt, vt illius intuitu vix mihi

oculi

oculi poſſent expleri. Cognoſcebam ſane illam, & magnitudine & opibus multis aliis cedere, occultioribus tamen neſcio quibus cauſis ea mihi placebat impenſius. Mœnia, portæ, ſtrata viarum arridebant mihi. Parietes ipſi, tecta, ædificia omnia vltro mihi videbantur adulari. deniq. cœlum illud nitere purius, & aura ſpirare neſcio quid divinius. Vernare propinquus ager, tepere circumfuſus aër, herbæque ipſæ ac ſalicta, quibus Olandinus ager maxime conſitus eſt, olere neſcio quid amabilius videbantur. Dum id ſtupeo mecum, & cauſam ejus rei tacitus quæro atque veſtigo, tandem cujuſpiam relatu cognovi ea in vrbe auras primi hauſiſſe luminis primum illud Latiæ atque Atticæ linguæ lumen Eraſmũ: agnovi extemplo hinc illud cœlum nitere defæcatius, hinc illos aëris vernos tepores, hinc illam arborum, herbarum, locorũ olentiam tam ſuavem. Vah! quanto repente perfuſus ſum gaudio, quam bene mecum actum cenſui, cui fortunatum illud ſolum intueri contigerit, quod fortunatum ac ſalutare illud Germaniæ ſidus aliquando protuliſſet. Veneratus igitur loci genium, vrbis mœnia ter & quater exoſculor: tum piis quibuſdam conceptis verbis nutriculæ illius divini hominis vrbi bene precatus, vix inde pedem extuli. Sed cum poſtremo ad illam Oceani partem perveniſſem, quæ haud procul ab Harlemo vrbe infremens magnis arenarum cumulis longe lateque campos replet, e curru ſtatim proſiliens Oceanum patrem rerum ſalutavi. Sed ubi tam dirum Olandiæ vitricum illum fuiſſe animo ſubiit, qui tot oppida, tot ædificia, tot mortales uno hauſtu abſorbuit, magnis eum conviciis & immanibus diris ſum exſecratus. Deinde quantam rem egerim diu mecum contemplatus, quod homo jam ſexagenarius, a Lucanis vſque in Italia ortus, ad extremum illum orbis terrarum limitem venerim, tot montes, tot ſylvas, tot flumina tranans, tot terras, tot maria emenſus; tam audax, tam memorabile facinus dignum cenſui,

quod aliquo posteris monumento testificatum relinqueretur: ac sicut Herculis quondam iter, erectæ ad Gades in Atlantico mari columnæ: Alexandri expeditionem, ad Caspias portas positæ aræ: Pompeij arma ad Pyreneos montes illata, defixæ identidem columnæ testantur: Sic & nostros quoque tam longæ vię labores, & tam magnos ausus, insigne aliquod monumentum memorię hominum commendaret. Quî enim magis meruerint prędones illi hostes humani generis, suum ipsorum nomen illustre & ęternum fieri, quam ego meum? cum illi regnandi libidine, ac propagandi per fas & nefas imperij aviditate, quietos & insontes populos vexare bellis, cædibus, rapinis, incēdiis omnia vastare, ac divina & humana permiscere non veriti sint: Ego videndi tantum studio, ac ea perdiscendi, quibus & mihi & aliis prodesse possim, tantum viæ percurrerim, tam multa pericula, tam multos labores exhauserim. Tantumque abest vt indigenas quospiam infestem aut expilem, vt vel illorum pleriſq. pęcuniolā meam vltro impartiam, dum pretio mihi hospitium & victum in diem paro. Iure igitur æternitati nominis nostri consulendū statuens, pro copia rerum & temporis angustia, cum in arenariis campis illis neque marmoris neq. æris vlla daretur facultas, ingentem arenæ cumulum congero: eum viridanti cespite munio, ac dispositis circumquaque in valli modum crebris juncorum manipulis sepio: tum rem ipsam duobus versibus signo:

Erexit molem Chrysostomus, urbis alumnus
Parthenopes, studio qui hæc littora adusque videndi.

Rides fortasse me, qui tam imbecillum opus contra tam vastas æquoris ac ventorū procellas satis firmum putaverim. Ne mirere, ab ipsis Olandis Oceani accolis exemplum cepi. Villas illi habent ad ipsas vndarum fauces positas: eas ibi sepiculis quibusdam ex simplici stipula vel junco intextis munivere:

vere: illarum obice contra præruptos vndarum montes & terrificos Oceani fluctus se satis superque tutos putant. Sed ego, mi Comes, pro epistola jam libellum ad te do. dum longo literarum alloquio intermissæ cõsuetudinis nostræ jacturam me juvat resarcire, dumque tecum partiri bona fide studeo quicquid ipse de Olandia properantibus oculis haurire potui. nam ne omnia oppida circumirem, neve diutius vsquam immorarer, pestilentia, quæ plerisque in locis grassabatur, prohibuit. Vtcunque tamen, iis totis mensibus sexdecim, quibus domo absum, candidiores mihi sex dies illuxisse vix meminerim, si te socio, vt compositum inter nos jam pridem fuerat, mihi hanc oram peragrare contigisset. Tua enim suavissima consuetudo, disertissimi sermones, & acutissima dicta, minus mihi laboriosam vectationem, & longe meliorem viam effecissent, præclarissimoq. isto ingenio tuo, singulari doctrina, & exactissima diligentia, investigasses, collegisses, annotassesque multo plura. Sed quoniam aliter fieri nequit, donec vbi per teipsum enucleatius satisfeceris, esto mecum contentus iis quæ nos pinguiori quadam Minerva collegimus. Si quid tamen interea (vt omnium bonarũ artium es curiosus) ab illo Sebastiano cosmographo didicisti, fac tu nos vicissim edoceas, vt vterque nostrum in commune (quod amicitiæ in primis munus est) æque alteri ac sibi consuluisse videatur. Vale.

EPITHETA BATAVORVM

a

MARTINO DORPIO

collecta.

FEroces. Truces. Animosi. Fortissimi. Veteres militiæ magistri. Populi virtute præcipui. Fidelissimi. Statura proceri. Nobilissimi. Socii Imperij Romani. A primævo ævo laudis

&

& gloriæ populus. Laudis & gloriæ cupidi. Quondam duces Germaniæ atque Galliæ in bello quod gerebant contra Romanos. Audaciſſimi. Immetuentiſſimi. Victorioſi. Veteres multorum bellorum victores. Validſſimi artus exercitus. Tributorum expertes. Galli pro libertate, Germani ob prædam, Batavi pro gloria ad prælia inſtigabantur, vt ſcribit Cornelius Tacitus.

DESIDERIVS ERASMVS
DE BATAVIS SIVE HOLLANDIS,
In Adagio
AVRIS BATAVA.

QVemadmodum Græci dicunt, Βοιώτιον ὠὺς, id eſt, *Bœoticam aurem*, pro pingui craſſaque; itidem Martialis epigrammatum libro ſexto *Batavam aurem* dixit agreſtem, inelegantem, tetricamque: *Epigr. 82.*

Tu ne es, tu ne (ait) ille Martialis,
Cujus nequitias iocoſque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam.

Sic enim legit Domitius Calderinus, quamquam nonnulli mutarant pro *Batavam ſeveram*. Erant Batavi Germaniæ populi, Cattorum pars; qui, domeſtica ſeditione pulſi, extrema Galliæ oræ vacua cultoribus, ſimulque Inſulam inter Vada ſitam occupavere: quam mare Oceanũ a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Gens tum bello valida, vt quæ Germanicis bellis eſſet exercitatiſſima: tum opibus pollens, quod Romana militia non exhauriretur, quandoquidem erat his cum Imperio ſocietas, vt viros tantum armaque

maque miniſtrarent : quemadmodum copioſius prodidit Cornelius Tacitus. Convenit inter pleroſque doctos, nec id refragantibus conjecturis, eam Inſulam, cujus meminit Tacitus, eſſe quam nunc Hollandiam vocant, terram mihi ſemper & celebrandam, & venerandam; vt cui vitæ hujus initium debeam. Atque vtinam illi nos tam poſsimus honeſtamento viciſsim eſſe, quam illa nobis non eſt pœnitenda. Nam quod Martialis eam gentem ruſticitatis inſimulat; quod eandem [a] Lucanus trucem vocat: aut nihil ad nos pertinet, aut etiam laudi vertendum arbitror vtrumque. Siquidem quæ gens non aliquando fuit rudior? Aut quando Romana gens laudatior, quam cum præter agriculturam & militiam nihil artium noſſet? Quod ſi quæ quondam in Batavos dicta ſunt, contendet aliquis ad hujus temporis rationem pertinere, quę major laus Hollandiæ poterit tribui, quam ſi dicatur a Martialis jocis abhorrere, quos etiam ipſe nequitias appellat? Vtinamque Chriſtianis vel omnibus aures eſſent Batavæ, quo peſtilentet ejus Poëtæ facetias, aut non admitterent, aut certe his non caperentur. Quod ſi quis id ruſticitatem vocare velit; nos convitium haud illibenter agnoſcimus : videlicet cum integris Lacedæmoniis, cum priſcis illis Sabinis, cum laudatiſsimis Catonibus commune. Lucanus autem (opinor) ita truces appellat Batavos, vt Vergilius acrem Romanum. Alioquin ſi mores domeſticos ſpectes, non alia gens eſt ad humanitatem, ad benignitatem propenſior : cuique minus adſit vel feritatis, vel truculentiæ. Ingenium ſimplex, & ab inſidiis omnique fuco alienum, nullis gravibus obnoxium vitiis, tantum ad voluptatem, præcipue conviviorum, aliquanto deditius. Cujus rei cauſam eſſe puto, miram rerum omnium exuberantiam, quibus voluptatis ſtudium irritari ſolet: idque partim ob commoditatem importationum, quod non ſolum occupat duo nobiliſſimorum fluminum oſtia, Moſæ Rhenique, verumetiam quod aliquanta ſui parte Oceano al-

a *Belli Pharſalici lib. 1.* Vangiones Batavique truces.

luitur: partim ob nativam regionis vbertatem, vt quæ passim navigabilibus ac piscosis interluatur fluviis, pascuis uberrimis abundet. Ad hæc avium infinitam copiam paludes saltusque suppeditant. Proinde negant aliam inveniri regionem, quæ simili spatio tantum oppidorum contineat, mediocri quidem magnitudine, sed incredibili politia. In domesticæ supellectilis nitore palmam vni concedunt Hollandiæ negotiatores, quibus pleraque pars orbis est peragrata. Mediocriter eruditorum nusquam gentium frequentior numerus. Ad exquisitam eruditionem, præsertim antiquam, quod non perinde multi perveniant, aut vitæ luxus in causa est, aut quod apud illos plus honoris habetur egregiæ morum integritati quam egregiæ doctrinæ. Nam ingenium non esse negatum illis, plurimis constat argumentis; quamquam mihi sane quam mediocre contigit, ne dicam exiguum, vt cætera pleraque.

Epistola GERARDI NOVIOMAGI de Zelandiæ situ.

G. N. SEBASTIANO CIRIACINO S. P.

SAlve. Perlegit mihi his diebus Martinus Dorpius, Theologus cum eloquētissimus tum sapientissimus, Epistolam Chrysostomi Neapolitani de Hollandiæ situ Hollandorumque moribus, quæ me impulit de Zelandia nostra Epistolam ad te scribere. Zelandia, multis insulis discreta, si in vniversum spectatur, habet ab Oriente Hollandiam; ab Occidente Oceanum Britannicum; ab Austro Galliam Belgicam; ab Aquilone per Oceanum Britannicum Scotiam & Norvegiam a longe prospectat. Sunt qui Zelandiæ sexdecim insulas totidem-

totidemque adſcribant oppida: alij ex hoc numero nonnihil demunt. Aer Zelandicus ob Oceani vicinitatem paulo aſperior eſt & inclementior. Ager fertilis, qui longe diligentiori cura colitur quam Hollandicus. Triticum enim Zelandicum Hollandico & purius & candidius eſt. Oppida, Prętoria, Templa, vt Hollandis, magnifica. Zelandis ferme ij mores, is cultus qui & Hollandis. Zelandus lingua nonnihil citatiore quam Hollandus eſt. Si portuum commoditatem, ſi mercimoniorum copiam & abundantiam, ſi navium numerum ſpectes, Zelandia Hollandia longe ſuperior eſt. Zelandi bituminoſas terræ glebas effodiunt, iiſque ignem fovent. Ex cineribus ſal coquunt candidiſſimũ atque acerrimum. Advehitur etiam ex Britannia minori & Luſitania ſalis ingens copia, quod Zelandi excoquunt; quo vtuntur vicini Belgæ, Germanique ſuperi. Tres ſunt in Zelandia Inſulæ inſignes, quarum vnam VValachriam, alterã Scaldiam, tertiam Suytbevelandiam dicunt. VValachriam a Gallia denominari mutata G in duplex V perſuaſit mihi vir Princeps Philippus Burgundus, Oceani Præfectus; qui & hoc anno in VVeſtcappella marmor repperit Herculis nomine vetuſtiſſimis inſcriptum literis: quare & Herculẽ aut ibi aliquando appuliſſe, aut Zelandiam Herculi ſacrã fuiſſe aſſerere nititur. Quod a vero (meo judicio) non longe abeſt. In hac Inſula portus eſt quã Armudam vocant: in quem ex toto orbe naves appellunt. Eſt & alter portus Vericnſis, ſed in eo ſtatio navium male tuta. Eſt & Middelburgus emporium frequens, civitaſquè refugij, quod tantũ dedecoris adfert quantum commodi; in hãc enim civitatem ex toto orbe ære alieno gravati confluunt, ſentinamque malorum efficiunt. Scaldia a fluvio hujus nominis dici videtur: in hac Ciriacum eſt oppidum amœniſſimum, ab indigenis habitatum, honeſtiſſimiſque abundans mercatoribus. Supereſt Suytbevelandia, ab eventu & ſitu ſic dicta: nam & ante aggeres circumductos terra tremula erat, &

Scaldiæ Auſtrina eſt, cui opponitur parva Inſula quam Nortbevelandiam nuncupant. In Suytbevelandia Gouſa eſt oppidum ab ave, quam gānſam Plinius dicit, nomē ſortitum. Hic locus totius Zelandiæ a nonnullis dicitur amœniſſimus. Sunt & oppida & inſulæ aliæ celebres, de quibus jam nihil ſcribo, quòd Zelandiæ ſitum incolarumque mores & laudes libello quodam ſcribere decreverim : in quo ea reperientur quæ in hac Epiſtola tumultuaria deſiderantur. Habet hac noſtrā ætate Zelandia viros eruditione claros, mihique non ignotos; Paulum Middelburgum, Mathematicum inſignem, atque multarum linguarum peritum; quem etiam ipſa Italia, quæ vult videri Latiniſſima, perorantem magna cum admiratione ſæpe audivit. Habet Hollandiæ Præſidem M. Nicolaum Middelburgum, virum vtriuſque Iuris tam conſultū, vt multo magis ipſe eam ornet dignitatem, quam ornetur ab ea: vtque ei palmam memoriæ eruditioniſque etiam illi tribuant, qui tanto viro male volunt. Habet & Simonem VViſkerkenſem, Iuriſconſultum prudentiſsimū & multijuga eruditione inſtructum. Sunt Middelburgi amici mei duo, quorum vnus eſt Ioannes Borſalus, vir & vitæ integritate & ſumma eruditione clariſsimus, qui a morum honeſtate Boni cognomen meruit. Alter eſt Hadrianus Cordatus, Mœcenas meus liberaliſsimus, eruditione & modeſtia nemini poſtponendus. Sunt & Ciriaci doctiſsimi viri, Iaſon Himnidicus, Medicus; Zagarus, aduleſcens literarum ſtudioſiſsimus; Franciſcus oppidi a ſecretis, Eraſmi illius nunquam ſatis laudati diſcipulus; & multi alij, de quibus alias ſcribam latius. Solus Barlandus, politioris literaturæ armarium, multum decoris Zelandiæ ſuæ adfert; qui quantum in bonis literis poſſit florentiſsima Lovanienſium Academia tecum novit. Habuit & ſuperioribus ſæculis multos rara doctrina viros, quos vt commemorem verat temporis anguſtia. Sed M. Nicolaum Middelburgum, Medicorum ætate ſua phænicem, ſilentio non preteribo;

teribo ; cujus raram & doctrinam & fidem cum prædicat non vna regio, tum sumptuosissima magnificaque domus Hantverpiæ, quasi monumentū, exstructa testatur. Hęc sunt, mi Sebastiane, quæ de Zelandia nostra ad te tumultuario scribere Chrysostomi Epistola me impulit. Quæ si tibi cæterisque amicis placere cognovero, propediem videbis de Zelandia nostra longe cumulatiora. Valebis. Lovanij in Collegio Cruciferorum, secundo Kalēdas Martias. Anno M.D.XIIII.

HADRIANI BARLANDI HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ compendiosa descriptio.

HOLLANDIA.

QVam nunc Hollandiam dicimus, olim Holtlandia nominata est a copiis lignorum, vt habent Annales quidam. Hujus regionis herbis & salictis maxime consitus est ager. Frumentum, quo vtuntur, navigiis aliunde invehitur. Homines hic industrij, negotiosi, simplices, & ad omnē humanitatē benignitatēque propensissimi. Alios videas ad parandam vel rerum, vel linguarum cognitionem diversa Christiani orbis adire gymnasia. Hollandis vero magis honoratur egregia morum integritas. Quamquā nec ipsa negligunt studia præcipue literarum meliorum, quas aliquanto felicius quam cæteri discunt, si modo a teneris annis præceptoribus tradantur. In vasorum nitore, mensarum lautitia, mantilium atque mapparum candore, munditia denique rerum omnium superant alias nationes. Mulierum genus pulchrū & lacteum, aut negotiatur vt viri, aut lanificio linificiove dat operam. Hollandia & piscosis interluitur amnibus, & pascuis abundat

vberrimis. Neque regio esse creditur alia in orbe, quæ simili spatio tot habeat oppida, mediocriter quidem magna, sed apprime polita & concinna. Dolendum hanc tam nobilem, tam florentem provinciam Lutheranæ factioni tantopere favere. Dicam nunc de oppidis hujus regionis.

TRAIECTVM.

Hanc vrbem attribuunt Hollandiæ, alij Frisiæ. Sive in Hollandico solo, sive in Frisia sita, haud dubie nobilissima est, & privatarum ædium pulchritudine, & clero. Habet enim celeberrima Canonicorum Collegia; in quibus principem tenet locum quod est Divi Martini. Habet & Antistitem, qui in sacris latissime imperat. Hic tam dives ac potens, vt, siquando sit necesse, quadraginta hominum milia ad bellum possit armare. Ex hac vrbe Romanum Pontificem Hadrianum ejus nominis sextum nostra videt ætas. Quæ felicitas nulli vnquam contigit aliarum quæ sunt in orbe nostro.

A Traiecto non longe dissita est DAVENTRIA, quod oppidum plures annos floruit schola bonarum literarum.

DORDRACVM.

Vrbs est valide munita, negotiationi idonea, vndique cincta mari, opibus & celebritate inter alias longe princeps.

HERLEMVM.

Hanc vrbem invenio conditam a quodam illustri viro cui nomen inditum fuerit Lem Germanica lingua. hinc vrbs dici cœpta Heer-Lemstat Germanice; nos eadē ratione Herlemū dicimus Latine. Forum hic maximū, pulchræ domus, templum egregium. Vrbs sita est loco peramœno; statim egressis mœnia occurrit nemus, in quo varias avium linguas audire licet, in quo timidi damæ, cervique fugaces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.

LEYDA.

LEYDA.

Pulcherrimum Hollandiæ oppidorum. Ædificia habet & concinna & frequentia. Vicorum hic est perpetua quædā mundities, vt aliis quibusdam terris plus luti ac cœni invenias in domibus, quam hic in plateis.

DELFVM.

De huius oppidi conditione, puto me dixisse nonnihil in opusculo de Comitibus. Incolarum opes amplæ sunt, multa in Divos pietas. Cervisiam conficiunt optimam, quæ plurima ad Zelandos vicinam gentem importatur.

Hinc parvo miliario distat HAGA-COMITIS, (ita enim nominatur) pagus & magnitudine, & cultu, & incolarum frequentia non paucis oppidis anteferēdus. Hic Concilium est, ad quod totius Hollandiæ atque item Zelandiæ populi concurrunt in rebus ambiguis.

AMSTELREDAMVM.

Hoc cæteris, quæ nominavi, recentius oppidum, genus hominum incolit pecuniæ studiosius. Quocirca in remotissimis etiam terris negotiantur, habentque toto fere anno externum domi suæ mercatorem. Præstat hoc illis commoditas portus.

Sunt alia quædam non pœnitenda Hollandiæ oppida, GORICVM, GOVDA, ALCMARIA, ROTERODAMVM, eximij illius viri Erasmi Roterodami vrbs nutricula.

ZELANDIA.

De Zelandiæ meę situ extat perquam eruditi viri Gerardi Noviomagi veteris amici nostri Epistola non inelegās. Dicit ille totam Zelandiam sexdecim insulis ac totidē oppidis constare. Fertilem esse regionis agrum, multoq. diligentius coli,

coli, quam Hollandicum. Quod hic naſcitur triticum multo & purius & candidius eſſe Hollandico. Mores eſſe indiſcretos cum Hollandis, lingua citatiore noſtrates eſſe. Portuum commoditate, mercimoniorum copia, & navium numero Gerardus Hollandiæ præfert Zelandiam. Coquitur hac Inſula ſal candidiſſimum. Habet Zelandia tres inſignes Inſulas: VValachriam, in qua VERIA & MIDDELBVRGVM oppida mercimoniis florent: Scaldiam, vbi ZIRICEA eſt opulentum & non inconcinnum oppidum: Zuytbevelandiam, in qua duæ ſunt vrbeculæ, GOVSA, & RVEMERSVVALA. Eſt hæc omnium Zelandiæ Inſularum amœniſsima. Sylvas habet locis aliquot. Hortos quoque, in quibus eſt quicquid natura produxit herbarum eſculentarum. Pomaria paſsim ampliſsima. Hic menſibus vernis omne avium genus ſubſilire, circumvolitare, colludere, deliciari videas. hic vel ſtudere, vel obambulare, vel cum amico confabulari, vel cibum capere, vel cum ſodalibus luſitare ſumma eſt voluptas. Gouſæ oppidulo, quod dixi, vicina eſt patria mea BARLANDIA, locus adeo & fertilitate ac rerum copiâ, & ædificiis, & littoris amœnitate præſtans, vt non immerito de hac dicere poſsim, quod de Baiis Horatius dixit:

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Item Poëta Martialis:

Vt mille laudem Flacce verſibus Baias,
Laudabo digne non tamen ſatis Baias.

Totus locus pratis irriguis parviſque cinctus eſt nemuſculis. Dignam ſtudiis, dignam Muſis ſedem diceres.

LÆVINVS

LÆVINVS LEMNIVS
DE ZELANDIAE INSVLIS,
ac gentis hujus natura, conditione, moribus, origine; deque vbertate ſoli, &c.

CVm tam multa proferat Zelandiæ regio, quæ exteris etiam ad vitæ vſum ac commoditatem conducunt ac ſunt neceſſaria: miror a pleriſque hanc tam abjectam ac deſpicatam cenſeri. Nam præter inſignes atque in immenſum faſtigiatas lauros, (vt a telluris beneficio exordiar) perpolitis maturitate baccis onuſtas, quæ Brabantis denegatæ ſunt; præter efficaces & ſalubres herbas, cum medendis morbis tum eſui accommodas; præter ſal candidiſſimum, quod civium induſtria conficitur; præter rubiam, garanſam Gallis, noſtris meedekrappe nominatam, adornandis pannis, ne color deflo- *Rubia radix, & alumen durabili coloce pannos imbuit.*
reſcat, eumque intime concipiant, neceſſariam; pręter tritícum, quo nuſquã gentium candidius aut magis ponderoſum; præter immenſam piſcium copiam, quæ quotidie recens advecta in omnes Europę partes diſtribuitur, urbes exhibet elegãter extructas, atque in iis ædificia ſplendida, re domeſtica ac ſupellectile cõcinne exornata, ita vt omnia paſſim nitida conſpiciãtur, culta, expolita. Quæ vnice nuper admiratus eſt illuſtriſſimus Hiſpaniarũ Rex Philippus Belgij Princeps, &, quibus ſtipatus erat, Proceres aulici. Accedunt his omnibus portus commodi, fidæque ac tutæ navium ſtationes, omni nationi expoſitæ, atque ad frequentandas remotiſſimas regiones, quocunque terrarum curſum inſtituere libeat, aptiſſimæ; nec illi negotio deſunt exercitati naucleri, ac viri nautici, quibus omnes Oceani receſſus ſunt explorati. Quãta vero ſoli vber- *Zelandici ſoli vbertas.*
tas, quam pingues ac glutinoſæ glebæ, quam feraces ac fœcundi agri, quam numeroſi armentorum pecudumq. greges,

non facile vlli fidem feceris, niſi propius illi ſint conſpecta, vti etiam vberrima ſaginando pecori paſcua non ſolum intra exporrectos aggeres ac ambitus, ſed etiã extra littora, in ipſa Oceani crepidine, in quibus oberrant pecudum aliquot myriades maximo negotiatorum emolumento, quæſtuq. vberrimo, non ſolum ſupra vulgarem magnitudinem, ſed ſaporis etiam delicati atque exquiſiti, ſoli ac graminum beneficio, quod ſaluberrimum iis pabulum ſuppeditat. Adeo vt exteri quoque ſummopere iis delectentur. Ita vt Vitilitigatores, hoc eſt, qui ſectandis litibus dediti ſunt, nullis donatiis (modo aurum demas) advocatis ac procuratoribus melius gratificentur, quam ſi villoſas hujuſmodi oves ac Zelandicos verveces illorum culinæ inferant, tum demum enim res illis cordi eſſe incipit, ac cauſæ inſiſtunt: quibus ſi accedat caſeus ovillus virore perfuſus invſitatæ magnitudinis, atque immenſi ponderis, nihil adferri poteſt ad rei commendationem gratius. Tali ſiquidem condimento irritari ſolent ad potum ac repotia etiam ſaturi, ac vino affluentiore paulo ante perfuſi. De aëris autem Zelandici clementia non auſim multa polliceri,

Aer Zelandicus qualis.

vt qui in nonnullis partibus ſit paulo aſperior, & quam vicinarum gentium minus ſalubris, præſertim æſtate ob paludum & ſtagnorum graves halitus, & quod regio arboribus minus conſita. Hoc tamen habet commodi, quod contagioni ac peſtiferis morbis minus ſit obnoxius, ac ſerius inficiatur: at infectus immaniter in hominum corpora graſſatur, nec facile conquieſcit. Vt enim lignum durum ęgre quidem igneſcit, ac flammam concipit, at incenſum difficile reſtinguitur: ita corpora Aquilonis flatibus ac marina aura indurata minus prompte virus concipiunt, peſte vero correpta ægre hanc excutiunt. Aqua quoque putealis in inſulis non ita pridem ex

Aqua in Zelandia. qualis. Zirizæa puteos ſalubres habet.

mari vindicatis parum ſapida eſt aut ſalubris, ac vel ſalſæ qualitatis, vel vliginoſi fundi ſaporiſq. ingrati particeps. Tametſi in civitate Zirizæa putei exiſtant, qui ne aquę quidem fluviatili ce-

tili cedant, aut liquore pluvio sint inferiores. Regionem hanc maritimam veteribus olim non fuisse incognitam ex Cornelio Tacito colligi potest, non hoc equidem quo nunc innotescit nomine, sed ex vsu ac vulgata alloquendi consuetudine ac compellatione, qua populares atque indigenę inter se sunt vsi: itaque Mattiacorum illos nomine designat, cum inquit: Est in eodem obsequio Mattiacorum gens, Batavis similis, nisi quod ipsi terræ suæ solo acrius animantur. Quo indicat, tametsi Batavis sive Hollandis a cavitate terræ sic denominatis vicini sint ac finitimi, ita vt inter illos referri debeāt, vulgari tantum nominis appellatione discretos, atque Oceano propiores magis feroces esse, vt revera sunt, ac viribus, ingenio, solertia, versutiis, calliditate, fallaciis, captionibus, negotiandi peritia, ac conquirendi industria superiores. Quod autem Mattiaci nominentur, non a loco vel Duce aliquo, sed a populari appellatione atque vsitato loquendi more enatū est, nempe a Maet, quæ vox in quotidiano sermone ac congressu familiari omnium apud nos actionū, contractuum, periculorū, ac totius voluntatis, consilij, laboris socium comitemq. sonat, omniumque rerum quas inter se exercēt participem ac consortē. Ita omnes gregales, venalitij, consodales, & quotquot avita societate, fido, firmoq; animorum consensu facultates ac copias suas in commune conferunt emolumenti ac quæstus spe, ex naturarum consuetudine, quorum maxima in iis regionibus copia, Maet, voce gentilitia ac vernacula nominantur, hoc est, conjuncti ac sociati. In magistratu vero, aut dignitate aliqua illustri, vel Consulari vel Senatoria, omnique munere publico, quæstura, ædilitate, pupillorū tutela, testamentorum procuratione, aliisque functionibus, Vepnout sese vocant, etiam qui apud nos Consulatu funguntur, quod Latinis collegam sonat. Ex vetusta itaque cōsuetudine ac vulgato loquendi more, quem inter has gentes observabant Romani, cum in iis regionibus versarentur, illasque

Zelandia an veteribus cognita.

Vnde Zelandi Mattiaci dicti.

terras ſibi vectigales ac tributarias facerent, aut in ſocietatem ac tutelam Romanæ potentiæ aſſumerent, Mattiacos vocabant: vt qui apud Germanos Herman nominatur, Arminiũ, atque apud Cæſarem in Commentarijs, Ambacht-heeren, Ambactos. Eo enim nomine deſignant Belgę illuſtres aliquot viros, penes quos ſumma rerum, atque in eo coloniæ alicujus ſeu municipij ambitu, vlloque territorio, dominatus. Nam Zelandiæ nomen recens eſt, ac veteribus incognitum, a terra ac mari conflatum, quaſi dicas, terram ac ſolum maritimum: mari enim vndique cingitur, multiſque inſulis diſtincta eſt, nempe quindecim. Tametſi paucis abhinc annis magnã cladem huic regioni Oceanus intulit, cujus ſævitia atque immanitate magna Zelandiæ pars, divulſis ac diſſipatis funditus aggeribus, ſalo oppreſſa eſt, atque mari æquata: ſubſiſtunt tamẽ inſignes aliquot inſulæ, quarum tres præcipuæ cum Oceani æſtu continenter luctantur, atque immenſis ſumtibus (quod non facile Principi, aut qui illius vices obeunt, perſuaderi poteſt) aduerſus barbarum hoc atque indomitum elementum ægre ſe tuentur. Inter has primum ex alto in portũ delatis ſe offert VValachria, vel ab ejus cultore ſic denominata, vel (vt conjicio) à Gallis, qui hanc oram ferquentabant, qui Belgica voce etiam nunc Walen vocantur, impuberes eorũ Waelkens/ aut ab ea Britanniæ parte, in qua verſus Occidentẽ conſiſtũt VValli apud Anglos præcipuæ nobilitatis viri, a Gallis etiam oriundi, quod idioma illorũ adhuc indicat. Inſula hęc ab Ortu Brabãtiæ obverſa eſt: a Meridie Flandriæ: ab Aquilone Bataviæ ſive Hollandiæ: ab Occaſu æquinoctiali Britanniæ, in quã breviſſimus eſt trajectus, &a qua parte primus in Oceanũ ingreſſus quocumq. terrarum viſum ſit navigationis curſum dirigere. Prębet enim Arnemuda, Metelliburgi municipium, tutiſſimũ omnibus portum, fidã navium ſtationẽ: nam hic præcipue claſſis quamlibet numeroſa inſtruitur, in quẽcunque Oceani tractum velificatio perficitur. Cum autẽ hæc inſula

Zelandia inſulis fœcunda.

VValachria vnde dicta. VValachriæ ſitus.

Arnemuda portus

ſula prẽter fundi aliquot appẽdices ſerius illi annexas (Polders noſtri vocant) octo miliariũ ambitum cõficiat, vt etiam Scaldia, cui intra centum annos jugerũm tria millia avulſa ſunt, cultiſſimis aliquot pagis ac villis diſtincta ſit, tum vnũ habet emporiũ negotiatorũ frequentatione celebre cumprimis ac illuſtre Metelliburgũ, a Metello præcipuæ nobilitatis ac Conſularis dignitatis apud Romanos viro id nomen, vt plerique opinantur, conſequutum; cum ego a Burgo, hoc eſt, munito atq. eminente caſtro, aut arce rupeque inacceſſa, quale apud Romanos Saxum Tarpeium, denominatum putem, quod in inſulæ hujus meditullio ac velut centro conſiſtat. Quæ loca occupare ſolent, ac præſidio munire Duces Præfectique regionum, quò ex editiore loco tanquam è ſublimi ſpecula, ac velut in excubiis collocati, omnia ſpectarent, atque incurſionibus hoſtium obſiſterent. Hinc enim apud Belgas emerſit Burgimagiſtri, & Burgravij dignitas, quod penes hos ſit ſumma poteſtas, & loci illius Præfectura. Nec tamen diffiteor, quin ad hujus conditorem referri poſſit, a quo tali loco hoc propugnaculum contra hoſtiles impetus ſit erectum. Diſtat autem a Metelliburgo verſus Africum ſeu Occaſum hibernum intervallo ſexdecim ſtadiorũ, quæ bis mille paſſus conficiunt, aut bina miliaria, verbecula exiguo quidem murorum ambitu, ſed arte & natura munito qua parte mari obverſa eſt, quæ ſtrenuis piſcatoribus atque exercitatis naucleris (quos Pilotas vocant) referta, Fliſſinga nominatur, non Vlyſſea ab Vlyſſe, vt quidam nugantur, producta origine, ſed ab vrceo aut lagena potius, quod poculi genus fictile ſuperne anguſti oris eſt, ne imprudenter liquor effundi poſſit, in medio, diſtento ac capaciore ventriculo, qui circa imum gracileſcit, ac ſenſim extenuatur, Belgis Een Fleſſche nominata. Cujus imagine Civitatis hujus vexilla ac manipuli, quos etiam navium malis in vertice erectos conſpicimus, inſigniti ſunt. Cum autem loci hujus incolæ ſuaviter ſe

Metellibur-gum emporium.

Quid Germanis Burgh.

Fliſſinga civitas.

poculis reficiant, nec ab iis etiam abhorreant fœminæ, aliquando in hoc certamine viris robustiores, ab amplexu lagenæ, qua singulariter afficiuntur, eamque identidem exhaurire gestiunt, nomen hoc consequuti sunt; aut idipsum sibi à potandi consuetudine asciverunt: quæ quidem inter hos inolevit, non vt inebrientur, sed inter se exhilarescant, atque animi nebulas discutiant. Sunt enim complures in hac regione tetrici, mœsti, supercilioси, melancholici, qui affectus a Brabantis ac Flandris sunt alieni, vt quos non triste Saturni ac Martis, sed lætum & salutare Iovis & Mercurij sidus informat: eoq. fit vt Zelandi, qui percipiunt excutiendas illas animi molestias, Geniales esse studeant, atque affluentiore potu has animi carnificinas opprimere. Versus Ortum æquinoctialem Scaldiæ opposita, abest a Metelliburgo pari propemodum distantia ac totidem passibus Campoveria civitas, perangusto mœnium ambitu, paucis ab hinc annis Scotorum frequentatione celebris, nomen id a freto obtinet, quod ab ea littoris ora in vlteriorē Campæ ripam ac sinum, qui Noortbevelandiæ annexus est, transferri homines soleant. Primus enim portus, ac navium cymbarumque statio, à qua conscensa navi aut scapha traijcimus, Veer Belgis dicitur, aliis Vaert: Latine, trajectus & transvectio. Huic Aquilonem versus, aut ab Ortu solstitiali opposita est Scaldia, a præterlabente Scalde flumine sic nominata; quæ cum multis populosis pagis ac coloniis distincta sit, plurimas exhibeat rusticanas villas, pleraque vrbana atque antiquæ nobilitatis prædia ac palatia, vt Haemstedium, & Renissæ affinem Moermondam, tum præter Broversaviam, non ignobile municipium, civitas Zirizæa, a conditore nomen sortita, hanc insulam præcipue exornat; quæ anno redemti orbis DCCC XLIX, imperante Lothario, primum in formam civitatis ædificari cœpta, ac mœnium ambitu muniri, ex parvis initiis in eum splendorē adaucta est, vt nulli clarissimarum civitatum sit inferior. De qua

Nomen a re inditum Elisinga.

Zelandi cur poculis addicti.

Veria civitas.

Scaldia insula a flumine sic dicta.

Zirizæa quando primum erecta.

qua hoc citra omnem ambitionem, aut immodicum erga patriam affectum ausim testari, plurimis illis viris eruditis, præclarisque ingeniis fœcundam esse ac feracem, negotiatoribus providis ac sagacibus refertam, quibus ex re frumentaria ac lectissimo tritico, ex nivei candoris sale, ex rubia seu garansa, salsamentorum ac piscium copia, armentorum pecudumque immensa vi quæstus accedit vberrimus. In re familiari ac domestica, omnia elegantia, nitida, expolita; mensa frugalis ac moderata, nec vnquam prodigialiter sumtuosa: in mercatura exercenda nemo non civium solers atque industrius, lucri avidus, ad rem attentus, in tenuiores tamen atque inquilinos inopia pressos liberalis ac beneficus, in cæteros vero hospitalis, blandus, comis, affabilis, candidus, atque absque omni simulatione ac fucata specie, nulli non obvius & expositus: in pietate ac Dei cultu religioni quam superstitioni propior. Quod vero ad populares ac loci hujus indigenas attinet, nusquam gentium tam dextri, tantaque sagacitate in odorandis explorandisque impostoribus, captiosis, fraudulentis, subdolis, insidiosis assentatoribus, quamlibet scite adulentur, palpent, blandiantur, aures titillent ac scalpturiant, adeo vt non facile horum technis, fucis, fallaciis, versutiis decipiantur, sed illas eve stigio deprehendant:

Zirizæi literis affluentiuntur.

Zelandi astuti.

Dignoscere cauti
Quid solidum crepet, & pictæ tentoria linguæ,
Nequa subærato mendosum tinniat auro.

Persius Satyr. 5.

Vt assolet iis quibus aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum. Ab hac dijudicandi peritia emerserunt in Belgas aliquot (exhibita aliquando populari Comœdia) hæc vulgata dicteria, dictante morione, ne quis offenderetur: Brabantus hilaris, festivus, ridiculus, in scenicis Comicisque moribus immodicus: Flander mulierosus, salax, intemperans,

perans, libidinoſus, petulcus, laſcivus : Hollandus ſimplex, improvidus, incautus, infacetus, iners, ſegnis, ſomniculoſus, ſtolidus, ac minime aſtutus : Zelandus callidus, vafer, verſipellis, aſtutus, ſubdolus, captioſus, verſutus. Qui affectus etiam ingraveſcente ætate ac ſenectute vires concipiunt, ſeſeque efficacius proferunt, niſi domita naturæ propenſione, atque inſtitutione aliter condocefacta ad meliorem frugem perducatur. Siquidem infimæ plebis iſta ſunt vitia, ac gentilitii mores, non patriciorum aut virorum illuſtrium qui liberaliter educantur. Cum autem omni nationi ſui adſint affectus ac vitia, mores, propenſiones, ſtudia, hoc eſt, inſtituta quibus ſe quiſque applicare ſolet, tum huic quoque genti, a qua nihil humani alienum, non deſunt genuini inſitique affectus, ad quos naturæ inclinatione feruntur, partim ex circumfuſo aëre qui manifeſtò corpore afficit, partim, vt alimẽta præteream, ex parentum natura, avitiſque moribus, ac vulgari vitæ conſuetudine, quæ aliquando ita inolevit ac menti infixa eſt, vt vix eximi queat : quo fit (ſi Patricios demas, qui nuſquam non cultu ac doctrina expoliti ſunt) vt gregaria ac promiſcua multitudo paſſim inhumana ſit, rudis, agreſtis, ferox, crudelis, indomita, atque a civili vitæ conſuetudine aliena, quaſcunque etiam nationes excutias. Verum quò inveteratus error, ac depravati mores, qui ab incunabilis ac prima infantia inoleſcere animis noſtris incipiunt, ita vt eos velut cum lacte nutricis ſuxiſſe videamur, eximantur : progenitorum munus ac officium eſt (quod noſtrates nunc ſedulo præſtare enituntur) vt ex ſe prognati liberaliter inſtituantur, eumque animo cultum ac fomenta adhibere curent, vt exuta nativa inſitaque feritate, ad omnia humanitatis officia inclinentur. Vt enim ſilveſtres arbores cura atque induſtria hominum miteſcunt ; immanes beluæ officio ac molli tractatione manſueſcunt ac cicurantur : ita quoque humanus animus non prorſus ferreus aut adamantinus flecti poteſt, atque

ad artes

ad artes humaniores, ad probitatem, decus, virtutem, pietatem, religionē informari. Quæ res effecit apud nos, vt piſcatores gens rudis ac pelago aſſueta; quorum apud Zirizæos ſupra quingentos eſſe conſtat, præter hos qui nondum ſatis adulti in hujus negotij tyrocinio verſantur, paulo poſt in nautas ac veteranos aſſumendi; ea ſint morum ac vitæ integritate, vt nunquam inter illos vllæ contentiones, jurgia, ſimultates, diſſidia exoriantur, nec vnquam inter ſe lites conſectentur, aut jure cum æqualibus contendant, ita vt magiſtratus nunquam niſi in vrgentiſſimis cauſis ſe horum controverſiis interponat, ſed omnes inter ſeſe coactis comitiis dirimunt ac conſopiunt. Nullum inter ſuos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, ſi quis ex conſociatis oſtiatim ſtipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur: quin ipſa piſcatoria ſocietas, & qui inter illos eſt primarius, quem Decanum vocant, ſingulis quibus res domi anguſta eſt & contractior, quam vt familiam alant ac ſuſtentent, ex communi ærario ſuum dimenſum conſtituit, ita vt non deſit quo famem frugaliter ac liberaliter ſolentur. Cum autē tam numeroſa multitudo piſcatu ſe exerceat, ac paulo longius in Oceanum progreſſa, victum in mari venetur, ſi quando parce & maligne piſcari contingit, nullus vnquam horum ſe vexat aut excruciat, nec cuiquam male precatur, ſed omnia placide ac ſedate perfert meliorum ſpe atque fiducia. Iſta autem animi moderatio in hominibus tam incultis, non præſcriptis legibus, aut ſapientum doctrina, mentibus illorum impreſſa eſt, ſed inſtinctu ductuq. naturæ, ac rationis judicio cōcepta, quo diſcernunt, quæ honeſtati ac decoro deſerviunt, quæq. illi ſunt adverſa. Cæterum vt ad Scaldem recurrat oratio, Fluvius hic in Veromanduis vetuſto adhuc nomine cognitus, geminis fontibus progreſſus, per Nervios, nunc Tornacos, per Gandavum vrbem celeberrimam, quæ mihi prima tyrocinij rudimenta contulit, reliquosque Flandriæ tractus diffunditur, ac

Zirizæa piſcatoribus fœcunda.

Nautarum apud Zirizæos vita conditio.

Scaldis fluvij origo & decurſus.

Antverpiã Scaldis exornat.

mox Antverpiam delatus, vrbis mœnia alluit, portumq. inibi insignem, ac clarissimam navium stationem exteris exhibet; deinde paulo longius progressus, bipartito cursu Brabantiam ac Flandriã a Zelandia discriminat: siquidem sinistra in Austrum contortus ac deflexus, Flandriæ oras ac littora persequitur, alioque nomine insignitus, de Honte, a latratu ac fremitu vocatur, quo per Zuytbevelandiam ac VValachriam in Oceanum Occidentalem patet aditus, ac rursus in has oras accessus: dextra vero relictis Brabantiæ finibus continuato cursu, servatoque veteri alveo, per Scaldiæ insulæ littora violento vastoq. gurgite in Oceanum devolvitur, atque ex vetusta appellatione Scaldis nominatur, Belgis vsitato nomine Schelt, Gallice *l'Escault*; vnde insula hæc Scaldia denominata, vulgo Schauwe. Cujus fluvij præcipuũ alveum, profundumq. gurgitem (Canael nautæ vocant) quem naves consectari debent, ne vadis inhæreant, ac sisti contingat, etiam hac tempestate indigenæ exactissime exploratum habent, suoque illum nomine designant, commonstrato loco a quo ante multos annos Oceani ostia subire solet, ac fluctibus marinis emergi, ita vt ne intempesta quidem nocte nostrates nautæ ab hoc deflectant, aut in diversum rapiantur, vt aliquando vsuvenire solet velificandi imperitis, insigni mercium ac vectorum detrimẽto. Exaudiuntur autem hisce locis fragores ac strepitus horrendi vel subsidente in imum fluctu, vel vbi rursus æstus adventare incipit, ac ventorum violentia exasperatus Oceanus fluvio obnititur; quod ipsum potissime vsuvenire solet, vbi post Aquilones Austrini flatus ingruunt, ita vt accolæ, perceptо plusquam miliaris intervallo Oceani ac Scaldæ fremitu, tempestatem imminere ante triduum pronuntient. Cum autem angustiora olim essent Oceani ostia, minusque vasti ac patentes in continentem aditus conspectius in mare Scaldis ferebatur; siquidem incrudescente quotannis æstu marino, ostia faucesque dilatari contingat ac sinus laxiores effici: vt

Scaldis per Flandriam decursus, cur de Honte *dicatur.*

Zirizæi exercitati nauta.

Scaldæ fremitus, quãdo tempestatem denuntiat.

guloſis

gulosis assolet qui immodico potu se proluunt. Quo fit vt flumen hoc affluentiori salo obruatur, nec facile decursus ejus, quo in Oceanum effunditur, conspici queat. Non desunt qui nominis affinitate decepti, eam speciem Aselli piscis, qui mihi aliquando Plinij visus est Callarias, ex hoc fluvio nomẽ obtinere credant, atque à Schelt Schelvisch denominari, quod in Oceani ostiis, in quæ flumen hoc se exonerat, vel hamo, vel retibus subducatur: cum a squamis potius, vulgo Schellen (nam Schelpen testaceis attribuuntur, non piscibus) appellatum censeam, quibus densius contectus obductusq; est, ac velut lorica munitus: eoque fit, vt, cum elixandus est (nam torreri recusat) cultro deradi debeat ac desquamari, secus quam Asellus, vulgo Cabbeliau, lævore perpolitus, cuteque molli nec squamosa, nec etiam in ipsis Oceani faucibus, quas influit, capitur, sed in alto longeque remoto mari. Tametsi non ignorem pelagios aliquot pisces aliquando fluminis ostia subire, dulcis aquæ illecebra, qua mire pinguescunt: vt Salmones, qui ex Britannico Scoticoque sinu, adverso amne, in Rhenum ac Mosam penetrant; vt etiam Trissæ, Alosæ, Laccæ, vulgo Elft, Mugiles, Harder, Acipenser vel Sturio. Anguillæ vero contra quam marini pisces salsam aquam appetunt, qua gustata mire agiles efficiuntur, minusque lubrici, atque esui salubriores, quo fit vt circa catarrhactas (nostri Sluysen vocant a claudendo) quæ apertis valvis aquam, qua hibernis mensibus agri opprimuntur, violento impetu in mare profundunt, invsitatæ magnitudinis Anguillæ nassis ac sagenis eximantur. Verum de his aliquando uberius, vbi Conrado Gesnero viro comprimis erudito paria fecerim, atque hostimenti loco Compendium de piscium trivialibus nomenclaturis illi dedicatum absolvero. Cęterum flumen hoc, qua parte Scaldiæ oras attingit, atque hinc in Oceanũ illabitur, Orientales regionis hujus insulas ab Occidentalibus discriminat; quarũ

Schelvisch piscis unde denominatur.

Asellus piscis, Cabbeliau.

Anguilla salsæ aquæ delectatur.

quæ ad Ortum ſpectant, Beoeſterſchelt indigenis vocantur: quę vero Auſtro ac Flandriæ obverſæ ſunt, Beweſterſchelt. quaſi ſuperiorem ac inferiorem, aut citeriorem atq. vlteriorē dicas, quorum alij cis Scaldam, alij trans Scaldam conſiſtunt. Deſignantur autem his nominibus duæ inſignes Quæſturæ, quibus Prætoria etiam dignitas, ac Dictaturæ poteſtas attributa eſt, ſic vt harum Præfectis ius ac fas ſit tota paſſim regione (præter civitatum municipia quæ Conſulum tutelæ ac præſidio ſubſunt) Regio dominatu facinoroſos coërcere, vagos ac palantes corripere, nebulones ac mendicos validos, ſicarios, oppreſſores in vincula conjicere, ac tormentis exploratos in judicio capitis arceſſere, quo omnia paſsim quieta ſint & pacata, & ne quis iter ingreſſus aliquid hoſtile metuat. Obivit hoc munus multis annis inculpate, eoque præclare ac magna laude functus eſt nullius offenſione Illuſtr. vir Hieronymus à Seroskerka, Equeſtris ordinis Heros, multiſq aliis nominibus ſuſpiciendus. Adauget vero ſoceri decus & amplitudinē pari generis ſplendore ac nobilitate magnificus vir Iudocus a VVervia, rei agrariæ in inſulæ noſtræ ambitu Prefectus nō ſine maxima ampliſimarū dignitatū expectatione. Excitavit elapſis aliquot retro ſeculis fluvij hic decurſus inter Zelandos (qui in eodem ſunt cum Batavis Comitatu) & Flandros acerrimas contentiones ac cruentas pugnas. Appellat autem atque veneratur vtraque natio ſuos Principes Comitis nomine, adjectis aliquot ſpecioſis titulis. Qui Dominatus hinc emerſit, quod præcipuæ nobilitatis viri Imperatores ac Cæſares in adeundis periculis comitarentur, ſuamque operam ſedulo illis preſtarent, vulgo Graven. Quę poteſtas ac nominis amplitudo Iuſtiniani tempore primum inolevit, eamque appellationem conſecuta eſt. Deinde ſub Berengario & Otthone competitoribus ad poſteros derivata, proximum apud Imperatorem conſeſſum ac comitatum obtinuit. Anno autem Domini DCCCLXIII, imperante Carolo Caluo, apud Batavos, illiſque

Zelandia in duas Quæſturas diviſa.

Hieronymus a Seroskerka.

Iudocus a VVervia.

Comites unde dicti.

illisque affines Zelandos hic Principatus primus constitui cœpit, ac Comitatus nomine designari, primusque Comitis nomine inauguratus Theodoricus filius Sigisberti Principis Aquitâniæ, qui annos octo & triginta in eo dominatu versatus, successorē Theodoricum secundum herilem filium constituit, a quo ad nostra vsq. tempora hæc Regia potestas longa Heroum serie ad invictissimū Hispaniarum Regem Philippum devoluta Comitatus nomine censetur, ejusque provinciæ Principes Comites appellantur. Sic qui apud Brabantos ac plerosque alios potestate Regia existunt, Duces vocantur, a deducendo in hostilem agrum exercitu, vulgo Hertogen, quasi dicas, exercitus ductores. Cum autem Flandriæ Comes Guido Dampetra proferendæ ditionis esset avidus, ad occupandas aliquot Zelandiæ insulas animum induxit: itaq. primo V Valachriam sibi subjicere ac vectigalem facere meditatur, inductoque in hanc ditionem exercitu (nam facillimus erat trajectus) illam incursionibus, incendio, igni, ferro depopulatur ac vastat, tandem Metelliburgum obsidet, ac per fecialem (Harault nostri vocant) ad deditionem solicitat: cum in id non admodum paratos promtosque sentit civium animos, admotis arietibus, factoq. vno atque altero insultu civitatem expugnat. Guilielmus Batavorum ac Zelandiæ Comes, ejus nominis tertius, cum civitati subsidium adfert, Zirizæis stipatus quibus maxime fidebat, duobus vno die præliis victus, sanguine madidis vexillis (vnde emerserunt Zirizææ civitatis insignia sanguinolento colore perfusa) Zirizæam, qua nulla tunc munitior aut Principi magis devota, propere contendit. Guido victoria elatus, relicta intra Metelliburgum præsidio, in Zirizæos omne belli robur convertit, quos dum sesquimensem obsidione premit, maximis damnis afficitur. Siquidem oppidani continua eruptione magnam stragem Flandris intulerunt, multosque captivos in civitatem adduxerunt: tandem impetratis vtriusque consensu induciis, concessaque

Hollandiæ & Zelandiæ Comitū origo.

Duces vnde nomen sortiti.

Guido Dãpetra Flãdriæ Comes.

Metelliburgum expugnatur.

Vexilla Zirizæa cur rubra.

sex hebdomadis belli mora, Guido in Batavos expeditionem molitur. Elapsis induciis Zirizæi, collecto milite, instructaque classe in VValachriam confestim trajiciunt, cæsisque ac profligatis Flandris, civitatem in potestatem redigunt, ac perexiguo accepto incommodo in sedes suas se recipiunt. Princeps Batavorum ac Zelandorum Guilielmus ejus nominis tertius, percepta tam insigni victoria, civitatem Zirizæam maximis honoribus afficit, multisque privilegiis, congiariis, donativis muneribus exornat. Guido vero Flandriæ Comes re apud Batavos male gesta, acceptoque vulnere, in Zelandiam secedit; deinde paululum recreatus ad oppugnandos Zirizæos, a quibus ereptum Metelliburgum indignatur, animum intendit. Itaque coacto numeroso exercitu, tametsi ultra sesquimensem bis ab hac esset repulsus, atque infecta re discedere sit coactus, rursus illos lacessit, atque arctissima obsidione pressos cōtinenter oppugnare non desinit. Cum autem oppidani in extremis essent constituti, atque in summa difficultate, in maxima rerum inopia versarentur, nullis tamen vel blandimentis, vel minis ad deditionem impelli potuerunt, tametsi jam septimum mensem præter incendia atque immissas in civitatem faces, omni tormentorum genere, arietibus, catapultis, testudinibus, fundis, ballistis, aliisque machinis, quarum illo seculo frequens vsus, terra marique oppugnarentur. Cum itaque in angusto res essent constitutæ, omnique præsidio destituta civitas, opportune Rex Galliarū Philippus, cognomento Pulcer, nulla interposita cunctatione aut mora, Ioannem Payderosum ducem Præfectumque maris, ac Regineri-um Grimaldum Genuensem, instructa classe, atque adornatis aliquot longis navibus, quæ quod remis frequentius incitantur triremes vocantur, Zirizæam amandat, vtque obsessis subsidio adsint ac mature subveniant cohortatur: illi nihil cunctati Regis mandato obsequuntur, omniaque eve-stigio perficiunt: quos ubi in excubiis constituti, e sublimi atque

Zirizæi Metelliburgum expugnatum Comiti restituunt.

Zirizæis virtute parta privilegia.

Francorum Rex Zirizæos sublevat

Triremes, vulgo Galeyen

atque eminente ſpecula, a qua in mare latiſſimus proſpectus, adventare, nec procul abeſſe denuntiant, confeſtim Guilielmus Bataviæ ac Zelandiæ Princeps, Regis ſororius, conſpecta primum nave Pætoria, deinde numeroſa longo agmine claſſe, quas ipſe in eum vſum inſtruxerat naves illis adjunxit, collatiſque copiis atque vnita claſſe Flandros adoriri atque opprimere ſtatuunt, oppidanis etiam re inſperata in ſpem victoriæ erectis; qui, redintegratis viribus longa obſidione attritis, rurſum in hoſtem animantur. Cum autem ſtat in procinctu acies, ac claſſis omnibus armamentis accurate inſtructa, in hoſtem incitanda, é ſtatione moveri incipit; Flandri (vt nulli deſunt aſtus militares ac ſtrategemata) navem quandam ſarmentis, faſcibus, ſcandulis, ſtramentis, ſtipulis, alioque fomite atque aridis nutrimentis, quæ cito flammam concipiunt, conſtratam, oleo, pice, ſulphure, ſevo, adipe perfundunt, eamque accenſam æſtu ac vento ſecundo in adverſam claſſem dirigunt. Cum autem navis flammis coruſca hinc inde hæreret, ac ſubinde vadis implicita lente progrederetur, ita vt Oceanus propemodum in ſummo conſiſteret, ac iamjam refluxum meditaretur; ecce derepente (quod ſingulari Dei providentia factum credi par eſt) ventus mutata ſtatione in Aquilonem impellitur, ac remeante maris fluxu flammifera navis retorta, Flandrorum claſſem invadit, omnique ex parte incendia miſcet. complures, ne flammis abſumerentur ac concremarent, in mare deſiliunt, ac periculum periculo commutant, vitamque natandi peritia redimunt. Turbatis hac clade Flandrorum rebus, noſtrates remis veliſque in illos irruunt. Illi nihilo facti ſegniores, reſtincto, qua licet incendio, reliquas naves flammis intactas, omneque exercitus robur acriter hoſti opponunt. Certatum eſt initio ancipiti dubioque Marte à meridie ad emergentem vſque Solem, ita vt ne nox quidem, quæ ea parte anni, nempe Idibus Auguſti, ſubluſtris eſt, prælium

Flandrorũ ſtrategema.

Navale prælium.

prælium dirimeret. Noſtrates ęquo loco conſtituti, ventoque ab iis averſo ac ſubſidente Oceano, igni, ferro, faculis, accenſiſque ſarmentis ac ſudibus hoſtibus terrorē incutiunt, multoſque ardentes globos ac faces in hoſtium naves iis comburendis provolvunt. Interim oppidani reſeratis portis factaque eruptione maximam illis cladem inferunt, ac Flandrorū impetus in noſtros retundunt ac reprimunt, mulierculis etiam in hoſtem ita efferatis, vt non minus fortiter & animoſe quā viri ſe illis opponerent. Tantus in eo conflictu fragor, ſtrepitus, clamor, vociferatio, vlulatus fuiſſe perhibetur, vt plęrique teſtati ſunt, pluſquam trium miliarium intervallo horrēdos illos clamores fuiſſe exauditos. Quod nemini ſupra fidem videri debet, cum in mari editus ſonus, aut excitatus fremitus incredibili diſtantia percipiatur, præſertim tacita ſilenteque nocte. Cum enim nihil obſtet, vel nemora, vel montes, aut in cœlum erecti ſcopuli, clangor per æquoris planitiem, velut patentem atque vndique exporrectum campum, longe lateque ſe diffundit, ac per aëra volvitur. Cum autem tota nocte miſeranda ſtrages, ac cædes horribilis ſit edita, diluculo rebus deſperatis victi fuſique Flandri in hoſtium poteſtatem rediguntur. Deſiderati in ea pugna Flandrorum octo plus minus millia, capti præter gregarios milites, quorum non facile numerus iniri poteſt, Guido Dampetra Flandriæ Princeps, ac cum illo innumeri Proceres aulici: direpta ſigna militaria, pelles, tentoria, manubiæ, multaq. opima ſpolia atque exuviç cum Principe ac captivis in civitatem relata ſunt. Tota autem claſſis, quæ illis numeroſa erat, ſuiſque armamentis affabre inſtructa, vel quaſſata & convulſa, vel incendio abſumta: reliqua in hoſtium poteſtatem redacta. Hac itaque memorabili clade afflicti Flandri, de componendis rebus captiviſque redimendis conſilia ineunt. Quę documento Principibus eſſe debēt, qui alienæ ditionis ſunt avidi, ac finitimorum poſſeſſioni inhiant, non tentandas bello vicinas regiones,

Guido Flandrorum Comes captus ab Hollandis.

nes, vbi nulla ſubeſt legitima cauſa, aut juſta belli origo: quæ etiam ſi exiſtat, præſtat omnia potius experiri, nullaſque non conditiones pacis admittere, quam arma in manus arripere. Cæterum ſoluta jam civitatis Zirizææ obſidione, confectoq. bello, quod evenit anno Domini M CCC III, Idibus Auguſti, qui dies erat Laurentio ſacer, ne parta ex tam atroci ac cruento bello victoria annorum decurſu oblivione obrueretur, aut civium animis excideret, decretę ſunt ſolennes atque anniverſariæ ſupplicationes Deo immortali, eaſque Senatus quotannis eodem quo hæc peracta ſunt die, ac periculo eſt exemta civitas, in ſempiternam rei memoriã continuari voluit; quod a poſteris nunquam intermiſſum eſt. Quin & impuberes, qui ſcholas publicas frequentant, atque in palæſtra literaria verſantur, hunc diem feſtum habẽt, ac feriantur, permiſſa iis ludendi licentia. Ita rei geſtæ recordatio poſteritati tanquam per manus traditur: quo cuique civium innoteſcat, mentique fixius inhæreat, in quanta anguſtia, vitæque diſcrimine verſati ſint olim progenitores, cum pro aris & focis, pro conjuge & caris liberis acerrime decertant, ſuoque Principi ſtrenuã fidamque operam præſtare conantur. Interim hanc præcipue doctrinam exhibet poſteris, eoſque commonefacit rei hujus annua continuatio, vt rebus afflictis ac deſperatis, ad Deum Opt. Max. mentem erigant, atque ab eo ſalutem, patriam obſidione liberam, proſperos rerum ſucceſſus, victoriam incruentam ſummis votis exoptent: quod vnice factitaſſe legimus Abrahamum, Moſen, Davidem, Ezechiam, Iudith, complureſque alios, qui hujuſmodi præſidiis victoriam ſunt conſequuti. Cæterum cum Scaldia, in eaque ſita Zirizæa frequẽter ab exteris laceſſita ſit, ac bellis quaſſata, tum inſularum nulla minus Zuytbevelandia, quę a ſolo Auſtro oppoſita ſic denominata eſt, ſpatioſiſſimo amœniſſimoq. verſus Flandriæ ac Brabantiæ oras tractu exporrecta, tametſi paucis abhinc annis maximam jacturam paſſa, dimidio jam ſit anguſtior.

Zuytbevelandia vnde dicta.

Romerſualla civitas.

ſtior. Ab hac avulſa eſt civitas non ignobilis Romerſualla, quam nullis excultam agris, nullis exornatam pomœriis, Oceanus vndique alluit, ita vt vnica ſalis negotiatione ſubſiſtat.

Goeſa civitas.

In Occidentali vero inſulæ parte ſita eſt Goeſa civitas, perexiguo quidem murorum ambitu, ac ſplendide atque affabre extructa, civibus morum civilitate perpolitis. Eſt præter hanc inſula quædam Brabantiæ contermina, exiguo tantum freto diſcreta, in qua conſiſtit Toletum a vectigali & portoriis ita appellatum: a qua non procul abeſt Martinianus agger, Principis Auraſienſis municipium, locus amœnus atque arboribus vndique conſitus, in quibus maxima alitum, præſertim ardearum, copia nidulatur. Sunt pręterea minutæ aliquot inſulæ, minuſque celebres, vt Duvelandia a columbarum frequentia ſic denominata, Goereda à fida navium ſtatione, Plateſſa, tum plæræque aliæ non ita pridem ex mari vindicatæ, quarum deſcriptionibus inhęrere ſupervacaneum puto, cum edita nuper Zelandiæ Topographia ſingula exacte exhibeat, quæ ſpectator curioſus per otium oculis poterit demetiri. Quod vero ad gentis hujus originem ſpectat, conſtans fama eſt, atque indigenis per manus tradita, à Gothis ac Danis hāc profluxiſſe, præſertim ab illa inſula Cimbrica quæ in Dania Zelandiæ nomē inſcripta eſt, in qua ſpectatur celeberrimum Emporiū Hafnia, vulgari nomine Coopmanſ-havē, à portu negatiatoribus frequētata, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppoſitis erectisq. aggerū molibus, in inſulas redegerūt, atq. extructis primum caſis, minutiſque atque anguſtis tuguriis, ſementi ac paſcuis reddidere idoneā. Erat enim Cæſaris ætate magna terræ hujus pars, quæ non aliud quā Bataviæ appendix eſt, inculta nec vnquā ad ſerendi vſum vomere proſciſſa, aut foſſione ſubacta, ſed æſtuariis ac paludibus impedita, ita vt etiam nunc Hollandia plurimos vndique lacus exhibeat, adeo vt pedeſtria paſſim itinera illis conciſa, cymbis omnia tranſigenda ſint: quod ipſum etiam Zelandis vſuvenit in æſtuariis,

Toletum Zelandiæ civitas.

Martiniana civitas.

Zelandorū origo.

Zelandia apud Danos. Hafnia, Coopmanſ-hauen.

Zelandia Bataviæ appendix.

æſtuariis, quæ nihil aliud ſunt quam loca extra intraque littora marinis fluctibus expoſita. Siquidem effuſo in ipſa mediterranea ſalo, aquam affluenter concipiunt, ita vt hibernis menſibus omnia invia ſint, nec niſi ſcaphis ea loca adiri queant. Quod vero ſolum extra aggeres ad maris vſque crepidines atque extremas oras multis jugeribus longe lateque exporrigitur, ex alluvione coacervatum, crebris fluctibus, æſtuque tunditur, ac nonnunquam extumeſcente Oceano, vt aſſolet Luna vel plena, vel plurimum incoata, fluctibus obruitur: ſubſidente vero, rurſus emergit, ita vt loca paulo editiora, & quæ eminent, ſuaviſſimo pabulo pecudes reficiant. *Æſtuaria quid.*

In hujuſmodi receptacula ſe olim conferre ſolent impuberes ac mulieres, omniſque ætas ad bellum inidonea, vbi Romani Belgiam incurſionibus infeſtarent: erat enim tutiſſimum ibi perfugium, quod aditus acceſſuſque eſſet difficilis. *Æſtuaria in bello Belgarum perfugia.*

Sunt enim ea loca quæ noſtri Stellen, vel potius Staller, hoc eſt, caulas ac pecorum ſtabula vocant, noſtro etiam tempore multis incurvis voraginibus, ac verticoſis foſſis, per quas Oceani æſtus volvitur, (noſtrates Crcken vocant) impedita adeo, vt equitem armatum, ſi imprudenter atque incaute in illas inciderit, abſorberi atque obrui contingat: quo fit vt loci hujus viæque ignaris iſtac penetrare perniciosum ſit. *Voragines Zelandicæ.*

Sunt autem multis Zelandiæ locis herbidæ planities ac viridantia floridaq. prata nullis cincta aggeribus, quarum vſus in iis regionibus nunquam defuturus eſt: cum quæ à parte vna abradi avellique contingit, alteri alluvione adjiciantur, ita vt nunquam extruendarum inſularum materia huic regioni deeſſe poſsit. Horum quædam à virenti gramine ac læta pabulatione Garſen indigenæ vocant: quę vero parcius gramine vireſcunt, nec uberē adhuc pabuli copiam ſuppediant, a paſcendo vellendoque Schorren vocant. Ex his vbi aliquot jugerûm millia conglobari contingit, inſulas efficere noſtrates tentant: ac cùm vetuſtæ tum recentiores

ope humana ex iis rudimentis coagmentatæ ſunt ac coaluerunt. Multi olim ſoli hujus vbertate, atque agrorum ſpecie electi, expulſis veteribus colonis atque inquilinis, terrã hanc invaſerunt, ejuſque poſſeſſionẽ armis ſibi vendicarunt. Non defuerunt atavorum memoria, qui Batavis ac Zelandis infeſti, has inſulas in ſuam ditionem ac poteſtatem redigere ſunt aggreſſi; ſed duæ iſtæ nationes inter ſe conſociatæ, ſemper hoſtibus fortiter reſtiterunt: quo fit vt ad hanc vſq. ætatem vtraque gens eodem vtatur dominatu, eiſdem legibus, eadem juris æquitate, eodem ſit in hoſtes animo. Fuiſſe hanc gentẽ, quæ Zelandiæ nomine inſignita eſt, Batavis confinẽ ac proximam, ejuſque regionis partem atque appendicẽ, ex C. Cæſare, præter alia, iis verbis colligi poteſt: Moſa ex monte Voſego profluit, ac parte quadam Rheno recepta inſulam efficit Batavorum, neq. longius ab eo milibus paſſuum in Oceanum influit. Rhenus autẽ ex Lepontiis qui Alpes incolunt oritur, ac longo ſpatio citatus fertur, atque vbi Oceano appropinquat in plures diffluit partes, multisq. ingentibus inſulis effectis in Oceanum influit, quarum pars magna a feris barbariſque nationibus incolitur, quæ piſcibus & ovis avium vivere exiſtimantur, à quibus Rhenus multis capitibus in Oceanum influit. Quibus verbis mihi graphice deſcribere videtur Batavos Oceano Septentrionali viciniores, tum illis conterminos Mattiacos ſeu Zelandos, quorum inſulas & qui in Occidentali Belgica eadem ſunt cum iis conditione ac natura, paulò poſt his verbis deſignat: Pars in ſylvas, pars in cõtinentes paludes profugit. qui proximi Oceano erant, hi in inſulis ſe occultaverunt, quas æſtus efficere conſueverũt. Quę revera nullæ aliæ ſunt quã Zelandicæ. Quotquot enim ſunt in Belgio Oceano circumfuſæ inſulæ, tali modo conflatæ congeſtæque ſunt, ita vt primum natura conſiſtant; deinde arte muniantur, ac paulatim cultura atque induſtria hominũ in fructiferos fundos ac ſpeciosos agros, cultaq. novalia redigantur.

Batavi Zelandis conſociati.

Com. belli Gallici 4.

Moſæ origo.

Rheni origo & decurſus

gantur. Ea est autem apud nos rerum vicissitudo, vt minimo annorum decursu ac temporis intervallo magna incrementa hæc regio suscipiat; rursus maximam jacturam ac detrimenta patiatur: nec vlla res vices rerum humanarum, aut varios instabilesque motus melius commonstrat, quam Zelandiæ insulæ, quarum prosperi successus ac res secundæ æstuario fluxu & refluxu nunc huc nunc illuc volvuntur. Nulla est apud vllas nationes annona, aut res frumentaria etiam lectissimi tritici vberior, ita vt bina jugera Zelandica plus emolumenti cultori ac colono adferant, quam quatuor Brabantica: minus tamen tuta est fidaque apud nos huius rei possessio, cum singulis momentis, præsertim hibernis mensibus, flante Coro & Circio, ex maris sævitia periculũ immineat. Vnde enatum Proverbium ab iis qui optime rebus suis consultum cupiunt, atq. iis tuto frui exoptant, laudari Brabantici aëris clementiam ac soli stabilitatem; Zelandici vero fundi reditus atque annonæ proventum. quod ita efferunt vulgari sermone, Brabantsche lucht, Zeeusche renten. Nostra siquidem & avorum memoria centum plus minus jugerũm millia in insulæ formam redacta, atque aggeribus vndique cincta, dissipatis convulsisque in immensum congestis molibus invndante Oceano, non sine maximo incolarum interitu, salo oppressa sunt. Rursus indigenæ erectis novis insulis, quod nostrates crebro factitant, vbi herbidi ac graminosi campi se proferũt, sementi ac culturæ sedulo insistunt, ita ut paucorum annorum spacio, affluenti omnium rerum copia, supra quam credi possit ditentur. Sic apud Zelandos insultibus marinis continenter expositos, nihil stabile, firmum, diuturnum, & cui tuto possis fidere aut inniti. Siquidem loca portuosa, quæ navibus fidam tutamque stationem olim præbuerunt, vadosa efficiuntur, ac vel arena vel limo oppleta, ne minima quidem navigia admittunt. Rursus littora nullis portubus distincta, nullisq. navibus frequentata, facta eluvione commodissimos portus conse-

Zelandia mutationi obnoxia.

Proverbiũ Belgicum de Brabantia & Zelandia.

Magna apud Zelandos rerum vicissitudo.

consequuntur, facilesque aditus atque accessus navibus exhibent: quo fit vt negotiatio hominumque concursus & frequentia non vni loco perpetuo sit addicta, sed aliquando ob portus commoditatem ac loci situm alio demigret ac transferatur. Sic Zirizæa, nostra etiam memoria numerosa classe instructa, non solum onerariis navibus, sed rostratis & quæ ex Homeri appellatione Holcades voce Belgis vsitata nominantur, præter Hispaniarum ac Mauritaniæ oras, longinquas versus Aquilonem regiones frequentabat: nempe Norvegiam, Daniam, Rivaliam, Rigam, Gedanum, vulgo Dantzick, Stocholmiam illustrissimi Sueciæ Regis Erici auspicijs nunc celebrem: quæ navigatio, vt sunt vices rerum humanarum, Amsterodamum modo translata est. Quanquam civitas Zirizæa rebus omnibus ad commoditatem atque vsum vitæ necessariis cumulate fruitur, non minus affluenter quã cum exteris negotiatoribus esset celebris ac commeantium vltro citroq. multitudine frequentata; siquidē exterorum hominū cōcursus, nundinatio, mercatus, locorū celebritas, aliquando improviso dilabuntur ac concidunt, vel exorto hostili externoque bello, vel concitato populari tumultu, aut civium seditione: confestim enim quotquot alieni sunt ab eo loco, se subducunt atque incolumitati suæ consulunt. At ea negotiatio quę excluso omni fœnore inter cives & domesticos perficitur, facto etiam ab exteris vel inquilinis compendio, quęstuque liberali, stabilis est, firma, solida, minusque invidiæ exposita. Quod si aliunde calamitas ingruat, tum cives & domestici, intrepido infractoq. animo subsistunt, nec facile patrias sedes, aras, focos, conjugem, carosque liberos deserios patiuntur, aut suis finibus egressi, se suaq. alienis cedunt. Videntur autem Zirizæi in tanta rerum humanarum mutatione, atque ex alia in aliam vicissitudine quę divina providentia perficitur, commodis suis solerter consuluisse, atque incerta certis commutasse. Cum enim populares velificandi sint peritis-

Holcas genus navigii vastum, vulgo Hulck.

peritissimi, vbi non satis succederet negotiatio illa nautica quæ transmarinis mercibus perficitur, mutata navigandi ratione, piscatu se exercere cœperunt, vberrimo quæstu ac nemini damnoso, adde nullo prorsus naufragij metu, nulla rei familiaris jactura, nullaque fœnoris aut vsuræ infamia. Reliqui vero cives compendia quæstusque honestos ac minime invidiosos sectantur, ex iis quæ terra in vsum hominum cumulate atque affluenter effundit, quibus illi neutiquam defraudato Genio liberaliter fruuntur, ac præter laudabilem institutionem, ampliſſimam liberis hæreditatem, paternique nominis ac memoriæ patrimonium relinquunt. Cæterum vt exteris innotescat qua terræ cœlique parte constituta sit Zirizæa, & quantum ab elevatione poli digrediatur; dimensi sumus polum Arcticum sive Borealem supra Zirizęæ horizonta extolli vno & quinquaginta gradibus & quadraginta septem minutis, in eamque altitudinē verticem illum produci; longitudinem vero perfici viginti quinque gradibus. Quo efficitur vt cum Sol non adeo aversus sit, nec longius ab insula digrediatur, sed duobus æquinoctiis ac totidem solstitiis illam moderate illustrat, indigenæ Solis beneficio minus stupida obtusaque ingenia sortiantur, verum faceta, vrbana, festiva, pleraque ex auræ marinæ afflatu salsa & vitiosa quadam dicacitate contaminata. Qua de re suaviter nuper philosophatus sum cum Hiobo Nicolaide, viro sagaci atque industrio, qui cum strenue Reipublicæ functionibus incumbit, illamque summa ope fulcire nititur, integros incorruptosque civium mores exoptat: & si quid vitij ex Oceani halitu & salsuginosa vicinia contraxerint, institutionis industria corrigere.

FINIS.

ANTIQVITATVM

BATAVICARVM Tabularium,

Hollandiæ, Zelandiæque, ac Noviomagi Gelrici Inſcriptiones Monumentaque antiqua repræſentans omnia.

Archiota PETRO SCRIVERIO, Batavo.

ANNO CIↃ. IↃ. C. IX.

A.

C. Suetonius Tranquillus de XII Cæsaribus lib. IV.

In vita C. Caligulæ Cæsaris cap. XLIII.

Militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed quum ad visendum nemus flumenq. Clitumni Mevaniam processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingressus est, confecitque, &c.

Mox cap. XLIIII.

Adminio Cinobellini Britannorum Regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu transfugerat, in deditionē recepto, quasi universa tradita Insula, magnifica Romam literas misit: monitis speculatoribus ut vehiculo ad Forū usque & Curiā pertenderent, nec nisi in Æde Martis, ac frequente Senatu, Consulibus traderent.

Item cap. XLV.

Mox deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos traïci, occulique trans Rhenum iussit: ac sibi post prandium, quàm tumultuosissimè adesse hostē nunciari. Quo facto, proripuit se cum amicis & parte equitum Prætorianorum in proximam silvam: truncatisq; arboribus, & in modum Tropæorum adornatis, ad lumina reversus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit, comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit: quas distinctas Solis ac Lunæ, Siderumq; specie Exploratorias appellavit, &c.

Ibidem cap. XLVI.

Postremò, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisq; dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus esset repente ut conchas legerent, galeaq; & sinus replerent, imperavit: spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioq; debita, Et in indicium victoriæ altissimam Turrim excitavit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent. & cætera:

Quæ rediculosissima multa de hoc furioso Principe Suetonius persequitur: aliique meminerunt ejus insaniæ: sed inprimis Dio, qui copiose narrat.

ANTI-

ANTIQVITATVM BATAVICARVM COLLECTANEA.

ACcipe, Lector candide, Antiquitatum in Batavis & vicinis locis repertarum omnium (quæ quidem ad notitiam meam pervenerunt) collectanea; sive confirmandis Aurelij nostri disputationibus, sive etiam illustrãdis. Nostrum, qui chariſſimæ Patriæ voluimus quoquo modo gratificari, non erat ea præterire: tuum est, si Antiquitatis, aut Patriæ (vt debes) studioſus es, ea non negligere. Ordiar a præstantiſſimo (dum Fata Deuſque sinebant) & commemoratione memoriaque omni digniſſimo Monumento, quod ARCEM BRITANNICAM Latini, & BRITTENBVRGVM vulgo vocant. Fuit illud Præsidiarium Populi Romani Caſtellum Rheni quondam superciliis, ipsique ostio, vt videtur, impositum; deinde hostica vi exciſum; postremò maris æstu ac litoralibus arenarum cumulis adobrutum, sepulchri simile nihil præter nomen hodie reliquum habet. De quo quid viri docti sentiant, operæpretium est audire.

Humfredus Lhuydus Anglus in Epiſtola ad Abrahamum Ortelium Antverpianum.

DE TVRRI BRITANNICA (cujus nomen Ortelius jam mundo illustre suis elegantiſſimis typis fecit) quod conjectura assequi possum, (quum certi nil me legiſſe contigit) accipito. Britannos omnes, omnesque Oceani accolas olim piraticam exercuiſſe, ex nostris Annalibus Britannicâ linguâ

scriptis liquet: eosque sæpenumerò in Morianam, Rutheniam, & Germaniam trajeciſſe conſtat. Quæ nomina [a] Morianæ & [b] Rutheniæ noſtrates & Angli noſtrarum Hiſtoriarum interpretes, ob linguæ & hiſtoriarum imperitiam, in Mauritanos & Ruſſos ſatis infeliciter pro Morinis & Flandris contorquent. Igitur quum nullus eſſet commodior portus, quam oſtium maximi fluvij Rheni, veriſimile eſt eos in illum locũ ſæpius trajeciſſe, & inde incolas Turrim aliquam ad eorum impetum reſiſtendum fabricaſſe, & Imperatores Romanos hoc ædificium (nomine ſervato) poſtea in alium vſum convertiſſe. Alia etiam conjectura ex eadẽ officina fabricari poteſt. Antonini etiam tempore, quum jam mare per Saxones & Friſios infeſtaretur, ipſe hoc ædificium inſtauravit, impoſitis in eodem ex Britannico exercitu militibus: vnde & nomen adipiſci potuit. Reſtat vna, quæ inſtar omnium erit. Quum Britannia tunc temporis eſſet quaſi horreum Occidentalis Imperij, & annona illinc transferebatur per Britannos, ad exercitum limitis Germanici cuſtodem alendum, nullus aptior locus erat deponendi onera, quam in oſtio maximi fluminis Rheni: vbi iterum alterius generis navibus contra curſum aquæ per Menapios ad Coloniam & Moguntiam vſque (vt nunc factitant) veheretur. Vnde ille locus, quum & eſſet mercatorum Britannorum receptaculum, & annonæ ab illis invectis quaſi horreum (qualia refert Ammianus Marcellinus Iulianum Cæſarem multa per Galliam & Germaniam pro Britãnica annona conſervanda exſtruxiſſe, & alia incenſa & diruta reſtauraſſe) à frequentia Britannorum Britannici nomen meruit.

[a] A Morinis *ita dicta. qui Galliæ Belgicæ populi apud* Germanen *Flandriæ conſedisſe putantur.*

[b] Rutheniam *pro avorum ætate Flandriã fuiſſe nuncupatam, conteſtatur Canalis. Et* Rutjen *etiam nunc teſte Meiero littus Flandricum appellatur à nautis. Idẽ quoque* Ruthenię *meminit, initio Annalium Flandricorũ. Atque hinc vox populi,* Ruten en roben.

Hadrianus Junius Batavię Cap. X.

IN ripa medij alvei Rheni ARMAMENTARIVM Populi Romani exſtitiſſe, tum fundamentorum ſubſtructio, tum marmo-

marmoris in eo refossi inscriptio loquitur, clareque convincit; quod vt principio Pharus fuerit, postea tamen majori vsui futurum in Præsidiarium Castellum (vbi appositis excubiis & custodiis arma navalia aç tela asservarentur) conversum fuerit, facilè vt credam adduci possum, quo sic à piratarū injuria, a quibus mare Britannicum sæculis omnibus per Saxones Cimbricæ accolas, & Germanos maritimos (qui & Franci) insteſtum fuit, portus opportunus defendi posset. BRITTEN vulgo in hodiernum vsque diem nuncupatur, & BRITTENBVRGVS, quod sonat Britannicum Castellum, a vicina oppositaque Britannia, tunc Romani Populi vectigale, vnde frumentum classibus ad præsidiaria Romanorū horrea, Rheni superciliis imposita, importatum subvehebatur : ea namque vero similior est nominis origo, quam quæ pacis argumento vocem in FRIDTENBVRGVM detorsit. Isti meę conjecturæ, quam ante annos sex scripto mandaram, adstipulatorem nuper nactus sum Humfridum Lhuydum Anglum, virum literatum; cujus de TVRRI BRITANNICA (ita enim nominat) Epistolam typis procudendam dedit Abrahamus Ortelius, insignis Geographus, in elegantissimo illo opere cui THEATRVM ORBIS nomen est. In ea parum evariat a mea sententia, annotans ex Occidentalibus Imperij provinciis annonam transferri per Britanniam velut horreum consueviſſe, inde subvectū fuisse navigiis Britannicis per ostium Rheni ad præsidiaria limitis Germanici horrea, atque ita à mercatorum vel potius vectorum Britannicorum frequentia, BRITANNICÆ TVRRIS nomen secutum. At ego non aliunde per Britanniam, sed ex ipsa tanquam cellâ penariâ Reipublicæ Romanæ subvectum fuisse frumentum ad limitanea Germaniæ præsidia, natamque inde nominis Britannici originem autumo. Adfert idem & alteram appellationis conjecturam à milite præsidiario è Britannia ab Antonino loci custodię impositio ortę. Adjicit & tertiam, qua putat eam

Turrim ad latus portus ſeu oſtij Rheni a Batavis indigenis conſtructam ad defendendum periculum a Britannorum piraticam exercentium incurſionibus, quas in Morinos & Batavos faciebant, vt illius gentis loquuntur Annales, creatumque exinde nomen, mutato licet ædificij vſu. Cæterùm refragari argumento ſuperiori, aut id revellere omnino velle animum non induxi: ſi qui tamen diſputatione quaſi cote adhibita veritatem velit acuere, is Caium Caligulam opponat, auctorem & conditorem, meo quidem judicio, iſtius Pyrgi: cujus ſtultitiam inſignem ac famoſam toties in exiguo libello, Apolocyntoſi inſcripto, ſugillat Seneca, vt pudeat referre: neque diſſimulat inpune illi fuiſſe objectam Tranquillus. Omitto, quòd recepto transfuga [a] Britanno laureatas ad Senatum literas miſerit, quaſi per ſomnium locuples, ſibique ipſi perſuadens vniverſæ Inſulæ imperium, quam cum exercitu nunquam adierat: quòdque ſimulacra pugnæ, credederit vera fuiſſe prælia. Quod verò evidentius innatæ ſtoliditatis argumentum & indicium requiras, quàm quod confecturus bellum adverſus Oceanum ſuſceptum, inſtructa acie, vmbilicos & conchas Oceani ſpolia repente colligi a milite præceperit, atque in victoriæ ſignum excelſum in littore Pyrgum exſtrui curarit, de quo vt [b] Suetonius loqui intelligatur, verba ejus adſcribã: Poſtremo, inquit, quaſi perpetraturus bellũ,

» directa acie in litore Oceani, ac balliſtis machiniſque diſpoſi-
» tis, nemine quaro ac opinante quidnam cœpturus eſſet, re-
» pente vt conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, im-
» peravit, ſpolia Oceani vocans Capitolio Palatioque debita.
» Et in indicium victoriæ altiſſimam Turrim excitavit, ex qua,
» vt ex Pharo, noctibus ad regendos navium curſus ignes emicarent. Quo ex loco viri non indocti ſuſpicantur & conjiciunt, TVRRIM, quam è ruinis in ARMAMENTARIVM converterit poſtea Severus Imperator, eſſe illam ipſam maritimam & litoralem, cujus facta ſit a Suetonio mentio, actum deſtina-

C. Caligula conditor Brittenburgi.

a Adminio, Regis Cynobellini filio.

b *In Caligulæ vita, cap. 46.*

destinatam fuisse muneri accendendorum ignium nocturnorum, quibus cursus navium regeretur ad prænuncianda vada. Certè in Bataviæ litore eam expeditionem, Caligulæ ingenio accōmodam, lusam fuisse atque adornatā, tribus verbis voluisse indicare [a] Cornelium Tacitum, videre mihi videor, quum de [b] Brunone inter Caninefates claritate nataliū nulli secundo, Duce delecto, loquens, narrat patrē eius multa adversus Romanum nomen hostilia ausum fuisse, & Caïanarum expeditionum (quas obiter transcurrens memoravi) ludibrium impunè spreviſſe. Quo verborum compendio quid magis appositè dicere potuit, quam Caninefatem illum convicio inulto atque impunito, linguæ effrenioris habenas liberius solvisse in Caligulæ insaniam, qui cum mari bellū susciperet, pro spoliis hostilibus conchularum ornamenta, puerilia scilicet crepundia, legenda mandaret. Vbi vero potuerit ille impunius debacchari in Imperatorem, qui vitæ necisque jus in acie linguæ haberet, (vt de Alexandro quondam dixerat Callistratus) quam inter suos, hoc est Batavos, aut proximos saltem Bataviæ finibus, non intelligo. De istius expeditionis in Britanniam cogitatæ apparatu, consimilia penè literis prodidit [c] Dion Cocceius in hanc sententiam: Caligula ad Britannicum Oceanum profectus, conscensis triremibus» paululum provectus eveſtigio revertit, datoque è sublimi tribunali militi signo, velut ad conflictum, animatos tubarum» sonitu, jussit conchas marinas colligere; quo peracto, gloriatus se Oceani victorem, post numeratum exercitui opimum» congiarium, cum spoliis maris ostentui futuris Romam re-» petiit. Verùm asseveranter sententiam meam interponere, re propter altissimam vetustatem dubia ac controversa, supersedeo, aliis, qui majore abundant otio, & quibus rotundiore felicioreque Genio loqui datum est, libenter herbam cessurus. Quidquid sit, sive Caligulæ Pharus fuerit, sive alterius cujuspiam Fabrica, id extra dubium est, ARMA-

[a] *Histor. lib. 4.*

[b] *Hic alias* Brinio *dicitur.*

[c] *Histor. Roman. lib. 59.*

MENTA-

MENTARII vſum & nomen induiſſe ſub Severo Imperatore, & ab eodem reſtitutum; cujus memoriam tuetur lapis è ruinis extractus anno Salutis CIↃ. IↃ. XX, & in ædes Principis Familiæ VVaſſenariorum Hagam Comitis inde tranſlatus. cujus hæc eſt inſcriptio:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. ET M. AVRELIVS ANTONINVS CAES. COH. VOL. [a] ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT, SVB. VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE CACIL. BATONE PRAE.

[a] *Armamentarium eſt prŏptuarium machinarum, tormentorum, telorũ atque omnis generis armorum. Vnde Iuvenalis: Quid quid habẽt telorum armamentaria cali. Meminit Cicero Armamentarij Telluris, & Plinius Armamẽtarij mille navium capacis*

Iſtud vero ARMAMENTARIVM forma quadratum, paribus in omnes partes ſpatiis productum, ſatis loquitur ac commonſtrat, quam hic damus, ejus ichnographia, è nudatis (quod ter mea ætate accidit, primũ anno Salutis CIↃ. IↃ. XX. deinde iterum CIↃ. IↃ. LII, die Divo Pontiano ſacrata: tertio CIↃ. IↃ. LXII) fundamentis fideliter expreſſa: quodlibet autem vniverſi operis latus ducenos quadragenos pedes complectitur, nimirum vicenas noſtrates metatorum decempedas, quo menſuræ modo decempedam in duodenos porrigi pedes cognoſcitur. Turrium propugnacula in Rheni præterlabentis ripam obverſa fuiſſe apparet, ad majorem operis firmitudinem contra fluenti vim, & hoſtilẽ quoque, ſi quam piratica adferret. Procurrentes vtrimque illinc verſus Orientem Solem, hinc Occidentem, murorum ductus extra Arcis aream, cloacæ videntur fuiſſe, per quos omnium purgamentorum receptacula, quidquid erat ſordium, aquam admiſſam & caſtellis receptam, proluiſſe atque in mare exoneraſſe crediderim. Saxa ingentia è fundamentis eruta, quæ vidi, quaternos pedes longa ferè erant, ternos craſſa: qualia anno CIↃ. IↃ. LII, ad quadraginta numero refoſſa annotavi. Extra

Arcem

Arcem ripæ margines craſsioribus tabulis præſtructi erant, & palis per fiſtucas altius adactis præmuniti, ne ab vndis decurrentibus adederentur.

Ichnographia Armamentarij Populi Romani, quod Brittenburgum appellant.



Hæc ARMAMENTARII veſtigia reliqua, ſepulta, marique adobruta latent, niſi ſi quando poſt Aphrici vehementis continuatã furiam, ſubito ſæva & immoderata tempeſtas à Cauro, litoris noſtri tyranno, commota ſucceſſerit: tunc namque nudatum arenis littus retectas à fundamentis reliquias, recedente maris æſtu, ſpectandos præbet, quamvis eæ tenues ac perexiguæ relictę ſunt, quando ſtudium & improbitas hominum ad inuſitatum ſpectaculum affluentium, quidquid reſidui fuerat toties repetitis vulneribus (nam tertium aperta fundamenta mea novit ætas) omne exhauſit. ARMAMENTARIVM autem ipſum à Nortmannis aliiſque immanibus

Barbaris, quos Borealis plaga nimbi instar Hollandiæ infudit, excisum soloque æquatum existimo, solas ruinas mari reliquas facientibus.

Gulielmus Camdenus in Insulis Britannicis.

IN Hollandię littore, quà Rhenus se olim exoneravit, fluctibus obteguntur ARMAMENTARII antiquissimi fundamenta, quæ rarius Oceani inundatione nudata, admirandæ venerandæ Antiquitatis spectaculum & nobilissimam substructionis formam exhibent, quam elegantissimis typis Abrahamus Ortelius veteris Geographiæ instaurator & amicus mihi conjunctissimus ex ipso Oceano vindicavit. Hujus libentius meminerim, quòd Hollandi Hupste Britten, id est, DOMVM BRITANNICAM indigitant: vt saltem nomine sit Britannica. Vt enim in confesso est C. Caligulam, quum Britanniam cogitaret, in ludicra illa expeditione pro Pharo construxisse; ita Septimium Severum vetustate collapsam restituisse antiqua Inscriptio ibi effossa testatur; vnde tamē Britte dicta fuerit, in conjectura positum. A Britannis vt nomen sortiatur, probabile est: BRETTAM enim Philippi Melanchonis patriam à Britannis denominari ipse credidit, & MONTES in Hannonia *Breten* à Britannis dictos fuisse, alibi legimus. Verumtamen, vt cum Plinio loquar, quum ille Britannicæ herbæ, quæ Bataviæ peculiaris, nomen miretur, nisi fortè confines Oceano Britanniæ propinquæ dicaverint: sic ego, cur hæc ARX BRITANNICA diceretur, demiror, nisi nostræ Britanniæ oppositæ Batavi consecrarint. Locum in Morinis Portū Morinorum Britannicū vocat Plinius, vel quòd inde in Britanniā trajecerēt, vel quod ex adverso prospiceret. Quid igitur impedit, quò minùs hæc Arx eadē ratione BRITANNICA appellaretur? Hic enim Britannos sæpè appulisse, & hinc è Germania in Britanniam trajectum fuisse nemo diffiteri

diffiteri possit, quum Zosimus Oceanum inter Britanniam & hoc Rheni ostium interfusum IO CCCC stadiis tanquam vsitatum trajectum dimensus fuerit, scripseritque annonam è Britannia ad hunc locum subvehi solere, & inde fluvialibus navigiis adverso Rheno ad Romanorũ castra distrahi: quum Iulianus Augustus horrea exstrueret, vt inquit Marcellinus, vbi condi posset annona à Britannis sueta transferri. Quo tempore hoc ARMAMENTARIVM in horreum cõversum, & ex Britannica annona Britannicum appellatum videatur, eoque magis quòd in Hollandiæ monimentis Bittenburg concipitur. Illa enim ætas castra opportuna & annonæ copia referta [a] BVRGOS, vt est in Burgundionum Historia, vocavit. Quid (vt hac in re, quæ tam multos incertat, conjecturam ex conjectura contexam) si Britanni hoc occupaverint, & suo nomini adoptaverint, quum Magnum Maximum, quem alij Clementem Maximum nominant, purpura contra Gratianum induerint? Ille enim ad hoc Rheni ostium adpulit. Si necdum hinc Britannicum nomen acceperit, quid si Saxones Hups te Bitten vocarint, quòd in Britanniam hinc solverint, quum nostra littora suis ciulis (sic myoparones vocarunt) infestarent. Saxones enim Bataviam, Saliis Francis expulsis, insedisse docet Zosimus, & inde in Britanniam se infudisse satis clarè constat. Quod etiam Dominus Ianus Douza, vir verè nobilis & doctissimè eruditus, in sua Ode Lugdunẽsi innuit. Audi tamen, ne in Britannicam gloriam effusior videar, quum doctissimus Bataviæ alumnus Hadrianus Iunius Britannicam herbam ad Bitten suæ gentis vocabulum revocarit, quod copiosè proveniat in cespitibus quos illi Bitten dicunt, & è quibus contra Oceanum aggeres exstruunt: neutiquam absurdum erit, si quis hanc Hups te Bitten ad eandem originem referat; scilicet ita nuncupatam fuisse, quod contra incursantes vndas oppositis aggerum molibus è cespite sive Bitten munita fuerit, quas quum Oceani violentia interscidisset,

[a] *Sub posterioribus Imperatoribus Castella parva opportuna bello, & annonæ copia munita* Burgi *dici cœperunt, nomine novo, quod post translatum in Orientẽ Imperium a Græcorũ* Pyrgo *Germanici alij mutuo sumsisse videntur. Vnde & Burgundionum nomẽ, quasi* Burgwoners/ *quia Burgos incolerent, sic enim illa ætas crebra per limitem disposita habitacula vocavit.*

disset, etiam ædificium depressisse videatur. Sed hæc viderint illi, qui vim verbi & loci situm penitiùs perspiciunt, & mihi ignoscant si in alienam messem falcem immiserim.

A In verò seriò, vir clarissime, vir integerrime, vir eruditissime, tum quum optime de Patria nostra mereris, ignosci tibi postulas? Quid si (quod tamen alienissimum à niveo Camdeni pectore) male tractasses, aut dicterio aliquo obiter perstrinxisses? (nam nulla tam felix regio & omnibus absoluta numeris, quę reprehensione careat) ignoscì tibi par erat. At nunc contra amare te, Batavicę q[uæ] laudis studiosissimũ censere, tam æquum est quàm quod æquissimum. Placetne, Domine, mecum Collectanea hæc Antiquitatum, quas paucas ex plurimis injuria temporis nobis reliquas fecit, diligentius paullo & pensiculatius examinare? Placet, opinor. Adscribam eas itaque omnes, quæ in manus meas venerunt. Procul dubio obscuris lucem fœnerabit subactissimum tuum ac in omni literarum genere versatissimum ingenium.

ARCIS BRITANNICÆ vetustatem probat, exstructumque primò à Claudio Cæsare asseverare non dubitat Ortelius cum Golzio, qui hanc Inscriptionem ex fragmento antiqui marmoris in ruinis Arcis eruti descripsit.

.....TANNIC.GERMANIC.PIVS.FELIX. AVGVSTVS
.....MAX.TRIB.POT.XVIII.COS. III.P.P. IMP.III.
....RAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
....ERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM

Hic lapis, etsi omnibus modis mutilus, testari videtur Aram in Batavis a Claudio positam, & a Severo postea restituram. Inscriptionem autem ita fuisse conceptam, non abludit a vero: non enim ausim cum viris doctis affirmare eam

hoc

hoc pacto suæ integritati omnino restitutam.

IMP. CAES. M. AVREL. a ANTONINVS
BRITANNIC.GERMANIC.PIVS. FELIX. AVGVSTVS
PONT.MAX.TRIB.POT.XVIII.COS.IIII.P.P.IMP.III
ARAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. SEVERO. PATRE.SVO. RESTITVTAM

a *Qui a genere vestis, qua delectabatur,* Caracalla *cognominatus.*

Hinc liquere arbitratur Ortelius a Claudio Cæsare (cui etiam Hollandiæ [b] Annales hanc Arcem attribuunt,) in sua nempe expeditione Britannica, cujus Suetonius & Dion meminerunt, sive in commodiorem legionum cohortiumque transvectionem, sive quo milites hybernarēt, Arcem Britannicā primo exstructam esse, eo loci forsan vbi Cæsar Caligula antea in monumentum debellati Oceani, vt Suetonius auctor, Pharum erexerat, ac postea a Severo restitutam consecratamque a M. Aurelio Antonino. Hęc ille. Sed aliud egisse vir doctissimus videtur, quum ista dictaret. Nam ex ipsismet auctoribus, quos in testimonium citat, facilè erroris convincitur, ex Dione inquam & Suetonio; qui Claudium expeditione Britannica Gessoriaco solvisse oram & Oceanum trajecisse testantur, ibique fornicem seu Triumphalem arcum illi ob victoriam devictis Britannis ex Senatus Consulto positū. Gessoriacum autem Morinorum Navale est & Galliæ Belgicæ portus, è regione Albionis Insulæ: Bononia alias dicta. Nam ita disertè Tabula Itineraria Peutingeri, superioribus annis immortali beneficio viri amplissimi Marci Velseri Augustani Antvverpiæ ab Ortelio edita, testatur: in qua legitur, GESSORIACVM QVOD NVNC BONONIA. Vulgo illud oppidum incolæ *Bologne*, Flandri Brunen vocant. In veteri Glossario Britānico Bononia redditur Bolung Long. Vt Navale fuisse appareat. Nam navem Britanni lingua sua Lhong vocant: quod nupera Britanniæ Camdeniana Editio Augusta

b *Divisione 1. cap. 13 & Divisione 2. cap 15, Ex Iohannis Gerbrandi Chronico Divisione 1, cap. 13.*

Londinenſis docuit. Geſſoriacū idem eſſe cum portu Iccio, perſuaſum eſt quibuſdam. Rectène an perperam, ego in medium relinquo. Parum aut nihil ad nos ea diſputatio pertinet. Magis iſta Inſcriptio ſequens : quâ docemur ARCEM BRITANNICAM, ſive Caligulæ Turris fuerit, ſive alterius cujuſpiam Fabrica, ARMAMENTARIVM fuiſſe dictum antiquitùs, poſteaque reſtitutum a L. Septimio Severo Auguſto & M. Aurelio Antonino Cæſare. Sic autem loquitur lapis, in iiſdem, vt memoratur, ruinis repertus: exſtatque Hagæ Comitis in auguſtiſſimis ædibus Nobiliſsimorum Dominorum de VVaſſenaer.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS AVG. PII
M. AVRELIVS. ANTONINVS. CAES. COH. XV
VOL. ARMAMENTARIVM. VETVSTATE
CONLABSVM. RESTITVERVNT. SVB
VALERIO. PVDENTE. LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE
CAECILIO. BATONE PRAEF.

Lapidis hujus Epigraphen etiam alij exhibuerunt, ſed non ea fide qua oportuit. Nos eam ad ipſum marmor deſcribi juſsimus, curavimuſq. hîc bona fide exprimi, ſervata etiam characterum, quibus exarata eſt, forma, & contcriuplicationibus, quas ita reſolvas licet.

Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Auguſtus & Marcus Aurelius Antoninus Cæſar Cohortis decimæquintæ Voluntariorum Armamentarium vetuſtate conlapſum reſtituerunt ſub Valerio Pudente Legato Auguſtali, Propratore, Curante Cæcilio Batone, Præfecto.

Has Notas, COH. XV. VOL. interpretor Cohortis decimæquin-

quintæ Voluntariorum. Ejus Cohortis mentio in alio lapide, quem prope Leydas ad Rhenum, anno M D II, cum aliis erutum testatur Aurelius. Meminit & ejus alia vetus Inscriptio, quæ exstat Romæ, vbi in marmoris basi:

TRIB. COH. XV. VOLVNT. C. R. &c.

Id est, Tribunus Cohortis decimæquintæ Voluntariorum Civium Romanorum. Cohortis etiam octavæ Voluntariorum Civium Romanorum mentio alibi occurrit in opere Inscriptionū Orbis Romani, quod auspiciis C C. V V. Iosephi Scaligeri & Marci Velseri nuper prodiit, edente præstantissimo Iano Grutero I. C. & Philologo eximio, cujus immortali beneficio locupletissimum Antiquitatum thesaurū perpetuò est debitura posteritas. Quare non est quod hîc quispiam cum Aurelio Cohortem Volusianam aut Volscorum somniet. Cæterùm ex fide hujus lapidis Castrum quod hodie Bittenburg, sive thuys te Bitten vulgo appellatur, Armamentarium Romanum fuisse creditur. Et rectè: si modò ad Oceanum lapis ille repertus. Sane Aurelius & Auctor magni Chronici Hollandiæ testantur disertissimis verbis eum circa annum M. D. II Romæoburgi erutum. Idemque videtur innuere Gerardus Geldenhaurius Noviomagus. Ita vt [a] Arx quę vocatur Romana Armamentarium fuerit, non Arx Britannica. Castrum autem illud, quocunque loco positum fuerit, non sub Severo Imperatore, quod Junius credidit, Armamentarii vsum nomenque induit: sed jam tum ante armorum telorumque promptuarium, conlapsum aut ævi longinqua vetustate, aut alio casu, restituerunt Severus & Antoninus, circa annum Christi CC VII. De quo vt nihil ambigimus, ita in sequentibus plerisque N.L. Sed videamus, & quæ opis nostrę sint in mediū conferamus.

[a] Boomburg.

Visitur hodieque apud Hagam Comitis in V Vassenarię gentis

gentis ędibus prius à me nominatis alter lapis in ijſdem ruinis rutisque cęſis Arcis Britannicę repertus anno M. D. XX, cum hac Epigraphe vtrimq. a fronte pariter & tergo mutila.

..... EVER. PIVS. PERT. AV .....
..... MAX. TRIB. PAT. XIII ....
..... NTONIN. PIVS AV .....
..... ER. MILIT. LEG. I. ME ....

..... ENIDIORV .....

Extat ibidem & tertius lapis ſalſi maris vndis & poſt imbribus exeſus ad modum pumicis, qui nihil admodum certi præfert, præter literarum aliquot ad dexteram ſulcos & picturas propemodum ignorabiles. Eſt autem trilateralis, hac formâ.

In exteriore latere ſeu fronte lapidis icuncula alatæ Victoriæ cernitur, dexterâ lauream coronam attollens, lævâ tenens deprimenſque clypeum : In altero Aquila alis expaſſis Orbi duabus ſe mutuò ſecantibus zonis cincto inſiſtens, excurrentibus vtrimque tribus radiis, vt videtur Iunio : Ego Iovis fulmen eſſe arbitror. In tertio Inſcriptio ſequens:

IMP. CAES. ANTO. AVG.
COH. BAETORV. PE

In

In Iunij Batavia Inscriptio illa ad hunc modum legitur:

IMP. CAES
ANTO
..NE
AVG. COH
M TO RV
PE

Quæ Delio natatore egent. Nostra clariora sunt. Et totidem literis exstant in Collectaneis Inscriptionum Gruteri. Ad quas etiam absolutissimus Index Capite sexto, quod ea quæ ad rem Militarem & bellicam spectant continet, COH. BAETORVM; & Capite decimo, quod Regionum, Populorum, Oppidorum nomina, aliaque Chorographica designat, BAETOS populos agnoscit: ex hac videlicet Inscriptione. Idem Index Capite vigesimo, has Notas sive literas singulares P. E. interpretatur, Publicè erexerunt. Fol. CCD LXVIII. num. 2.

Inter ejusdem Castri rudera coctiles varij lateres inscripti, imbricesque, & tesseræ seu quadratæ pavimentorum tegulæ inventæ. Exprimit, quos vidit, Iunius tres lateres vtrinque ceu parietibus assurgentes, qui parte sui insternebantur & vicissim substernebantur alteris, vt quasi communicatis operis imbrem aquamque pluviam, quam ex imbricibus præcipi-

tantem excepisse videntur, per compluvium deveherent.

Lateres coctiles quindecim pollices longi.

Extant apud eundem imbrices, & diversi generis tesseræ, quarum diversimodè expressa Inscriptio INFERIORIS GERMANIÆ Exercitum loquitur.

Imbrex tredecim pollices longus.

Tesseræ omnes octo in quadrum pollicum, duos digitos crassæ.



An. 1520.

Vidit idem figlinorum fundos, in quorum vno legebatur hæc

hæc Epigraphe VITALIS. FE. in altero BOVONV. FE. Capedinum quoque & paterarum fictilium fragmenta, cum Inscriptione MINV. EV. F.

Hactenus de Monumentis literatis, quæ cantant a se (vt Plautus jocatur) cuja sint. Ejus generis alia multa penes Antiquarios; quæ parcam adscribere, quòd mutila sint, & ferè nullius frugis. Ad alia veniamus.

Extracti ex iisdem ruinis hi lapides sculpti. Primus Herculem clavigerum exprimit; alterum Victoriæ simulachrum, vt videtur Iunio; qui de tertio quid dicat, non habet. Ego etiam quid velit, ignoro.

Repertum ibidem æneum sigillum togatum, quod in Lario stetisse verisimile fit Iunio, stilobatæ insistens: & alterum Palladis galeatæ, dexterâ noctuam tenentis, lævâ hastam, quæ

quamvis hinc aberat, aperta tamen elataque manus clapsam amissamque testatur.

Ao. 1562. Eodem in loco inventus lychnus pensilis, sive lampas ænea, cui cavum est affabre circinatum, cum imminente quadrato cælo, ad arcendum flammæ periculum, vti apparet; sive etiam contra fumi surgentis nigrorem.

Item Samium poculũ elegantissimi operis rubrum, è Lemnia terra, vt creditur, summi lævoris, collo angusto, cujus mediis

diis in faucibus, ceu tubulus quispiam crenatus assurgit; ore pando quaterna foramina in cordis speciem figurata præferente, cujus interiorem ambitum quædam veluti margaritarum linea, interspersis cyanei coloris eranis distincta, tanquam limbus pulchrè exornat, quod ejus cavum auri admotum maris murmurantis fremitum repræsentat.

Præterea hæc antiquæ figlinæ vascula, confracta.

Inventa inter alia hæc clavis, septenos pollices longa, & ponderosa mole prægravis. Sunt qui eam ipsius Armamentarij clavem palàm affirment. Quod ego, vt incertum, in medium relinquo. An. 1528

Sequitur clavis anulata, quam libuit sculptoris manu fideli-

ter expreſſam hoc loco apponere.



Ejuſmodi claves ſive anulos complures in ruinis Arcis Britannicæ & alibi erutos, videre eſt apud Antiquarios, forma minutiſſimi digiti. Vir ſummus Iuſtus Lipſius ſignatorios ſive ſigillaricios hos anulos fuiſſe exiſtimat, cum adjuncta clavi, ad duplicem ſcilicet vſum, ſignandi aperiendique. Non enim ſolùm (vt hoc in tyronum gratiam adjiciam) epiſtolas vltro citroque miſſitandas ſignabant Romani, ſed apud ipſos etiam moris erat, vt domi ſupellex penusque omnis anulo ſignaretur, ne quid negligentia aut furto periret. Cujus anuli cura propriè ad matres familias pertinebat. Hinc Flavius Vopiſcus ſub finem Hiſtoriæ Aureliani Cæſaris : Vxori & filiæ anulum ſigillaricium quaſi privatis inſtituit. Et in Pandectis Iuris, Pater pluribus filiis heredibus inſtitutis moriens claves & anulum, cuſtodiæ cauſa, majori natu filiæ tradidit. Signabāt autem res non tantùm pretioſas, verùm etiam minimi momenti. Viliſſima vtenſilium anulo clauſa Cornelius Tacitus Annalium lib. 11 commemorat. Et Plinius Hiſtoriæ Naturalis lib. XXXIII: Quæ fuit, inquit, illa Priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur ? Nunc cibi quoque & potus anulo vindicantur a rapina. Teſtatur quoque Cicero matrem ſuam lagenas ſive amphoras vinarias etiam

Tit. de Legat, 2. Leg. Quum Pater 77. § Pater plurib.

etiam inanes obſignare ſolitam, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe quæ furtim eſſent exſiccatæ. Hujus moris obvia paſſim apud Auctores veteres exempla. Erant autem iſti anuli ferè ex ferro. Ferreique ſunt quos in Batavis erutos meminimus. Vt appareat ſervorum fuiſſe, aut vulgarium militum: quanquam (o ſanctos mores!) C. Mario, quum de Iugurtha triumpharet, anulus in digito ferreus erat: & D. Auguſto Decurias ordinante, major pars Iudicum in ferreo erat, anulo. Quod narranti Plinio credi convenit. Qui ſcribit quoque avorum memoria multos illuſtres viros Prætura functos, in ferreo conſenuiſſe anulo. Idemque tradit adhuc ſua ætate ſponſæ anulum (quem Pronubum appellabat Tertullianus) à ſponſo mitti ſolitum, ex ferro ſimplici, & ſine gemma. qualem Caſſum Literatiores vocant. Conſtat tamen anulos ferreos vulgarium militum fuiſſe, aut ſervorum. Non mediusfidius ad ornatum, ſed ad ſignandum ea quæ domi cuſtodienda ſunt. Anulus aureus Equitum Romanorum peculiare ornamentum erat. Diſtinguebatque Equeſtrem ordinem a Plebe. Iuſque anuli habere, perinde erat ac Equeſtri dignitate prędi-tum eſſe. Hæc antiquitùs. Pòſt Imperator Septimius Severus aureis anulis ſine diſcrimine vti, & domi militem habere permiſit. Quod memoriæ prodidit Herodianus Hiſtoriæ Auguſtæ lib III. Deinde Iuſtinianus Imperator diſcrimen illud lege ſuſtulit. De quo, vt & de jure anulorum libros Iuridicos conſule. De anulis poſt Plinium non protrita Alexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. II. cap. XIX. Ad quem locum edecumata multa Tiraquellus annotavit. Petrum Fabrum quoque Semeſtrium lib. II. cap. VI. adhibe. Et vide inprimis de Anulorum origine, variis eorum generibus & vſu apud Priſcos Prælocuium in Abrahami Gorlæi Dactyliothecã. Ex qua anulus ſequens depromptus, in tuum

vſum

vſum, mi Lector, huc tranſlatus eſt.



Is ex ære conſtat, addita gemma onyche. Quamobrem aptior ad duplicē illum vſum, ſignandi aperiendique. Nam characterem inciſamque imaginem, quæ hîc eſt, in aliis deſidero. Character autem ille navis gubernaculum & ſpicas duas continet. Quæ imago gemmæ inciſa, Agriculturæ & Navigationis, divitiarumque ex iis ſymbolum eſt. Sed de his hoc loco plus ſatis. Pergamus.

Extractum ex iiſdem ruinis Simpulum è candidâ materiâ, cujus in Sacris affundendo vino vſum fuiſſe Iunius arbitratur; apud quem ejus pictura exſtat. Ampullula ea eſt ſtricti oris, ventroſa, anſata, fundo exiguo.

Multa item & varia emblemata rotunda, quæ diverſorum animalium rictus & ora referebant, per quæ guttatim liquores fundi poterant, ibidem inventa.

Nomiſmata præterea infinita ex auro, argento, ære. Inter quæ conditoris Pyrgi Caij Caſaris duo, ab adversâ parte C. CAESAREM GERMANICVM loquuntur: averſa vnus tres ipſius ſorores ſtolatas nominat, AGRIPPINAM ſcilicet, DRVSILLAM, & IVLIAM: alter Adlocutionem Conſulum præfert. Non teram tempus recenſendis omnibus. Tantum alia duo

inſignia

insignia appingam, eorum nempe qui conlapsum vetustate Armamentarium cultu splendidiore restituerunt.

VV. CC. Stephanus Vinandus Pighius in Hercule Prodicio, Hadrianus Iunius noster in Batavia, Ianus item Gruterus in Antiquarum Inscriptionum Collectaneis, & Petrus Bertius in Explicationibus Tabularum Geographicarum producunt ex Gerardo Noviomago istam Epigraphen, tamquam è ruinis ejusdem Armamentarij eruram: *Fol CCC. XCIX. num. 13.*

GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROMANI IMPERII.

Atqui Auctor ille (si ejus verba modò rectè assequor) Romæoburgi istam Epigraphen repertam dicit. Quam grati (inquit in Historia Batavica) Severo fuerint (Batavi nempè) satis declarant vetustatis monumēta meâ ætate eruta non procul a Legia oppido (Leidam dēsignat, ita a Legionibus quæ ibi castra habuerunt denominatam, vt ejus conjectura est.) *Pag. 12. nostræ Editionis.*
His hæc inscripta erant:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS
AVG. ET M. ANTONINVS CAES.
COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM
VETVSTATE CONLAPSVM RESTI-
TVERVNT, SVB. VAL. PVDENTE
** LEG.

LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE
CAECIL. BATOE. PRAE.
GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROMANI IMPERII.

Hæc Geldenhaurius. Apud quem vulgò duas Inſcriptiones ita continuatas legis, vt vnam putes. Vitio (vt opinor) typographi. Sanè vix aliter poſſum induci, quam vt credam duo hîc Epigrammata eſſe. Prius apud omnes Antiquarios in PRÆ deſinit. Exſtatque hodie etiamnum lapis ille, vnde deſcriptum. Poſterioris archetypum periit. Sed ſeorſim eam Inſcriptionem exhibet Aurelius, exſcriptamque a ſe teſtatur Romæoburgi, vbi maximis in hanc formam characteribus ſcriptam offendit:

GENS BATAVORVM AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Quæ literæ prægrandes egregium aliquod opus publicum, & ſupra militare Præſidium ibi ſtetiſſe arguunt. Sanè ſic lubet exiſtimare. Et ſuſpicari porrò, quidquid Inſcriptionis hoc eſt, fragmentũ fortè ejus lapidis eſſe, cujus Inſcriptio integra reperta in ſchedis Ludovici Vivis, exſcriptaque a Carolo Langio exſtat in Smetij Antiquarum Inſcriptionum volumine, & Pighij Hercule Prodicio. Ex queis etiam Gruterus recitat:

FOR-

FORTVNAE. AVG. SAC
PRO. SALVTE. ITV. AC
REDITV. D.D. N.N
M. AVR. ANTONINI. PII
AVG. ET. P. SEPTIMII
GETAE. NOBILISS. CAES
CIV. BATAVI
FRATRES. ET. AMICI. P. R
V. S. L. M.

Grute-rus fol. LXXII. num. 9.

Sed vt hoc timidè ac cunctanter affirmem, ita non dubitem Gerardum Noviomagum de Romæoburgo loqui. Maximè, quum Aurelius conteſtetur. Cujus verba, vt hoc quod mihi perſuaſiſſimum eſt, omnibus liquido appareat, etiam hîc legenda proponam: Anno (inquit) Salutis noſtræ ſupra milleſimum quingenteſimo ſecundo inventa ſunt obiter aratro „ numum proſcindente propè Leidas, ad jactum ſagittæ ab ipſo „ Rheno vetuſtiſſima Romanorum monumenta, grandibus „ inſculpta ſaxis, cum circumferentia ad quadrum & fundamē- „ tis magni Palatij, &c. Quibus mox ſubjicit Inſcriptionem illam de Armamentario, & alteram quæ Batavos amicos & fratres Romani Imperij dicit. Quis Pyrrhonius ille, qui adhuc dubitet? Quis Tireſias ille, qui hæc Aurelij verba non de litore prope Catvvicum, ſed de Leidenſi agro ſuburbano accipienda eſſe non videat? Sanè, qui ad injectam aratri mentionem attenderit, manibus pedibuſque protinùs in meam ſententiam conceſſurus eſt. Niſi forſan Marrucinus aliquis arare Batavos etiam littus exiſtimet. Qui quàm inutilis & nanis labor ſit, etiam [a] Proverbio teſtatum eſt. Ego Aurelio noſtro & Geldenhaurio adhæreo, quidquid alij obloquantur. Major eſt me Hercule habenda fides referentibus ea quæ

[a] *Ovid. Non profecturis littora bubus aras,*

viderint oculis, quam iis qui narrant ab aliis audita. Et juxta
a *Plaut in Truculent* [a] Comici sententiam, pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem. Quare non est quod in posterum Brittenburgi in litore ad Catvvicum, sed Romæoburgi prope Leidas Armamentarium Cohortis XV Voluntariorum statuamus. Et hoc ità se habere, puto me partim idoneis testibus, partim ipso Vero vicisse. Sed de Romęoburgo, & Antiquitatibus inibi repertis paulò post. Iam verò quod Iunius VALERIVM illum PVDENTEM, qui in Armamētarij marmore LEGATVS AVGVSTALIS dicitur, eundem facit cum eo cujus meminit Inscriptio oppidi Hisconij, quod *El Guasto* vulgò nominatur in Regione Italiæ Ferentana; vix ægrè mihi probatur. Etsi non nesciam nuper exortos, qui hanc Iunij hariolationē an hallucinationem arripuêre, & scriptis suis intexuêre. Est autem Inscriptio Hisconij talis, quemadmodum eam ex V Volfgango Lazio & Onuphrio Panuinio producit Gruterus:

Fol CCC XXXII, *num* 3.

L. VALERIO. L. F
PVDENTI
HIC. QVVM. ESSET. ANNORVM
XIII. ROMAE. CERTAMINE
IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO
SEXTO. CLARITATE. INGENII
CORONATVS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM.
HVIC. PLEBES. VNIVERSA
HISCONENSIVM. STATVAM
AERE. CONLATO. DE CREVIT
CVRAT. R. P.

Quamquam creditu difficile non est, vt quem Roma Poëtam laureatum in adolescentia vidit, eundem postea ætate provectiore Legatum Augustalē Germania viderit. Atque vnum eundem-

eundemque hominem literarum gloriâ & virtute bellica claruisse equidem non miror. Non tamen temerè hoc de Valerio Pudente affirmaverim. Sed quibus ejusmodi conjecturæ placent, atque in deliciis sunt, ijdem etiam ambabus manibus hanc tabellæ marmoreæ Inscriptionē accipiant, quę Romæ ad Tiberim in vinea Cæsarini legitur, a Grutero, qui ex Boissardi schedis descripsit, nuper edita: Fol. MCXI num. 7.

L. AGRIO. VESTIARIO
TENVIARIO. IMP. CAES
ANTONINI. PII
L. VALERIVS. PVDENS
FRATRI.

Ex hujus Inscriptionis fide Valerio Pudenti Legato Augustali fratrem L. Agrium nomine colligant, eundemq. Antonini Pij Vestiarium tenuiarium fuisse, & quis Vestiarius tenuiarius sit, doceant. Sed me Hercule Commentatores isti in caducum parietem inclinant: & quò confugiunt, planè ficulnum est auxilium. Firmioribus innituntur tibicinibus, qui peramplam atque illustrem fuisse in hac Inferiore Germania cum Imperio familiam Pudentium observandum monent, quum in Arce Neomagi ad Vahalim in Ducatu Gelriæ legatur hæc Inscriptio:

DIIS. MANIBVS
C. IVLIO. CLAV
PVDENTI LVIDONIA
VET. LEG. X. G. P. F
AN. L. ET. IVL. 7
IVNIO. F. EIVS

H. E. O C.

Sic ex Smetij Inscriptionum Antiquarum volumine Grute- Vol. D. XLVII, num. 2.

rus repræſentat. Atque ita diſertè hodieq. legitur Neomagi; niſi quod literarum quarundam formæ & connexiones hîc expreſſæ non ſunt. Vti nec gryphus ex variis literis compactus, qui in grandi illa O viſitur, per abſentiam ſculptoris his addi potuit. Alias, volente Deo, fidelius exprimetur a nobis & illuſtrabitur. Nunc interpretationem meam tantùm lapidi sapponam:

Dijs Manibus.

Caio Julio Claudia (ſcilicet *Tribu*) *Pudenti Luidonia* (*domo* videlicet) *Veterano Legionis Decimæ Geminæ Piæ, Felicis, annorum quinquaginta, & Iulio* a 7 (*Centuriæ*

a *Per eandē Notā etiam* CAIA *paſsim in antiquis Monnmentis exprimitur.*

Nota eſt in multis lapidibus, in quibuſdam etiam *Legionis* & *Liberti*. Sed nulla harum explicationum hîc convenit.) *Filio ejus Heredes erigi curarunt.* Vel ſi *F* pro *&* exaratum oportuit, *Heredes faciendum* (vel *fieri*) *curarunt*.

Gryphus, qui ſequitur, varias cōjecturas admittit. Quas aliàs, vt dixi, proferā, convenientiori fortaſſis loco. Ceterùm monendum hoc loco videtur, Inſcriptionem illam ante centum & quòd excurrit annos a Petro Montano in b Epiſtola ad Gerardum Noviomagum, ad hunc modum citari:

b *Scriptâ anno 1504.*

DIS. MANIBVS

G. IVLIO. CLAV. PVDENTI. NEOMA. VET. LEG. X. G. F. AN. L. ET. IVNIO. F. EIVS. H. F. * C.

Adjuncta ejuſmodi interpretatione:

Dis Manibus.
Gaio Iulio Claudio Pudenti &
fratri ejus hæ fuere conſecratæ.

In

In medio, ſubdit idem, quod ponitur non benè queo congregare. Hæc ille. Quæ quamquum inepta ſunt, tolerabiliora tamen ſunt iis quæ barbaro ſæculo ante ducentos prope annos de hoc Monumento Neomagenſi in Hiſtoria Gelrica annotavit V Vilhelmus Berchemius, Rector Provincialis Eccleſiæ de Nyel Duffliæ. Animi recreandi gratia ejus belliſſimam interpretationem apponam. Favete linguis.

Dijs Manibus Cæſaris Iulio Claudioque Pudenti
Omanetiæ ex Conſulibus Piante Leonem Iulius
in Junio eſt eius hæc figura Caſarea.

Hæc verborum portenta credidit vir ingenioſiſſimus lapide iſto contineri, & trahere ea ipſa ad Neomagi vrbis primordia non dubitavit. Ait enim, Iulium Cæſarem Conſulibus pro Republica interemptis Iulio Claudio Pudenti & Omanetiæ, vt Deificatis (lautitias Berchemianas agnoſcis) hominibus menſe Iunio Sole piante, id eſt, intrante ſignum Leonis, in Palatio ſuo Noviomagenſi quoddā erexiſſe Templum, inque eo Iulium eoſdem ſuosque Deos & pro Republica occiſos, tamquam in Deorum ſocietatem raptos, pro Diis venerari ſolitum: poſtea verò Templum hoc ad inſtantiam Caroli Magni per Leonem III Pontificem Maximum in honorē S. Nicolai fuiſſe conſecratum. Hæc ille. Qui præterea Notam illam in fine Inſcriptionis Iulij ſignum eſſe exiſtimat, in teſtimonium veritatis appoſitū. Potuitne (per Deum immortalem!) quidquam divinius comminiſci: potuitne aptius illuſtriuſque documentum aliud adferri, quo Noviomagi conditor Iulius Cæſar fuiſſe probetur? Nam ſunt, ſi Dîs placet, qui nobiliſſimæ vrbis ac Metropoleos Gelricæ originem ad C. Iulium Cæſarem referant, & Hiſtoriam miris fabulis involvant. Quas profectò vel tralatitio aſpectu non dignor, ne quis eas hîc me commemoraturum exiſtimet. Apage, apage

nuga-

nugaciſſimas nugas: quæ animum meum nimium quantum turbant. Ad plauſibiliora aliquanto veniamus. Petrus Montanus, vt jam vidimus, in lapide Neomagenſi NEOMA legit. Montanum ſecutus Iunius noſter etiam NEOMA agnoſcit. Quod tamen in archetypo nuſquam comparet. Bertius probandæ Vrbis antiquitati eandem Inſcriptionem laudat, ex Iunio, vt apparet; apud quem depravatiſſime ſic legitur:

DIS. MANIB·VS
C. IVLIO CLAV. PVDENTI NEOMA. VET. LEG.
XC. FAN. L. ET IVNIO F. EIVS H. F. C.

Studioſus Veri & Antiquitatis apud vtrumque (Iunium dico & Bertium) ad exemplar noſtrum menda facilè corriget, & pro NEOMA reſcribet LVIDONIA. Sic ſequentia emendenda ad exemplar noſtrum, ſeu potius ad fidem ipſius lapidis, in quo pro XC. FAN. L. legi X. G. P. F. AN. L. neque vllam NEOMAGI mentionem fieri, multis qui viderunt, atque ad ipſum marmor deſcripſerunt, credi convenit. Cęterùm quod Gerardus Noviomagus ex duobus prioribus hujus Inſcriptionis verbis cólligit Sacellum, cujus parieti ea inſerta eſt, Dijs Manibus fuiſſe a veteribus conſecratum, jocularis viri doctiſſimi hallucinatio eſt. Nam in Elogiis Sepulchralibus expreſſum DIS MANIBVS, ſive has Notas ſingulares idem ſignificantes D. M. ceu ſolenne Carmē præmitti, jam pueris notum eſt. Ita vt Morychus ſim, ſi verbum amplius addam. Majore cum fructu ſimul & delectatione induſtria mea verſabitur circa Præſidiariorū Militum Romanorum ad vrbem Noviomagenſem conditorum Epitaphia. Certè iis non indelectatos fuiſſe, amicos quoſdam meos, primi nominis viros, illuſtris Reipublicę noſtræ aſſeſſores, nuper animadverti. Ea itaque, nugis omiſſis, hîc ſubjiciam.

Effoſſus

Effossus annis superioribus in agro Neomagensi Cippus marmoreus, trium Militum Romanorum inibi sepultorum index, ita loquitur:

Militū Romanorum ad urbem Noviomagensem cippi tres sepulchrales.

AVRELIVS. T. F. CAL
VOS. CAL. MIL. LEG. X
GEM. ANN. XL. STIP. XVIII
ET. M. AVRELIVS. T. F
GAL. FESTVS. CALAG
ANN. XXXVIII. STIP. XVII
ET. AVRELIVS. FLAVI. F
FLAVIANVS. LIXA. ANN
XVIII. HIC. SITI. SVNT
S. V. T. L. H. F. C.

In eodem agro alius erutus Cippus, hac Inscriptione:

L. VALERIVS
L. F. VOL. MATER
NVS. TOL. G
MIL. L. X. G
ANN. XXXV
AER. XII
S. T. T. L
H. E. T. F. C.

Dimidiato ferè ab Vrbe miliari inventus & iste Cippus, qui hodieque exstat in ædibus civis minimè degeneris, Gerardi Falkenburgij, Noviomagi, viri clarissimi, & ob Dionysiaca

Nonni Poëtæ, quæ primus publici juris fecit, optime de Republica literaria meriti.

Q. BISIVS. SECVNDVS
Q. F. DOMO. BRIXSAE
MIL. LEG. X. G. 7 COMINI
CELSI. AN. XXX. STIP. VII
HERED. EX. T. F. C.

Et hic lapis dimidiato itidem ab Vrbe miliari repertus:

MINERVAE
CVR. LADAE
T. PVNICIVS GE
NIALIS. IIVIR CO
LON. MORINO
RVM. SACERDOS
ROMAE. ET. AVG
OB. HONOREM
F. V. A. M. O. V. L.

His interpretandis, singulisque minutatim explicandis, non morabor te, erudite Lector, longo & ambitiosè tristi Commẽtario. Obscuriores tantùm literarum singularum vocumque abbreviatarum Notas evolvam, & paucis in quorundam gratiam illustrabo. Igitur

Primâ Inscriptione:

CAL.) An Calagorritanus sit, an Calubrigensis, an Calatinus, an Calaber, aut aliud denique, cogitandũ. Vidi qui Calagorritanum diceret. Si qui volent Calonem, Calatorem, Calcu-

Calculatorem, ſive Caligatorem aut Caligatum interpretari, per me licet. Sanè CALIGATI MILITES nominantur in alia Inſcriptione apud Gruterum pag. CC LXXIX, num. 3. Quid ſi autem Calbienſis? Nam Romæ apud Matthæos in baſi ſub imagine Solis CALBIENSES DE COH. III. Habes apud Gruterum pag. XXXVI, num 1.

STIP. XVIII) Stipendiorum octodecim.

GAL.) Nonnemini Gallus eſt cognomen L. Aurelij. Nec deerit fortaſſis, cui Gallæcius videbitur. Mihi hîc non cognomen, aut natale ſolum militis ſignari videtur, ſed Tribus Galeria, quæ iis characteribus mille locis in Monumentis antiquis formatur.

S. V. T. L.) Sit vobis terra levis.

H. F. C.) Heredes fieri curaverunt.

Secundâ Inſcriptione:

VOL.) Volitina ſive Voltinia, ſcilicet Tribu. Ita vt innuatur hic L. Valerius Lucij filius Maternus fuiſſe ex Tribu Voltinia. Cujus Tribus multa mentio in Monumentis antiquis, & meminit Cicero in Oratione pro Plancio.

TOL. G.) Toletanus Genere, vel Tcloſanus, Tolentanus, Tolerienſis. Has enim omnes & alias inſuper conjecturas admittit illud TOL. Porro D non G legiſſe quoſdam in lapide video, hoc eſſet, Domo. Sic cum alibi tum hîc in tertia Inſcriptione, DOMO BRIXSÆ. Sic & in lapide mox producendo, DOMO BETAVOS.

M. L. X. G.) Miles Legionis Decimæ Geminæ.

AER. XII.) Valet ærum, id eſt, Sipendiorum duodecim. Sic Aquileiæ Inſcriptio, quam Pigafetta, qui admotis ſcalis deſcripſit, Grutero communicavit pag. M CX, num. 6.

L. VALERIVS. L. F
ANIENSIS. VERC
MILES. LEG. XX
ANNORVM. XXX
AER. IX. HIC. SITVS.

Materia ſcilicet ſtipendij militaris ærea fuit. Stipendium (inquit Varro in Fragmentis lib. 11. de Vita Populi Romani) „ appellatur, quod æs militi ſemeſtre, aut annuum dabatur: cui „ datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus eſt. Videndus idem Varro de Lingua Latina lib. 1111. ſub finem. Vlpianus I C. l. ager. 27. ff de Verborum ſignificationibus. Quid multis? Materiam ſtipendij æream fuiſſe, ex Livij lib. V11. & mille aliis locis cognitum. Neque ſolùm libera Republica iſte mos fuit, ſed & labente jam Imperio ſub poſterioribus Principibus æreos nummos pro ſtipendio penſos, ex Auctore anonymo de Rebus Bellicis, quem nuper Vegetio noſtro conjunximus, paret.

S. T. T. L.) Sit tibi terra levis. Paſſim in Monumentis antiquis. Atque hæc Formula vſitatiſſima in Funebribus: etiam apud Poëtas.

H. E. T. F. C.) Heredes ex teſtamento fieri curaverunt.

Tertiâ Inſcriptione:

MIL. LEG. X. G.) Ex iis quæ ſupra annotavimus liquet, vt pudeat me eadem ſemper inculcare.

7) Centuriæ inter alia hanc eſſe Notam ſupra monui. Et ita hoc loco accipienda, vt hic Q. Biſius Secundus ex Centuria Cominij Celſi fuiſſe declaretur.

STIP. VII) Vide in primam Inſcriptionem.

HERED. EX. T. F. C.) Harum Notarum facilis interpretatio ex præcedentibus.

Quartâ

Quartâ Inſcriptione:

CVR. LADAE.) Non intelligo, niſi ſcribendum fortè ſit KALE, ſive KALDR, aut ÆRAR. Vt Titus Punicius Genialis (non Cenialis, vt quoſdam interpretari video) Curator Kalendarij ſive Ærarij Auguſti fuiſſe innuatur. Quod ſi conjectura hæc diſplicet, num ſcribendum denique LARV. aut LARVM? Nugæ, nugæ. Itaque ſuſtineo me, & ingenuè teſtor, mihi N. L. Auctor Indicis ad Inſcriptiones Gruteri cap. I. quod eſt de Deis Deabuſque, inter MINERVÆ cognomina ponit illud CVR. LADAE. Et cap. V. quo idem Magiſtratus majores minoreſq. Dignitates, Honores & Officia recenſet, CVR. LADÆ. inter Curatores diuerſarum rerum conſpicitur.

IIVIR. COLON. MORINORVM) Duumvir Colonorum, ſive Coloniæ, Morinorum.

SACERDOS. ROMÆ. ET. AVG.) Sacerdos Romæ & Auguſti, ſive Auguſtorum. Hujus Sacerdotij etiam alij lapides meminerunt. Vide Indicem ad Inſcriptiones Gruteri, cap. III; quod Sacerdotes, Religioſos, Magiſtratus Sacris facundis, & Miniſtros Sacrorum complectitur.

OB. HONOREM. F. V. A. M. O. V. L.) Has Notas ſingulares interpretari, non tam in proclivi atque imber quando pluit. Sed nugas agere exiſtimandus ſim, ſi me circa harū interpretationē miſerè torqueam, & in omnes formas cōmutem, quum legendū ſit, OB HONOREM FLAMONII. Cujus cujus illa conjectura, annotata ad oram Inſcriptionis, veriſſima eſt. FLAMEN ROMÆ ET AVGVSTORVM in pluribus Inſcriptionibus occurrit, apud Gruterum pag. CCCXX. num. 1.2.3.4.5.6.7. & alibi. Octava quæ deinde in dicta pagina ſequitur Inſcriptio meminit SACERDOTIS AD TEMPLVM ROMÆ ET AVGVSTORVM. Hæc obiter. Fuſius curatiusque alibi, volente Deo, de his ſumus dicturi. Nunc extra

oleas, quod dicitur, vagamur. Quare in viam redeamus. Priusquã tamen vlterius progrediamur, illud etiam non prætereundum, sed inprimis notandum videtur, tria illa Epitaphia Militum Romanorum mentionem facere LEGIONIS X GEMINAE. Eam nimirum post multas in longinquas oras, etiam in Syriam Armeniamque, susceptas expeditiones, laboresque, & infinita pericula exanclata, quietè tandem ad Vahalim, quo loco nunc Gelriæ Metropolis Noviomagum, consedisse, mihi omnino fit verisimile. Huc facit, quod Legio illa Decima, sive quòd in Batavis stativa haberet, aut fortè quòd magnam partem e Batavis esset conscripta, etiam BATAVA cognominata sit. Sanè LEGIONIS X BATAORVM vetus Inscriptio meminit, quam ex marmore fracto Romæ describebat Merellus, ex cujus schedis publicavit Gruterus pag. DXIII, num. 12. In eo fragmento servata tantùm illibata tria illa verba:

Legio X Gemina stationem suam habuit ad Vahalim.

LEGIONIS. X. BATAVORVM.

Quod marmor, sive sepulchri index, sive aliud monumentum fuerit, vtinam integrum exstaret! Faceret procul dubio illustrandæ Bataviæ nostræ. Legionẽ autem hanc Decimam Geminam appellatam scribit Dio, quòd ex duabus Legionibus, bello attritis, vna fuerit facta Sed quid agimus nostri immemores? Iterum extra chorũ saltamus, iterum exorbitamus atque in diversum tendimus. Ignosce Lector candide, jam è diverticulo in viam redimus. V. C. Paulus Merula, felicis memoriæ, etiam de Noviomago hoc Gelrico potius quàm de quo alio (nam cognomines huic aliquot vrbes legi apud Scriptores, testatissimũ est) capiendam censebat hanc Inscriptionem, quæ Romæ in Cippo marmoreo visitur: in cujus fastigio Miles in lecto discubitorio, apposito tripode, pueroque, qui anguem manibus torquet, ad lecti pedes adstante.

D. M.

D. M.
T. AVRELIO. T. F. VLP
NOVIOMAG. VINDICI
[a]EQ. SING. IMP. N. TVR
AEL. VERECVNDI
VIX. AN. XXII. MIL. AN. XI
T. AVR. PLACIDVS. HERES
AMICO. OPTIMO. F. C.

Gruter. fol. DXXXII. num 9.

a *Equiti singulari Imperatoris nostri. Turmæ Ælij sive Æliani Verecundi.*

Sed vt hoc tanquam non satis compertum, in medium relinquo, ita sequentes Inscriptiones fidenter Batavis vindico. Inventus lapis Bregætij (vide Ortelij Thesaurum Geographicum) in Pannonia Superiori, seu Transsylvania. sed translatus Eberstorfium in Arcem nobilis & magnifici Domini Hieronymi Beck a Leopoldstorf quarto à Viennâ miliari, præferens hanc Inscriptionem, sub duobus equis stratis, quos frenis tenet pedes.

ALBAN. BALVI. F.
DEC. ALAE. AVGVSTAE. ITVRAEO
RVM. DOMO. BETAVOS. AN
NOR. XLII. STIPENDIOR
XX. HIC SITVS. EST. TITVLVM
[b]MEM. POSS
TIB. IVLIVS. REITVGENVS. ET
LVCANVS. [c]DEC. ALAE. AVG.
ITVRAEORVM.

Gruterus fol. DXIX. num. 5.

b *Memoriæ posuerunt.*

c *Decurio.*

Non est quod quemquam moveat (monente in Notis ad Dionem eruditissimo Ioanne Leunclavio, cui primâ hujus Inscriptio-

Inſcriptionis publicationem deberi exiſtimo) hîc dici Albanum Batavum inter equites alæ Auguſtæ Ituræorum meruiſſe. Nam frequens hoc illis temporibus(quemadmodum etiam noſtris) vt diverſæ gentes ſub vno ſigno militarent. Et hoc factum ideo putandum eſt, quòd etiam Ituræi parem penè cum Batavis equeſtris rei laudem obtinerent. Equitum Ituræorum ejuſdem alæ Auguſtæ meminit alius lapis,qui eſt Eberſtorfij apud eundem Dominum à Leopoldſtorff, & Inſcriptio ejus apud Gruterum pag. D. XXXIII, num. 9. Iſthinc, ſi cui ita videbitur, petenda. Nos Batavis noſtris celebrandis vnicè hoc loco incumbimus. Romæ,teſte Mazochio, ex cujus Epigrammatis antiquæ Vrbis cum alij,tum Gruterus profert, in Regione Montis Eſquilini, in vno eodemque lapide gemina Inſcriptio,Candidinij Spectati & Candidinij Veracis fratrum,Batavorum,equitum ſingularium nomina præferens,olim lecta eſt, exſcriptaque ante annos prope centum ab ipſo Mazochio, Antiquario primi nominis. Qui nonnihil variat ab hodiernis Antiquitatum collectoribus. Mazochius ſcribit ad hunc modum,inter Epigrammata de Exquilino Monte:

In S. Euſebio, juxta Trophæa Marij.

CANDIDINIVS SPECTATVS EQ. SING. IMP. N. NAT. BADAVS VIXIT ANNIS XXX. STIP. XI. TVR. PROCLINI CVR. GENIALINAE VINDICE.

Ibidem in eodem lapide.

CANDIDINIVS VERAX EQ. SIN. IMP. N. N. BADAVS. VIXIT ANN. XX. STIP. IV. T. PROCLINI CVR. CANDIDINIO SPECTATO FRATRE IPSIVS.

Alij

Alij, inter quos etiam [a] Gruterus noſter, hanc formâ producunt: [a] *Fol.* DLXXV. *num.* 6.

CANDIDINIVS. SPECTATVS
EQ. SING. IMP. N. NAT
BADAVS. VIXIT. ANNIS. XXX
STIP. XI. TVR. PROCLINI
CVR. GENIALI : .: .: .:.
VINDICE .: .: .: .: .: .: .:

Item:

CANDIDINIVS. VERAX
EQ. SING. IMP. N
N. BADAVS. VIXIT. ANN
XX. STIP. VI. T. PROCLINI
CVR. CANDIDINIO. SPEC
TATO. FRATRE. IPSIVS.

Sed vtrum hoc an illo modo legantur iſtæ Inſcriptiones, differtè nihilominus teſtantur, Imperatores Romanos e Batavis quoſdam [a] equites Singulares legere ſolitos. Quod vt plenius planiuſque etiam imperitioribus & Antiquitatum ignaris conſtet, dictiones quædam compendiariæ & ſigna explicanda ſunt.

[a] *Ala equitum Singularium meminit Tacitus lib. 4 Hiſtor.*

EQ. SING.) Eques Singularis, ſive Singularius. Nam ita alibi in lapidibus. Apud Gruterum pag. MXXVIII, num. 2. inſcriptio ex Vrſini ſchedis deprompta expreſsè EQVITVM SINGVLARIOR. AVGG. N N. meminit.

IMP. N.) Id eſt Imperatoris noſtri. Quis deſignetur neſcio. Sed ſcio ſimiliter in multis Inſcriptionibus ſcriptum exſtare.

NAT. & N. BADAVS.) Natione Batavus.

STIP.) Stipendiorum. Vti ſuperius non ſemel annotatum.

TVR. & T. PROCLINI.) Turmæ Proclini.

CVR.) Curante. Reliqua per ſe perſpicua.

Hæc in rudiorum gratiam obiter hîc dicta ſunto. Cæterùm, Lector candide, mirari nolito, me præcedentes lapides ad Batavos trahere, quum in iis non BATAVVS, ſed BETAVOS, & BADAOS legatur. Iterum rogo te, nolito mirari. BETAVOS ſive BETAVVS purum putum gentis nomẽ. Nam Batavorum Inſula, vulgò de Betau appellatur. Quare potiùs mirandum, quod in illa corruptione nominum propriorum exteris uſitata, purum putum gentis nomen hîc reperiatur. BADAOS autem ſive BADAVS mendosè legitur. Quod imputandum ſcies quadratario ſive ſculptori marmorario, cujus vitio hîc litera D pro T ſcribitur, & V omittitur. Quemadmodum ſupra in fracto marmore BATAORVM. Vtrumque errorem ſæpiuſculè erratum obſervare eſt paſſim (vt ſcribas librarios prætream) in lectione veterum Inſcriptionum: in queis me infinitis locis ADQVE pro ATQVE, QVODANNIS pro QVOTANNIS, notaſſe memini: etiam nonnunquam ED pro ET, LIMIDES pro LIMITES, RELIQVID pro RELIQVIT, & ſimilia. In ijſdem omiſſæ literæ V obvia exempla. Sic DAVS pro DAVVS, FLAVS pro FLAVVS, PAIMENTVM pro PAVIMENTVM, QVATTOR pro QVATTVOR ibidem es reperturus, ſi modò non dedignatus fueris Collectanea Inſcriptionum percurrere, aut ſaltim conſummatiſſimum Indicem cap. XIX inſpicere. At verò BADAVS in lapide exaratum eſſe, quid mirum? quum apud Reginonem Prumienſem Abbatem Chronicorum lib. II. etiam BADVA pro BATVA legatur, ad Annum D CCC VI. Imperator (inquit,
„ nempe Carolus Magnus) dimiſſo vtroque filio in Regnum
„ ſibi deputatum, Pippino ſcilicet & Ludovico, de Theodonis
„ villa profectus, navigio per Moſellam Rhenum ingreſſus, ad
„ Neomagum in Badua venit, ibique tota Quadrageſima fuit,
„ & ſanctum Paſcha celebravit, &c. Sed Iunius noſter impreſ-
„ ſos codices manuſcriptum facilè redarguere teſtatur, in quo

Batua

Batua disertè legitur. Quomodo Aimonus initio Historiæ Francorum: Mosa (inquit) parte quadam ex Rheno recepta » quæ appellatur Vahalis, vulgo autem dicitur VVaal, Insulam » efficit Batavorum, quæ rustico sermone vocatur Battua. Et » ipse Regino ad Annum D CCC LXXXV: Godefridus audito » eorum adventu, illis obviam procedit ad locum qui dicitur » Herispich, in quo Rheni fluenta & VVaal vno se alveo resol- » vunt, & ab invicem longiùs recedentes Battuam provinciam » suo gurgite cingunt. Multi itidem alij Scriptores ęvi Carolini Batuam clarè nominant. Quorum loca hîc coacervare quid attinet? Vtique quum sint præter rem & institutum meum. Et jam largiter (verendum, ne nimium) de Batua & Neomago dixisse me sentio. De quâ vrbe qui plura scire desideat, suadeo clarissimi Merulæ singularem de eâ vrbe Commentariolum adeat: cujus viri curiosa diligentia omnem nobis explicandę pressius atque illustrandæ Vrbis laborem adenit. Is liber quidem editus nondum est, sed propediem, vti spero, edetur. Nos exorsam telam pertexamus, & reliqua vetustatis Monumenta in Hollandiâ pridem eruta, adscribamus.

a Herwin *hodie audit apud Arcē Lobcanam ipso principio Agri Batavici. Scripsit fortassis Regino* Herisswin/ *aut* Herewin

VVilhelmus Heda Alfinius, Rerum Vltrajectinarum Scriptor nobilis, qui ante annos P. M. centum floruit, & Maximiliano Cæsari à Consiliis Secretioribus fuit, ejusdemque semel atque iterum Legatus, vir amplissimus pariter & doctissimus, ita de Castro Voorburgano in Hungero XI Episcopo scribit: Circa annum Domini b D CCC LVI, teste Johanne Beka, incensa (a Nortmannis, puta) Arx munitissima in ea Provincia quam Hollandiam vocant, ab Aurelio quondam Augusto illic constituta, quam vulgo Arundulum vocant in vico Voorburg. Cujus vestigia ipsi videmus nostra ætate, & fragmenta Romanam architecturam ostentantia, effodi: veluti partem pavimenti tessellati; pedem æreum conflatæ statuæ; nummos æreos, argenteos, atque aureos, cum

b *Alijverisimilius,* D CCC XXXIX.

inſcriptione AVRELIANI: nec non catenulam auream cum ſmaragdis aliquot ſeſquiangulis politis & perforatis, contra epilepſiam ad collum ſuſpendi ſolitis infantium. Hæc Heda. Iunius Bataviæ cap. XVIII, quod eſt de Arcibus Hollandiæ & Caſtellis: Antiquiſſima (inquit) memoratur in ore hominũ celebris Arx Elini (quem tantum non alterum Midam faciunt Annalium Scriptores, ab aſininis auribus[a] Eſelorum appellantes) non procul diſsita ab Haga-Comitis, Voorburgo pago vicina, quæ multorum jugerûm ſpatium circuitu complexa dicitur, fidemque rei faciunt ruinæ & ſubterraneæ ſubſtructiones, in quibus effoſſa fuêre ſuperioribus annis infinita omnis generis Nomiſmata. Inter cætera vidi & aureos Nummulos ab adverſa parte ELINVM loquentes, ab alterâ DORESTATVM, quam vrbem Batavodurum Tacitus dixit. Repertus[b] ibidem fuit ab arante ruſtico lapis quadratus in Aræ formam, qui hanc præfert Inſcriptionem:

a Conint Eſeloor. *Et ſic Bockenbergius: Vnde in eũ Douza: Auriculas aſini Rex habet an Tragoras?*

b *Voorburgi, non* Rijſwvijk, *vti Smetium ſequutus Gruterus fol* DXL, *num.* 6.

DIANAE
IVNIANIVS
AMABILIS
IIIIII. VIR
AVG.C.V.T.EX
IVSSV.IPSIVS
L. M.

Quamquam feſtinem, non poſſum tamen committere, quin literas ſingularias exponam. IIIIII. VIR. AVG. valet Sevir, vel Sexvir Auguſtalis. Hęc Nota, vt & illa VIVIR, idem denotans, obvia in antiquis Monumentis. De Sexviris & eorũ munere, qui volet, adeat V Volfgangi Lazij Commentariorum Reip. Rom. lib. VI. cap. III. Notas ſequentes, C.V.T. video interpretari in Indice, Curavit vſus titulo. Rectè ne an ſecus, non facile dixerim. Forſitan non malè interpretaberis, Cura-

Curatoris vſus titulo : quum alibi inveniatur, Curatoris honore vſus.

In eodem agro Voorburgano repertus hic lecythus vitreus herbacei coloris, craſſus ac proinde gravis, anſa lata, eaque rhomborum inſtar crenata.

Lecythus vitreus, prope Voorburgum inventus.



Protulit idem ager, teſte Iunio, qui Hagę apud Adrichemium veterum ſigillorum amatorem vidit, tudiculam auream repræſentantem incerniculum quodam tenuium foraminum labyrintho pertuſum, mirandi operis atque adeo inimitabilis, aurificū confeſſione: cujus materiam ſunt qui electrinam augurantur: major portio ſe merum probat aurum : brachiū quod manu tenetur, auro improbiore conſtat: id quod lacunulæ, vitio terræ ſalſuginoſæ altiùs inſidentes, loquuntur.

Ad pagum Naeldvvico (pagus is inprimis Martini Dorpij,

Theologi & non infelicis, vt captus eorum temporum erat, Poëtæ natalibus celebris) vicinum, cui Monſter nomen, lapis olim dum novale aratro proſcinditur erutus, tranſlatus inde Syonem, (quod Cœnobio Monachorum Delfis ſuburbano, nunc diruto, nomen fuit) atque iſthinc porrò, ſubſtituto meliori e marmore exemplari apud incurioſos Antiquitatis Cœnobitas ablatus, & in villam Perſiniam Hagæ-Comitis propinquam tranſportatus ab ampliſſimo Vltrajectinæ Senatus Præſide Hippolyto Perſino. Vbi hac forma & his inſculpta literis hodieque viſitur.

Columella miliaria, Monaſterij reperta.

Gruter. fol. CLVI, *num.* 7. *ex ſchedis Pighij, qui legit atque exſcripſit.*

Etiam

Eriam hîc cogor ſubſiſtere,& in gratiam quorundam interpretationem columellę iſtius miliarię ſubjicere. Ea ſic habet:

Imp. Cæſ. M. Aurelio Antonino Auguſto, Pontifice Maximo, Tribuniciæ Poteſtatis XVI. *Conſule* XIII. *Et Imp. Cæſ. L. Aurelio Vero Auguſto, Tribunicię Poteſtatis* II. *Conſule* II. *Et Notæ aliquot ignotæ.*

De queis quid ſentiam,& quid velint, non promptũ eſt mihi dicere. Nec Smetius,aut Index ad Inſcriptiones Gruteri eas interpretantur. Qui hoc modo Notas illas repræſentant, A. M. A. E. C. Aliæ Notæ tres, quæ in lapide vltimæ,faciles explicatu : eccillas cum interpretatione ſuâ, M. P. XII. Millia paſſuum duodecim. Quare videor mihi quaſi per nebulã videre, ſub M. Aurelio Antonino & L. Aurelio Vero Auguſto columellam iſtam A Mari, ſive A Municipio, Ad Forum, ſive Ad Fundum, Conſtitutam mill. paſſ. XII. Quod autem Municipium ſit, quod item Forum, Fundusve, ignoro. Fortaſsis (nam in his talibus nihil præter conjecturas habemus) deſignatur FORVM HADRIANI, quod in Batavis & ad Rheni fluentum agnoſcit Auctor Tabulæ Itinerariæ, quę vocatur Peutingeri. Putavi aliquando ejus Fori veſtigia etiamnum ſupereſſe in pagis Voorburg, cujus modò meminimus, & Voorſchooten in vicinia Lugduni Batavorum, ab Hadriani Foro ita forſitan nuncupatis: quaſi Foorburg & Foorſchooten. Sed & Rhijnlandiæ pagus alius eſt Nordvvico vicinus, cui Voorhout nomen, & Forenholta, ſi antiquis Diplomatibus & Chartis credimus. Quid ? an potius illius pagi nomenclatura iſtinc petenda? Cogitemus. Atque interim lunium de [a] Caſtris Albinianis (quorum item Tabula illa Peutingeri & quod Antonini nomine circumfertur Itinerarium meminerunt) deque [b] Arce Romana loquentem audiamus: Ad decem millia (inquit) paſſuum [c] Lugduno ſeu Hollandica miliaria bina, expedito pediti circiter trium horarum ſpatio emetienda,

a Alphen.
b Rhomburg.
c Leyden

da, editiore in clivo Castra fuisse Romana Albiniana nomine, extra controversiæ aleam est. Ea verò ab Albino quopiam Cohortis Præfecto nomen sortita: nisi quis ad scripturæ periculum confugiens, Alpheniana (proximiore vocis origine cum vulgata nomenclatura) scribi debere contendat, vt nomen fortè traxerint ab [a] Alpheno Varo Batavorum ductore, cujus meminit Tacitus in Historiis, & in Othone Plutarchus. Ita, vt si cui probetur magis altera denominatio, habeat in promptu quibus se tueatur exempla. Pagus enim, qui insignis est hac ætate cespitum bituminosorũ fodinis & mercatu, Alphen dictus est. Quod ipsum non multum dissentit ab Albino. facilis namque deflexio est aut transitus ab Albin ad Alfin, inde Alfen, vel meliore scriptura Alphen. Fuit enim vetusta & prænobilis Romæ Albinorum familia, quod Iulius Capitolinus in Clodio Albino commemorat. Sed hanc litẽ controversam indicasse contentus, nihil quidquam definio. Lugduno adjacet Romęoburgum in hunc vsque diem a Romanorum præsidio, vt prima fronte nomen præfert: locus olim Martiis viris, pòst virginum Vestalium cœtui dicatus, variis Antiquitatis monumentis clarus, in quibus duo leonum ex ære conflata signa, cum Deæ Palladis hominibus illis ignoratæ simulachro, & Nomismata ænea argenteaque Neronis, Antonini, aliorumque complura magno numero eruta, quæ sibi donata abstulit Maximilianus Cæsar anno CIↃ. IↃ. VIII. vnà cum ossibus giganteæ staturæ hominis, cui sola tibia æquabat mediocris viri crus cum femore ad vsque inguina, cujus loricam humeris circumpositam, at ærugine adesam, diu se asservasse testata mihi fuit Cœnobij Antitita, pia & cordata anus. Inter cætera cimelia saturi virorisgemmam (smaragdum, vel certè jaspidem fuisse suspicio est) juglandi nuci propemodum parem intervertisse Gaesbecanus Dynasta ferebatur. Phialam heminæ vini capacem, opus elegans, sed figlinum, Hippolytus Frisiæ Pręses non sine precibus

[a] *In vett. Inscriptt. nunquam* Alpenus, *sed semper* Alfenus *scribitur. Hinc* Alphen.

ibus obtinuit. Vidi illic & imbrices ita inscriptos, EX. GERM. INF. Vidi & Nomismata IMP. DOMITIANI. GERM. COS. XI. Item Nervæ, Traiani, Tiberij, Claudij Cæs. cum Cere-re Aug. Anastasij cum Victoria Aug. ex auro. Q. Curtij Ruffi, aliaque. Lampadem æneam, quadrifidam (quæ in quatuor veluti guttos exit vnde ellychnia flammam vomebant, & in quaternas columnas circinatum cœlum excipientes assurgit) isthîc repertam asservat, & expressam opera pictoris communicavit, vi hîc apponetur, Cornelius Nicolaus Aquanus, homo Antiquitatis studiosissimus.

Lucerna polymyxos, Romæoburgi inventa.

Lucerna hæc polymyxos in Iunii Batavia transposita suo loco non comparet. Revocanda ea a pag. 120 in pag. 269.

Erat Cornelius iste vascularius Lugdunensis, honoris caussa non semel Iunio nominatus. Qui tametsi a literis alienus, mirum tamen quàm curiosus fuerit, quamque diligens in cognoscendis veteris memoriæ indiciis, convasandis fragmē-is, colligendis & conquirendis Numismatibus, quorum festivam copiam possedit: ærea quingenta, argentea plusquam recenta, & quædam etiam aurea, cum in ruinis Arcis Britannicæ, tum apud Romæoburgum reperta, vnà cum infinitis omnis Antiquitatis monumentis aliis, quæ aut ipse inde extulit, aut ab aliis redemit. Hæc magnam partem post illius viri excessum facta sunt jurisKnotterorum. Reliqua in omnē quaquaversum regionem desseminata, multorum Antiquariorum loculos exornant. De hujusmodi autē Lucerna pluvium luminum Martialis lib. XIV. vbi Lemma, LYCERNA

POLYMYXOS, eique subjectum hoc Epigramma:

Illustrem quum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

Quum multiplex sim (inquit) & polymyxos, id est, plura ellychnia habeam, & totū triclinium meis luminibus perfundam, vna tamen dicor lucerna. Anastasius Bibliothecarius De Vitis Pontificum Romanorum, in Silvestro I, meminit lucernę ex auro purissimo mixarum duodecim. Ita enim legendum, non nixorum, vt in contextu est, aut lychnorum, vt voluit Editor in margine Idem mendum alibi apud eundem Auctorem observavi. Sed hæc Grammaticorum sunt, neque huius loci, Quare ad Antiquitates Bataviæ & Chorographica quæ restant exequenda gradum contendamus. Charta Militaris, sive Tabula Itineraria Peutingeri, cujus supra meminimus, PRÆTORIVM AGRIPPINÆ in Batavis haud longè a Lugduno ponit. Nobilissimus & omnis Antiquitatis peritissimus Marcus Velserus Duumvir Augustanus in explicatione schedarū quarundam ejus Tabulæ, his ex [a] Tacito præmissis: Agrippina, quò vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppido Vbiorum, in quo genita erat, veteranos „ Coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex voca„ bulo ipsius: Ego hanc (inquit) ambitionem in Coloniæ & hujus Prætorij nomine valuisse sentio: neque enim valde ambigo Prætorium etiam ad Agrippinam Germanici filiam pertinere. Certo fortasis consilio Bataviam ostentationi delegit imperiosa & sagax mulier, quò apud illam gentem veneration em augeret, ex qua Augustorum Augustarumque corporis custodes. Reliquiæ in Romæoburgo supereſſe videntur. Situs convenit, & nomen Romanam antiquitatem præfert. Iunius ostendit refossis fundamentis varia Antiquita is monumenta id loci esse eruta: præter imbrices literatos, & figlina opera, etiam ærea signa, atque argentea numismata: quin

[a] *Annal. lib. 12.*

quin & prægrandem gemmam: quæ fidem faciunt aliquid ſupra Militare Præſidium ibi ſtetiſſe. Hæc ille. Quibus quod demam aut addam, non habeo. Adſentior non invitus viro vndecunq. doctiſsimo, & adſurgo ei lubens merito. Cujus & deinde conjectura quæ ſequitur, non mihi admodum improbatur. nedum a Vero abſona (vt nonnemo vult) videatur. Nimirum ad hoc Prætorium Agrippinæ revocandam eſſe cædem Vrſulę & cęterarum Virginum Britannicarum, quam ab Hunnis Colonię Agrippinæ patratam, fama ex nominis errore orta proditum. Imperitè (inquit) quiſquis auctor fuit Hiſtorię, quod Hunnorū & Agrippinę nomen inaudiſſet, ad Attilam & Coloniam Agrippinam retulit, magno temporū & locorum errore. Ad[a] tempus quod pertinet; Gratiani & Maximini (qui Gratiano Imperium & vitam ademit) ævum perſpicuè ex Gaufrido Aſaphenſi intelligimus: Ad locum; Germanicum littus. Guilielmus Lindanus apud Cæſarem Baronium Æſtuaria Germanica ad Rheni oſtia, me approbante, interpretatur. Sed ea Coloniam vſque pertingere cui fidem faciat? Profectò qui ſchedas Tabulæ ſemel inſpexerit, Prætorium Agrippinæ longè rectiùs accipi, fateatur neceſſe eſt. Et ſi jam tunc temporis Romæoburgum a provincialibus vocabatur (quod quidem non valdè affirmo, verum tamē eſſe nihil impedit) probabilis erit conjectura, hinc opinionem de Romana peregrinatione natam. Nam Bonna ex Veronæ nomen fluxit: Quum Virgines Veronā primùm appuliſſe antiqua Hiſtoria narret: Et Verona in hoc littore vrbs opulenta & florens olim ſteterit. Quod[b] Hadrianus Iunius & [c] Suffridus Petrus obſervavêre. An & Paſilea a Prætorio, (Baſileam enim vſque Vrſulam adverſo Rheno navigaſſe volunt) non affirmatè dixerim. Vnum Agrippinenſibus libentes largimur, pleraque Virginum cadavera ad illorum vrbem, quæ inprimis ampla & potens, atque cum reliqua Gallia in Maximi poteſtate eſſet, venerationis cauſſa delata.

a *Anno Chriſti* CCC LXXIII *vt ſupputat Baronius, qui Gaufredi Aſaphēſis vetuſti ſed vt plurimum fabuloſi ſcriptoris fragmentū ex Vaticana Bibliocâ publicavit in Notis ad Martyrologium Romanum,* XXI. *Octob.*

b *Batavia cap.* XVII. *pag 284.*

c *De Frif. Antiquit. lib 1. cap. 9 pag 37.*

lata. Hactenus Velserus. Cæterùm quàm miserè multorum frivolis conjecturis hęc Virginum Historia lancinata sit, vide in [a] libello quem ex variis concinnatum de iis nuper emisit Aubertus Miræus. Quod autem [b] Aurelius noster in literas retulit Romanos, haud procul a Castro quod Arcem dicimus Romanorum, Latinarum literarum Scholam aperuisse; illud ego in medium relinquo, & sine gravi & antiqui scriptoris testimonio nihil hujus meo periculo temerè assertum velim. Quamquam V. C. Bonaventura Vulcanius, vtriusque linguæ & Historiarum in paucis peritus (cui hæc & alia Aurelij opuscula debemus) non dubitavit apud amplissimũ civitatis Leydensis Senatum in hunc modum de hac Schola

„ differere: Agnoscetis, inquit, Scholam Latinam a Romanis
„ propè Leydas ad Rhenum in Municipio vestro quod Boomburch, hoc est Arx Romanorum, dicitur conditam: vt juven-
„ tutis Batavicæ, quam acri ingenio, aptissimaque addiscendis
„ aliis idiomatibus linguâ esse norant, suâ etiã, hoc est, Roma-
„ nalingua instructę opera, facilius sibi alias nationes ejus igna-
„ ras reconciliarent; & hac beneficij specie ipsos juvenum pa-
„ rentes sibi arctiùs devincirent, atque adeo in officio retine-
„ rent, &c. Hæc Vulcanius, sed qui auctorem alium, quo se tueatur, non habet pręter Aurelium. Cui bono Cœnobitæ ego antiquum lapidẽ, quem effossum inibi viderit, imposuisse existimo, in quo Scholæ mentio facta fuerit. Quã Scholæ appellationem, alium ejus vocabuli vsum & significationem ignorans, putavit vir solers ilico ad ludum literarium referendam. In quo falsus est. Nam Scholarum diversarum frequẽs mentio in veteribus Inscriptionibus. Quæ quum Scholas dicunt, ferè aut Officiorum & Corporatorum Collegia, aut Militum quà armatorum, quà inermium Palatinorum Ordines & Cõtubernia intelligi & exaudiri volunt. Sic apud Gruterum pag. CLXIX, num. 6. SCHOLA AVG. FABRORVM TIGNVARIORVM. Apud eundem pag. DCXXXII, num. 4.

TABV-

a *Hoc titulo: De SS. Virginibus Coloniensibus Disquisitio. Parisiis, Anno* M. DC. IX

b *In fine Batavię, lib. 2.*

TABVLARIVS SCHOLÆ MEDICORVM. Romæ, in limine superiori portæ exterioris S. Alexij in Aventino:

IN. HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. *Gruter fol. CLXIX, num. 5.*

Ti. Claudius. Secundus. Coactor. cum. Ti. Claudio. Ti. Quir. Secundo. F. Viatoribus. IIIIvir. &. IIIIvir. Scholam. cum. Statuis. &. Imaginibus. Ornamentiſq; omnibus. ſua. impenſa. fecit.

Ibidem, ſub Concordię templo, in capite fori, dum foſſores terram altiùs moliuntur, inventę hæ Inſcriptiones:

Bebryx. Aug. L. Druſianus. A. Fabius. Xanthus Cur. Scribis. Librariis. &. Præconibus. Æd. Cur. Scholam. ab. inchoato. refecerunt. Marmoribus. Ornaverunt. Victoriam. Auguſtam. &. Sedes. Æneas. & cetera Ornamenta. de. ſua. pecunia. fecerunt. *Gruter. fol. CLXX, num 8.*

Item:

Bebryx. Aug. L. Druſianus. A. Fab. Xanthus. Cur. Imagines. Argenteas. Deorum. ſeptem. a *poſt. Dedicationem. Scholæ. &. Mutulos. cum. Tabella. Ænea. de ſua. pecunia. dederunt.* a Alias, Æ

Ibidem in vno peryſtilio interiori parte legebatur:

C. Avilius. Licinius. Troſius. Curator
b *Scholarum. de. ſuo. fecit.* b Alias, *Scholam.*

Sed an iſtæ Inſcriptiones ad ejuſmodi Scholas referendæ ſint, dubitari poſſe video: quum prima ex iis ad Gymnaſia, ſtatuis & imaginibus Deorum hominumque ſapientia inſignium antiquitùs exornari ſolita, jamdudū relata ſit a viris haud vul-

Codefcalcus Stevvechius Commē. tario in Vegetium de Re Militari lib. 2. cap 6.

giriter eruditis. Sed & ipſos videtur decepiſſe vocabulum Scholæ. Sanè Inſcriptio illa (cujus teſtimonio vtuntur) videtur mihi innuere Scholam Viatoribus IIIIvirorum & VIvirorum, a Ti. Claudio Secundo Coactore & Ti. Claudio Ti. Quir. Secundo ejus filio factam. Item altera Inſcriptio teſtatur Bebrycem Aug. L. Druſianum & A. Fabium Xanthum Curatorem, Scholam Scribis Librariis & Præconibus Ædilium Curulium faciundam curaviſſe, poſteaque refectam a C. Avilio Licinio Troſio. Atque ab hoc Xantho fortaſſis Schola Xantha dicta, cujus meminit Rufus in libello de Regionibus Vrbis. Ea mihi quidē ſedet ſententia, ſalvo aliorum judicio. Sed de Scholis Militum armatorū (erant namque Scholæ Militiæ Caſtrenſis, & Militiæ Palatinæ) habes in iiſdem Monumētis antiquis. SCHOLA SPECVLATORVM LEG. I & II ADIVTRICVM, &c. in Marmore quodam Budæ in Hungariâ reperto, apud Gruterum pag. C LXIX, num. 7. Apud eundem pag. D CC LIII, num. 4. SCHOLA VEXILLARIORVM. Schola equitum & peditum, in Codice Iuſtinianeo lib. II tit. VIII, de Advocat. diverſor. Iudicum. Schola Scutariorum, & Scutariorum Clibanariorum in Vrbe Conſtantinopolitana, in Codice Theodoſiano, lib. XIIII, tit. XVII. de annonis civicis & pane gradili. Scutariorum meminit etiam Ammianus Marcellinus lib. XXII, & eorumdem Scholam primam & ſecundam nominat lib XXVI. Scholæ tertiæ meminit vetus Inſcriptio:

Gruterus fol. CIↃ III, inter Monumeta Chriſtiana, num. 11.

M. M. IN. PACE
FLANIGGO. SCVTARIVS
SCOLA. TERCIA. QVI
VIX. ANN. L. M. XV. &c.

Tres etiam ſcutariorum ſcholas, I. II. III. agnoſcit Notitia Imperij Romani, in Occidente ſub diſpoſitione viri illuſtris

ſtris Magiſtri Officiorum. Ibidem schola Armaturarum: schola Gentilium (cujus scholæ & Marcellinus meminit lib. XXVII.) schola agentium in rebus, & Deputati ejuſdem scholæ. Cujus scholæ cum in eadem Notitia, tum in codice Theodoſij, & Iuſtiniani crebra mentio. scholarum etiam Militariū meminit Vegetius de Re Militari lib. II. cap. XXI. Et a scholis Milites scholares dicti, in cod. Theod. lib. VII. tit. 6. de erogat. milit. anno. l. 34. lib. XI. tit. 18. Quia præbitione tyronum excuſ l. VII. In cod. Iuſtin. lib. I. tit. 31. de officio Magiſtri offic. l. 3. & 5. In eodem lib. XII. tit. 30, de privilegiis scholarium. Vbi in orâ ex Alciato monemur, intelligendos militantes in ſacro Palatio. De scholaribus, ſive scholariis (vt ibi, & alibi in cod. Theod. appellantur) qui interdiu & noctu in Aula verſabantur, vide Agathiam Hiſtor. lib. v. & adhibe Suidam in hac voce. Scholæ Palatinæ mentio in l. 11 § ſin autem, & in § illo proculdubio cod. Iuſtin. lib. III. tit. 1. de Iudiciis, & apud Marcellinū lib. XIV. Schola Domeſticorū in cod. Theod. lib. VI. tit. 24. de Domeſticis & Protectorib. l. 3. eod. lib. tit. 25. de Præpoſ. laborum l. VII. lib. XII. tit. 1. de Decurionib. l. 38. In Cod. Iuſtin lib. III. tit. 23. Vbi senator. l. 3. Et apud Marcellinum lib. XXVI. In eod. Cod. lib. I. tit. 27. in Laterculo Præfecti Prætorio Africæ plurium scholarum mentio, videlicet Singularium, Mittendariorum, Curſorum, Nomenculatorum, stratorum, Prætorianorum, Draconariorum, Chartulariorum. schola Notariorum in cod. Theod. lib. VI. tit. 2, vbi ea schola ſacratum Collegium aliàs dicitur. schola Notariorū etiam in Notitia Imperij & apud s. Gregorium in Regiſtro lib. VII, epiſt. XVII. qui & scholam subdiaconorum nominat ibidem Nam Eccleſia multis vocabulis vtitur ſumptis a Re Militari. sic schola cantorum reperitur apud veteres Auctores qui agunt de Divinis Officiis. Et vt olim in Re Militari qui scholæ ſive contubernio præerat, dicebatur caput

scholæ,

Scholæ,id eſt, Decanus habens ſub ſe novem homines: quibus ipſe decimus præerat: a quo illi nomen: ſic hodieque in Collegiis Eccleſiaſticis (quod ab illuſtri viro Ioſepho Scaligero accepi) qui decimus eſt ac princeps Collegij,alibi Decanus, alibi caput scholæ vocatur: vt in Volcis Tectoſagibus,& Aremoricis,& reliqua provincia Narbonenſi. Nimirum quia schola & contubernium idem. Verùm his omiſſis,reſtat schola silentiariorum, nobis indicta. Ejus mentio apud Nicephorum lib. XVI. cap. XXIIII. In Cod. Iuſtin. lib. XII. tit. 16. de Silentiariis & Decurionib. l. 4. devotiſſimorũ silentiariorum schola. Erant autem silentiarii non a Secretis Principis,quod Accurſius & ejus ſecutuleij crediderunt,ſed qui importunum murmur cohibebãt, & curam habebant ne quis in Principis Palatio ſtrepitus inſolens excitaretur. Silentiariorũ Palatij meminit Procopius ſecundo Perſicorum,& de Fabricis ſive Ædificiis Iuſtiniani. Ipſe Iuſtinianus in cod lib. III. tit. 28. de inoffic. teſtam. l. 30. § vlt. Exceptis ſolis (inquit) viris ſpectabilibus Silentiariis ſacri noſtri Palatij. In eodem Cod. lib. V. tit. 63. de excuſationib. tut.[a] l. vlt. Imperator Anaſtaſius A. Antiocho Præpoſito ſacri Cubiculi ſic ſcribit: Viros Clariſſimos ſacri noſtri Palatij silentiarios circa latus noſtrum militantes,de tutelis & curationibus excuſari ſancimus. Dat. Kal. Ian. Ioanne & Aſclepione Coss. Facit huc Inſcriptio vetus:

[a] *Hulc legi vulgo vitioſum & rei minimè conveniens lemma præponitur. Tale: Conſiliary Principis excuſantur a tutela.*

IVLIVS. FELIX. VALENTINIANVS. V. C. ET EX. SILENTIARIO. SACRI. PALATII. &c.

Quare illi qui hodie vrbium secretarios (quos Ab Actis non malè fortaſſis dicas) silentiarios appellant,quo auctore ſe tueri poſſint,etiam atque etiam videant: ſiquidem Latinè loqui in animum induxêre. sed de scholis(hui!) quot verba apud eruditas aures perdidi! Quid faciam,benevole Lector? Equidẽ fateor,interdum longior ſum quam par eſt, & quam ipſe volo. Sed quia provincia hæc ſuſcepta eſt,ſatisfaciendum fuit

uit quibuſdam amicis meis, in quorum gratiam hæc omnis
e Scholis diſputatio (quam docti ſupervacaneam dicent) in-
ituta eſt. Tandem, tandem ad Aurelium, de quo cœperam
icere, revertatur oratio. Videtur itaque e ruinis Caſtri illius
pis erutus, qui Scholæ mentionem fecerit, & quo duce for-
ſsis Aurelius in profundiſſimum erroris abyſſum præcipi-
tus. Nam Scholam addiſcendis Latinis literis ibidem con-
itutam fuiſſe a Romanis, neſcio num apud omnes fidem in-
enturum ſit. Lubet ſuſpicari, mentionem in eo lapide fuiſſe
ctam Scholæ Armamentarij. Sic Schola Armamentarij a-
ud Vbios legitur in fruſtro marmoris, quod Coloniâ adve-
t & in Muſæum ſuum tranſtulit Heidelbergæ V. C. Mar-
uardus Freherus. Deſcripſit illud Gruterus pag. CLXX,
um. 2. Vbi inter alia:

HVIC TITVLV :. :. :.
SCOLA. ARMA :. :. :. :.
:. :. VM. VBII. &c.

inc Indicis cap. XI. inter Ædificia publica ARMAMENTA-
IVM APVD VBIOS relatum. Sed dum preſſiùs veſtigia fu-
entium literarum lego, videtur mihi in marmore exaratum
iſſe SCHOLA ARMATVRARVM, non quod viri magni cen-
erunt SCOLA ARMAMENTARII. Scholæ Armaturarum
pra ex Notitia Imperij meminimus. Armaturæ autem cer-
m genus militum. De quo Vegetius non vno loco, & Mar-
llinus lib. XIV. XV. & XXVII. Iulius Firmicus quoque Ar-
aturarum militarium meminit. Sed de his hactenus. Reſi-
ia Antiquitatum hæc ſunt. Teſtatur idem Aurelius ſe Ro-
æoburgi Inſcriptionem iſtam legiſſe:

S. NERVAE. TRAIA. CAES. GER
DACICO. TRIB. P. P. P. COS V
LVCENSIVM. PRAEF. TRAIANO
TRIB. POT. LVCENSIVM.

æc Inſcriptio (vt annotavit clariſſimus Vulcanius, qui Au-

relij Bataviam primus in lucem edidit,) parum proba eſt, videturque omnino ex diverſis Inſcriptionibus conflata. Sed quum Aurelius ſe eam vidiſſe & compegiſſe teſtetur, intactã relinquere quam mutare idem maluit. LVCENSES, qui hîc commemorantur, an a Lucâ Tuſciæ vrbe dicti ſint, & ex Italiâ venerint, ſive potiùs ex Africâ (nam Luca Africæ locus maritimus eſt apud Procopium in Vandalicis, diſtatq. a Carthagine iter novem dierum) non facile dicam. A Luco Auguſti forraſſis ita nuncupati. Nam Cohortis Lucenſis meminit Notitia Imperij, in Occidente ſub finem, vbi Præpoſituræ Magiſtri Militũ præſentalium a parte peditum recenſentur: In provinciâ Hiſpaniæ Gallæciâ, Tribunus, inquit, Cohortis Lucenſis Luco, ſcilicet, præſidebat. prope Flavium Brigantium. Lucus Auguſti, vrbs eſt opulenia, nunc Lucenſis dicta, vnde hæc Cohors denominatur, ex ſententia doctiſsimi Iuriſconſulti Guidi Panciroli. Pighius in Hercule Prodicio Hagam-Comitis Lucenſium municipium appellat. Lucenſes autem, quorum mentionem in antiquis Batavorum monumentis (hanc fortè Inſcriptionẽ innuens) reperiri ait, a luco in Batavis olim celeberrimo (Tacitus Sacrum nemus vocat) denominatos cenſet. Ab eodem luco idem Luguduni vrbis etymon arceſsit: & Britten ad Oceani littus, ſive vt ille ſcribit Britthem, Vetera Caſtra Romanorũ interpretatur: quaſi Veterheimum, nomine ex Latina & antiqua voce Belgica compoſito. Quæ originationes (liberè dicam) pectines Solis & Lamiæ turres, vaniores gerris Siculis Quibus refutandis non hîc diutius immorabor, digito tantùm indicaſſe contentus.

T'wout ſonder genaden.

Nec referam hîc tricas de luco ferali veniæque exſorti, quem Hagæ-Comitis propinquum & ob horrorem inacceſſum fuiſſe memorant Annales noſtri vernaculi. Quorum initium cerritus aliquis ſcripſiſſe, aut dictaſſe anus ſomniculoſa videtur. Hæc cum venia tua, erudite Lector, obiter. Dabitur aliàs, vt ſpero, de iis vberiùs differendi occaſio. Nunc quod inſtat agamus.

gamus. Reperta eſt apud Batavos (locus non deſignatur) ba-
s hæc Martis Victoris: in qua ſupererant adhuc pedes ſtatuę
im impoſitæ, ſed poſtea confractæ.

Smetium fol. XXVI. *Gruter. fol.* LVIII. *num 6.*

MARTI. VICT
GLADIATORES
L. G. P. F.

uæ baſis, teſte Smetio, exſtabat annis ſuperioribus Dor-
echti apud Martinum de Beaumont. Notas illas L.G.P.F.
deo vulgò ignotas eſſe Interpreter ego, Legionis Geminæ
æ Felicis. Nam Gladiatores etiam ad militiam vocatos legi-
us. Cæſar de Bello Civili lib. 1. Gladiatores, quos ibi Cæ- „
in ludo habebat, in forum productos libertati confirmat, „
que iis equos attribuit, atque ſe ſequi juſſit. Sed Gladiato-
s hîc fortè ſunt gladiorum fabricatores. Quomodo Gladia-
res accipiendi apud Tarrutenum Paternum l. C. Rerum
ilitarium lib. 1. in Pandectis lib. X L. tit. v. l. vlt. de jure im-
unitatis. Si quis volet ad arenarios Gladiatores referre, per
e licet. Nam non Romę tantùm, ſed & in provinciis & mu-
cipiis Romani Imperij ludos Gladiatorios editos ſcimus:
eorum Preſidem Martem. Tertullianus libro de Spectacu-
: Martem, inquit, & Dianam vtriuſque (nempe Gladiato- „
& Venatorij) Præſidem novimus. Hujus rei etiam Salvia-
m dare poſſem auctorem, niſi ablectiſsima Iuſti Lipſij Sa-
rnalia conſulenda putarē. Nec mihi mens, erudite Lector,
erare te copia exemplorum. Redeo ad penſum. In VVa-
hria Zelandiæ Inſula, pago volgo Weſtrappel dicto, prope
iſsingam, in templi fonte ſacro legitur hæc Inſcriptio:

HERCVLI
MARCVSANO
M.R.R.I.M.F.F.I.V.I.S
TERTIVS
V. S. L. M.

Ita exhibet Gruterus pag. MLXX, num. 4. ex schedis Pighij, qui in Hercule Prodicio ad hunc modum cōmentatur: HERCVLEM templis ubique locorum & divinis honoribus cultum, cognominaq. vel a factis, vel a locis, in quibus colebatur, diversa sortitum esse ferunt. Hinc Gaditanus apud Iberos, MARCVSANVS apud Batavos, Monœcus apud Ligures, &c. Ioannes Goropius Becanus, vir ingeniosissimus & politissimus, hujus Inscriptionis quoque meminit in [a] Originibus Antvverpianis sive Cimmeriorum Becceselanis, & festivissimo (vt ferè omnes ejus Origines) etymo illustravit. Quod apud ipsum vide. Nos hîc Ortelium potiùs audiamus, qui in Thesaûro Geographico ita loquitur: MAGVSANI HERCVLIS Fanum circa Schaldis ostia olim fuisse, Vetus Inscriptio, quæ supereſt, indicat. Ineptiunt qui MARCVSANVM legunt: quum nec canina litera, neque ejus vestigium in lapide (quē diligenter inspexi) cernitur. At hanc veram esse scripturam, testimonio est Postumi nummus æreus, qui HERCVLIS MAGVSANI quoque effigiem & nomen liquidò ostentat. Postumum Trans-Rhenani hujus limitis Ducem & Galliæ Præsidem factum a Valeriano, Trebellius Pollio memoriæ prodidit. Inscriptionis formula hæc est:

HERCVLI
MAGVSANO
M. PRIMIIVS
TERTIVS
V. S L. M.

Hactenus insignis ille & verè Regius Cosmographus. Quibus

[a] *Lib 2. Meminit idem lib 3. Frāeicorum.*

[b] *Exstat huius nummi typus apud Gulielmum Choulium Gallum de vett Rom. Relig. Et Inscriptio apud Adolphum Occonem Augustanum.*

bus ista adiiciebam. Repertam scilicet hanc Inscriptionẽ anno CIↃ IↃ XIIII à V. N. Philippo Burgundo, Oceani Præfecto. Quod testatur in [a] Epistola de Zelandis ad Sebastianum Ciriacinum Gerardus Noviomagus. Meminitque idem alibi in Collectaneis suis de miranda antiquitate Regũ Germaniæ, ex Ioannis Marij & Berosi fabulosis Antiquitatibus. Sed Inscriptionem ipsam non adscribit. Quæ fortassis illo ævo prę:er nomen Herculis ægrè legi potuit. Nuperque adeo de ea Inscriptione inter doctos certatum: quibusdam MARCVSANO legentibus, & literas sequentes singulas punctis distinctas fuisse existimantibus, ad hunc, vt jam supra vidimus, modum: M. R. R. I. M. F. F. I. V. I. S. Aliis contra MAGVSANO, & M. PRIMELIVS legentibus. Quàm lectionem Laurinis omnium Antiquitatum doctissimis placuisse intelligo. Sed Ortelij lectionem veram esse, facilè inducor vt credam. PRIMIVS nomen viri proprium est, reperiturque in veteribus Monumentis, vt & TERTIVS. Quod autem hîc PRIMIIVS legatur, movere neminem debet. Exempla alia in antiquis Inscriptionibus occurrunt, in quibus I redundat. Sic ibi est MARIINVS, MACXIIMINVS, & talia. Vide Indicem eorum quæ ad Rem Grammaticã pertinent, cap. XIX.

[a] *Illam dedi supra, pag. 138. & seqq.*

Explicit Antiquitatum Batavicarum Tabularium.

Sed heus Lector, Inscriptiones veteres, quę Frisiorum meminerunt, his etiam attexere placuit.

Romę, in Palatio prope Trivium, vii Salaria.

1 *Bassus. Neronis*
Cæsaris. Corpore
Custos. Natione
Frisius. Vixit
An. XL.

Interamna in vmbria, in Ecclesia S. Marię Magdalenę.

2 *Hilarus*
Neronis. Cæsaris
Corpore. Custos
Natione. Frisæo
Vix. A. XXXIII.

[a] *1, ex Mazochij 2 ex Apiani Antiquitatibus Gruterus pag.* DCL *num.* 12 *& 13.*

Romæ, sed qua Vrbis Regione non additur.

Gruterus ab Horatio Vallæo pag. DXXXII, num. 6 & 7.

3 D. M.
Aug. Vero. a Eq. Sing. Aug
Nat. Friseo. b T. Ael. Gemini
Vixit. ann. XXX. Mil. ann XIII.
Aur. Mœsicus. Her
c A. O. F. C.

4 D. M.
T. Fl. Verino. Nat
Frisaevone. Vix. ann
XX. M. VII. T. F. Victor
Eq. Sing. Aug. fratri
Dulcissimo
F. C.

a Equiti Singulario Augusti.
b Turmæ Ælij Gemini.
c Amico optimo faciundum curavit.

Notandum in harum Inscriptionum vltima T. Fl. Verinum natione Frisævonē dici. Frisiabones Plinio lib IV. cap. XVII. Rhenani populi sunt, inter Helium & Flevum ejus ostia strati. Sunt qui Zelandos interpretentur: at V. Vaterlandi vulgò creduntur, qui Hollandiæ partem Septentrionaliorem incolunt. Monuit Ortelius apud Plinium aliquos codices legere Frisi Avones. Quę veræ lectionis vestigia, vt in Animadversionibus nostris in Bataviam Iunij notavimus. Has alias, vita comite, videbis. Nunc vide an ad Frisiorum Hollandorumve gloriam spectet ara marmorea Romæ, retro S. Marcum sub Capitolio, in vico appellato *in Furno*; cujus hæc Inscriptio:

Gruter. fol. DXVIII, num. 5.

D. M.
T. Hortesio. Mucroni. Nat. d Marsaqueo. V. An
XXXXV. Ael. Verinus. Arm. Cust. Eq. Sing
Aug. Fratri. F. C.

d Marsacios Plinius, & Marsacos Tacitus commemorat. Quorum vestigia in Marsdiep agnoscimus. Vide Iuny Bataviam, pag. 29.

Atque hæ sunt Inscriptiones omnes tam peregrinæ quã originariæ, quæ ad notitiam meam de Batavis Frisiisq. pervenerunt. Eas in quorundam gratiam raptim pro ingenij mei tenuitate interpretari sum conatus. Sicubi erravi, Lector candide, memento me hæc currente prælo dictasse.

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat Patriæ qui placuisse suæ.

Sequentibus pagellis, alioqui vacaturis, vt Burgi Lugdunensis Scænographia cum descriptione ejus ex Iunio appingeretur, curavi. Vtique quum exstent, qui opus Romanum existiment. Conjunge autem Bataviam Aurelij lib. 1. cap. VI.

Scænographia Burgi Lugdunensis.

Lugduni (ait [a] Iunius) media fere vrbe in acclivi vndecunque tumulo, editiore loco, Pyrgus exstat, Burgum patria lingua vocat, circinato mœnium ambitu, fornicibus arcuatis quem ab Engisto circiter quadringentesimum & quinquagesimum a Christi Natali annum exstructum, quum Heros ille consilio manuq. potens e Britannis victor domum rediisset,

[a] *Batavia pag. 269.*

sunt

ſunt qui chartis prodidêre: locum habitationi ineptum, quod domiciliis careat, medium omne ſpatium pomiferæ arbores occupant. In eo puteus altiſsimus & peramplus viſitur, quem credulum vulgus fabulatur cuniculum habuiſſe pervium ad Armamentarium vſque Romanum prope Catvicum. Quod commentum facile convicerit tractus ille totus uliginoſus & pratenſis, qui vt eam ſubterraneam cuniculi altitudinem admittere potuerit, vt per quatuor paſſuum milia ſubter Rheni alveum penetrarit, vero diſſonum videtur. Ab hoc Pyrgo Burg-gravij (quæ vox ſonat Pyrgi Comites) inclytum nomen trahunt, Dynaſtæ potentes olim proprietarij Lugduni Domini. quod imperium & jus penes VVaſſenarios incolume ſtetit, cum Rhenani territorij (Rhijnlandiam vocant) poſſeſſione, teloniiſque; donec anno CIↃ. CC. LI. exſtincto Iacobo Chriſtina filia, cujus tutelam occuparat Princeps, hæreditario omni jure exuta eſt. Lugduni poſſeſſionem, (quæ ob conciſas Comitis literas, injuriæ nomine, adempta fuerat) beneficio piæ Principis Iacobæ, familiæ reſtitutam, recepit ad ſe Philippus Burgundus; a quo in Comitiis publicè, intrepido & ad truculentiam compoſito ore, jus aviti Dominatus repetere auſus eſt Iacobus Henrici filius, voti invalidus adverſus potentiorem: obtinuit tamen quædam, iniquis (vt fit) legibus.

Errata in Antiquitatibus ſic corrige:

Pag. 176. verſ 12. CAECIL. *pag. 180. verſ 18,* extructamque. *Pag 181. verſ 21.* de victis *Ibid verſ. ult.* quod me nupera. *Pag. 186. Imbrex tredecim pollices longus tranſpoſitus, reſtituēdus in ſedem tuſſre; quæ viciſsim ei ſubſtituenda, vt agmen ducat ſequentium. Pag. 192, verſ. 18.* vnum. *Ibid. verſ. 5.* alterum. *Pag. 196. verſ. 27* HISCONIENSIVM. *Pag. 199. verſ. 2.* quamquam. *Pag. 206. verſ. 17* BATAORVM. *pag. 207. verſ. 6.* VIX. AN. XXIIX. *pag. 222. verſ. 26.* B. M. IN. PACE.

FINIS.

Illustrissimorum

HOLLANDIAE ZELANDIAEQVE COMITVM AC DOMINORVM FRISIAE

ICONES ET HISTORIA.

Insignia
COMITVM
HOLLANDIAE

ZELANDIÆ & FRISIÆ.

Hollandia vnde dicta.

HOllandiam, alij Holtlandiam, id est, terram lignorum: alij Hollandiam, id est, terram cassam & non solidã, dictam volunt. Nonnullis enim locis adeo solida est, vt nare dicatur super aquam. Quo autem tempore ita dici cœperit, non me legisse memini. Veruntamen constat hanc appellationem admodum esse recentem. Nam Hermannus Contractus, qui scripsit ad annum vsque Domini M. LXVI. *in fine, vbi de Theoderico Marchione quarto ejus nominis pluribus locis fit mentio, nusquam Hollandiam nominat, sed vbique Fladirtingam. Ab eo puto oppido quod hodie haud procul Oceano nomen habet Vlardingen. Quod Gerardus Noviomagus vetustissimum esse asserit, vocatque Vlardingam & Vlardingiacum. Fladirtingam autem non pro oppido solum, sed pro ipsa regione ponit Contractus.*

Hæc Iacobus Meierus Annalium Flandriæ lib. XI.

Primus ego Batavæ gentis Comes, ortus ab alto
Sanguine Teucrorum, Santone patre, fui.
Pacis amans, belliquæ potens: hoc victor, at illa
Devictis Frisiis invidiosus eram.
Hinc pulsus, Calvo mea regna iuvante recepi:
Restitui pacem: pace data perij.
Quæ mihi mors potuit melius contingere? nam qui
Bellâram juvenis, pace quiesco senex.

THEO-

THEODERICVS I.

COMES PRIMVS.

CArolus cognomento Calvus [a], Romanus Imperator, & Galliarum Rex, quum audisset Hollandiam Imperatoriam terram a Danis, qui Trajectum incolebāt, vi bellica fœdari, [b] Ioannis octavi Pontificis rogatu, Principatum ejus contulit Theoderico uidā Sigisberti Aquitani filio, Troiani sanguinis viro, anno CCCC LXIII, vt Annales tradunt. Is confestim armata mau Hollandiam ingressus, Frisios compescuit primum. Deinde, quum invidere cœpissent ij populi tam longam [c] Theoderico cum finitimis pacem, eum provincia eiecerunt. Ejectus confugit ad vnicum & promptissimum subsidium [d] Carolum Calvum Imperatorem. Cujus iterum opera non ita multo post in Hollandiam [e] reductus, de iis, qui conjurationis auctores fuerant, supplicium sumere non distulit. Obijt mortem jam senio confectus, anni initi Principatus quadragesimo, relicta vxore Gena, nobili fœmina. Peperit ei hæc Theodericum, qui paterni Comitatus hæres postea fuit, Ambo & Theodericus & Gena sepulti Egmondæ.

a *Ludovici Pij Cæsaris filius & Caroli Magni nepos.*

b *A quo Carolus etiã Calvus inunctus memoratur*

c *Theodericus a Frisiis Hollandia eiectus.*

d *Quem Principem sibi adhuc iuvenis fortiter agendo amicitia & familiaritate devinxerat.*

e *Theodericus in Hollandiam reductus.*

Hic COMES THEODERICVS *accepit etiam ex donatione Ludovici Germanorum Regis Ludovici Pij filij anno 868 Zelandiam: vnde quum Dani, VVilti, & Slavi (qui eum praerant Dordraco & Traiecto) novum Principem deturbare conarentur, praefectus est militiæ Lupoldus, alter Suevorum* Comitis *filius, qui re prospere gesta, sedibusque inibi constitutis, illustribus Borsalis ortum dedit, vt vulgo creditur.*

Ex Meieri Annalium Flandriæ lib. II.

Carolus Rex, quo plures haberet, quos Danis Normanniisq; efferis nationibus opponeret, Hollandiam, Batavorum olim celebrem insulam, Comitatus honore decoravit, Theoderico cognomine Frisio, fortissimo viro, primo instituto Comite. *An. 863.*

Virtutis patriæ, patrij quoque nominis hæres
Marte meo clarus, vt fuit ille, fui.
Idem hostis Frisius, sic & victoria vtrique:
Hæc blanda, imperiis invidus ille meis.
Mox etiam flammis monumenta absumpta paternis
Manibus æterno marmore restitui.
His gestis morior: testis mihi fama, tueri
Me nec sceptra magis, nec potuisse patrem.

THEODERICVS II.
COMES II.

THeodericus hujus nominis ſecundus, qui in demortui patris locum factus eſt Comes, iterum rebellantes Friſios bis memorabili prælio devicit. Egmondenſe Monaſterium crematum a Friſiis, ex lapide inſtauravit. Fatalem autem obijt diem, anno gubernationis octavo & octogeſimo. Corpus ejus ingenti hominum vtriuſque ſexus conventu Egmondam delatum.

Ardua

Ardua, dum vixi, generoso pectore bella
Sustinui, ad pacem tardus, ad arma celer.
Testes sunt Frisij, Phrygij qui sanguinis hostes
Senserunt, hostem quid sit habere Phrygem.
Hæc mea vita: necem memor ipsa Batavia narret,
Quæ patrio exanimem me posuit tumulo.
Pace quievit avus, genitorque; ego primus in [a] *armis:*
Utraque mors laudi est. elige posteritas.

a *A Frisiis cæsus.*

ARNVL-

ARNVLPHVS
COMES III.

ARnulphus tertius Hollandiæ Comes, Theoderico patri ſucceſſit. Hic Princeps multa cum Friſiis bella geſſit. Ad oſtremum cæſus ab ijſdem in quodam VVeſt-Friſiæ agro on ſine maximo dolore ſuorum, a quibus & ipſe Egmon- m exanimis deportatus, in majorum conditorium repo- tur.

Defendi patrium, patre non minor ipſe, Leonem,
Proque parente parens, ſtroque Leone Leo.
Me duce Trajecti[a] *Proſ's*[b] *Friſi-ſque ſubacti,*
Inferiæ cæſo qui cecidere patri.
Hoſtis vterque: ſed hic belli, fraudum ille miniſter,
Eventus vates ſtella comata fuit.
Sic pius in patrem vixi, ſic fortis ad arma:
Alterutro quivis vel Deus eſſe poteſt.

a *Adeboldus Epiſcopus captus.*
b *Orientalis, puta.*

THEO-

THEODERICVS III.
COMES IIII.

THeodericus hujus nominis tertius, defuncto patre Arnulpho, rexit Hollandiam; cujus Principatu multis diebus arsit in ea regione stella crinita, quam subsequutum est bellum Trajectense: in quo casis vtrimque multis haud obscuri nominis Principibus, captus etiam Adeboldus loci Præsul abducitur in Hollandiam; vbi Comitis jussu diu multumque custoditus mansit, quum propositas sibi conditiones abnuisset. Creditur ejus belli præcipua causa fuisse, quod Adeboldo instigante Frisij rebellassent. Itaque postea, vt patris necem vlcisceretur Theodericus, incensis villis, agrisque late vastatis, omnem brevi Orientalis Frisiæ regionem suæ ditionis fecit; quumq. bello victis [a] Florentium minorem filium præfeciisset, ipse victorem exercitum reduxit in Hollandiam. Hierosolymam profectus, vt Dominicum sepulcrum ex voto inviseret, in reditu mortem obiit. Corpus ejus Egmondæ illatum tumulo majorum. Prafuerat hic Theodericus Hollandiæ XLVI annis; quo defuncto, ejus vxor Vithildis ad Saxones suos reversa est.

Bellū Traiectense.

Adeboldus Episcopus captus.

[a] *Hunc Florentium, & alterū Theodericum natu maiorem, susceperat ex filia Ottonis Ducis Saxonum, cōiuge sua.*

Ex Meieri Annal. lib. II.

BAlduinus Barbatus IX Comes Flandriæ ob rem bene gestam in Lotharingia adversus rebelles donatus est ab Henrico Cæsare Valachriis cum aliis Zelandiæ insulis. Quæ quidem res origo fuit longissimæ inter Flandros atque Hollandos discordiæ ac belli, quod quadringentes prope per intervalla tenuit annos, contendentibus vsque Hollandis Zelandiam jure optimo esse suam, Donatione quadam jam inde ab Ludovico Cæsare Ludovici Pij filio profecta.

An. 1007.

Quid vitam carpis, quid prælia gesta, Viator?
Sit satis hostili me perijsse manu.
Nam quod[a] *Eburonum maculavi sanguine ludos,*
Jsta resistentis, non mea, culpa fuit.
Bella sequuta tamen: quæ nullis viribus hostis
Gessit, at internæ proditionis ope.
His cecidi moriens, illis velut ante cecîdi:
Tolle necem hanc, & tunc iudicet ipse Cato.

a *Leodij viro nobili occiso.*

THEO-

THEODERICVS IV.

COMES V.

POst defunctum patrem Theodericus quartus Comes fuit, qui Leodij, quò ludorum gratia cum multis aliis variarum regionum Principibus venerat, homicidio perpetrato trepidus aufugit. Nec sic quidem tutus. Nam alij Principes, qui eędem nobilis viri cupiebant vindicare, cum ingenti armatorum manu fugientem vsque in Hollandiam sunt insequuti. Dordraci, quam vrbem proditione occupaverant, cruento certamine dimicatum, occisis vna nocte quadringentis nobilibus. Defunctus ea pugna Theodericus, manè post solis ortum, quum animo satis otioso foris deambularet, telo in femore ictus ab hostibus, qui nocte superiore aufugerant, biduo tantum supervixit.

Ludi Leodienses.

Proditio Dordraci.

Inibique Comitis insidiosa mors.

Ex Meieri Annal. lib. III.

Theodericus IV. conjuratione Agrippinensium ac Leodiensium Dordraci occiditur Idibus Maij, 1048. *An. 1048.*

Præfectus Friſiis, Batavis Comes, vnus vtrumque
Cavi, neu ferrent, neu mihi damna darent.
Invidêre mihi a *Grudius, Leodinaque mitra*
Agrippinenſi fœdere juncta comes.
Nec mora: colligitur miles, nocitura parantur
Arma, ſed auctori perniciosa ſuo.
Scilicet vna omnes dedit & pugna abſtulit hoſtes:
Jnunc, virtutem victa ſer invidia.

a *Lambertus Comes Lovaniēſis.*

FLO-

FLORENTIVS I.

COMES VI.

QVum Theodericus sine prole decessisset, frater ejus Florentius ex Frisia in Hollandiam accersitus, Reipublicæ gubernacula suscepit. Hujus successibus externi Principes aliquot, Archiepiscopus Colonienſis, Antistes Leodinus & Lambertus Comes Lovanienſis invidentes, contraxerunt exercitū, quo novum Comitem Principatu deturbarent. Quod vbi ad Florentium permanasset, statim ex consilio senis cujusdam, quà hostem venturum credebat, factas clam noctu ingentes foveas, vt qui intendebatur dolus procederet, fœno & stramine operuit, in quas egressi hostes quum incidissent, adfuit Florentius, qui magna prius edita cęde, multos abduxit captivos, inter quos erat Comes Lovanienſis, quem postea grandi pecunia redemtum dimisit incolumem. Hæc victoria Comitis tantum abfuit vt Archiepiscopū Colonienſem deterruerit, vt non multis inde annis interjectis cum numeroso exercitu in Hollandiam sit reversus, cui effusius omnia vastanti occurrēs cum non pœnitenda suorum manu Florentius levi pugna hostem fudit. Multi in eo prælio cecidêre, reliqui capti, qui ætate, aut alia re impediti fugere non potuerunt. Fuit annus ille quo Florentius eam victoriam adeptus est humanæ salutis M LXII. Habent Annales, hunc eundem Principē non multo post superatum Archiepiscopū sub arbore quadā (currendo an pugnando dubiū est) defessum sedisse, ibiq; interemptum ab his qui superiori prælio fugerāt.

comitès hostes.

Insidiæ.

Victoria Comitis.

Victus denuo Archiepiscopus Colonienſis.

Alij (inter eos Lucas) Comitis cædem in annum 1061. incidisse volunt, 4. Kalendas Iulias.

Ex Meieri Annal. lib. III.

In Synodo Agrippinenſi data est pax a Cæsare Henrico IV. qua Balduinus Pius Comes Flandriæ terram omnem inter Schaldim & Teneram, quinque Insulas Zelandicas cum quatuor a Officiis retinuit, anno 1057.

Dum

Dum novus imperij ſucceſſor quæritur, anceps
Femineo dudum pectore pugna fuit.
Imperium ſprevit ſexus, mens alta cupivit,
Sexuque evaſit altior illa meo.
Cœpta ſecundavit bona Pax, pulſuſque repente,
Quod dederat Paci, Mars tulit exſilium.
Sic ego regnavi: nunc tu cape regna Roberte.
Quid numeras [a] *annos? reſpice pacis opus.*

[a] *Vltra biennium enim non præfuit.*

GER-

GERTRVDIS,
COMES VII.

MOrtuo Florentio, præfuit vxor ejus Gertrudris; qua [a] gubernante non invenio vſquam bellatum. Hæc vita deceſſit, edita jam ex duobus maritis [b] numeroſa prole.

Ex Meieri Annalium lib. II.

Anno 1113 obiit ſepeliturque Furnis Gertrudis, Vice-Comes Furnenſis, Balduini Securis avia, Roberti Friſij vidua.

a *Gubernavit & præfuit biennium.*

b *Nam quatuor filios & vnã filiam reliquit, Philippo Francorum Regi connubio ſociatam, nomine Bertam.*

Patre [a] *Piogenitus, Comitem quem Flandria vidit,*
Devictæ [b] *Frisiæ nomina magna gero.*
Auxi, dum licuit, [c] *pupilli regna Batavi.*
Et bene, ni gemino pulsus ab hoste forem.
At tu [d] *Leucorum Dux improbe, tuque* [e] *Sacerdos*
Traiectine time. Vim sua vis sequitur.
De me nil dico, pro me mea facta loquentur,
Vires, non animum succubuisse meum.

a *Balduino.*
b *citerioris, puta.*
c *Theoderici V, qui postea Comes.*
d *Godefridus.*
e *Vvilhelmus.*

ROBER-

ROBERTVS FRISIVS, COMES IIX.

ROBertus ſecundus Gertrudis maritus [a] Theoderici privigni ſui necdum maturi gubernaculis Tutor adſcitus, Rempublicam ſumma integritate continentiaque rexit. Pulſus tandem a Godefrido Lotharingiæ Duce, qui VVilhelmi Trajectenſis Antiſtitis opibus fretus Hollandiam per vim occupavit.

a *His Theodericus ex quatuor Gertrudis filiis natu maximus fuit, & poſtea Comes.*

Ex Meieri Annal. lib. III.

Aldenardæ indictus a Balduino Pio Flandriæ Comite optimatium conventus. Cõfectum ibi matrimonium inter Robertum Pij filium natu minorem ac Gertrudem viduam Florentij Comitis Hollandiæ. Inſtitutus Robertus Procurator Hollandiæ, ac Tutor liberorum Florentij, ex voluntate Legatorum Hollandiæ. Aſſignatæ Roberto pro ſua hæreditaria portione quinque Inſulæ Zelandicæ, VValachria, Scaldia, Zuytbevera, Nortbevera, Borſelia; Comitatus adhæc Aloſtanus cum terra quatuor Officiorum, ac grandi pecuniæ ſumma. Profectus igitur Robertus continuo in Hollandiam cum Gertrude celebravit nuptias, ſtatimque Friſiis indicto bello partem aliquantam ejus regionis ſubegit, indeque nomen ſibi Friſio peperit. *An. 1063.*

Anno 1070 cum Friſiis bellum geſſit. Citeriores Friſios ſimul [b] Kamerlandos & Alkemarchos domuit. Privignos ſuos Theodericum, Florentium, Bertam ſtrenue defenſavit.

b *Reſcribe in Meiero* Kenemerlãdos et Alckemarios.

Quid male parta meis, Hospes, regna obijcis armis?
Quid pœnam exposcis? mors mihi pœna fuit.
Respice iustitiam, victrices respice palmas,
Qua rexi Batavos, queis Frisios domui.
Respice fundatas celebres me Principe Delphos,
Mox tangent ipsis sidera verticibus.
Hæc volui te scire, Hospes: nunc i memor, & dic,
Quam bene firmavit, quæ male quæsierat!

GODE

GODEFRIDVS GIBBER,
COMES IX.

GOdefridus, quum jam videret omnia ſibi ex animi ſententia ſuccedere, factus multo elatior, bellum Friſiis intulit; quibus devictis reverſus in Hollandiam, ſubſedit Alcmariæ; novem interim hebdomadas a Friſiis obſeſſus, imploravit opem Trajectenſis Antiſtitis, qui repente ſuccurrens, multis milibus Friſiorum cæſis, Alcmariam obſidione ſolvit. Poſtea idem Godefridus (qui Gibboſus dictus, quod grandis ei pectore gibbus excreverat) condidit oppidum Delfenſe, noſtris temporibus divitiis & pietate multum inſigne. Tradunt quidam eum, quum forte ventrem exoneraret, graviter vulneratum, paucis poſt diebus animam efflaſſe, luiſſeque hoc modo pœnas [a] alieni per vim occupati imperij.

Godefridus Gibboſus conditor oppidi Delfenſis.

[a] *Nam (vt dictum eſt) expulerat eieceratque Hollandia Robertum Tutorem eius pueri, qui hares per ætatem adminiſtrare non potuit.*

Ex Meieri Annal. lib. III.

Godefridus Lotharingiæ Dux cognomento Gibberoſus auxilio Guillielmi XXI. Trajectenſis Epiſcopi invaſit Hollandiam. Reſtitit Robertus quantum maxime potuit, occurrit hoſtibus cum exercitu ad Caſtellum nomine Leidam; ſed pugna ibi commiſſa, deteriore fuit fortuna, victuſque & fugatus cum vxore & liberis profugit Gandavum; quò ad eum raptim omnis convenit Nobilitas Flandriæ Teutonicæ, durum Richildis imperium, avaritiam, ſuperbiamque muliebrem exoſa. Nam præter alia nova vectigalia, quaternos tota Flandria denarios a ſingulis exegit lectis.

Jam ſublatus erat, qui me Tutore fugato
Expulerat patrij ſedibus imperij.
Quid facerem? amiſſos virtus ſpirabat honores,
Spirantem vires deſtituêre pares.
Vicit vim virtus tamen, & te, ô perfide a *Præſes*
Trajecti, ereptas reddere juſſit opes,
Biſque rebellantes Friſios parere Leoni.
Regna dedit Calvus; reddo ego. major vter?

a *Conradus, VVilhelmi ſucceſſor.*

THEO-

THEODERICVS V.

COMES X.

GOdefrido cæso, rediit Comitatus in familiam & ad verum hæredem Theodericum hujus nominis quintum; qui administrationem adeptus, pro magno habuit negotio recuperare patriam hæreditatem; cujus gratia Conrado Trajectensium Antistiti bellum indictum, exercitus conflatus: Mirum dictu, qua cupiditate recuperandæ hæreditatis per vim adeptæ, quanta sit alacritate & impetu hostem aggressus: qua quidem re factum, vt territus Antistes, ac veritus ne illud malum plus nimio invalesceret, deditionem fecerit. Itaque pax facta, & quicquid antea vi armisque Conradus Theoderico adhuc puero ademerat redditum. Ortum interea novum a finitimis bellum, Frisiis novo Comiti rebellantibus; contra quos per concretas frigoribus aquas (jam enim brumæ tempus erat) profectus Theodericus, modico negotio eorum aciem disiecit, cæsis in eo certamine quatuor Frisiorum milibus. Tantum abfuit, vt ea clade accepta quieverint, vt eodem tempore contracto alio exercitu eduxerint contra Theodericum; qua rebellione vehementer commotus redijt ille, estque eo die atroci concursu tanta Frisiorum strage pugnatum, vt nullius neque sexus, neque ætatis respectus sit habitus. Plures etiam villæ atque pagi incensi. Stauria tribus hebdomadibus circumsessa, tandem his conditionibus rebellionis veniam impetravit, vt deditione facta certam pecuniæ quantitatem Theoderico daret. Hunc in modum subactis Frisiis, pax composita, perpetuumque obsequium Hollandiæ Comiti promissum. Hic Theodericus vita defunctus est quum præfuisset annis quinque & viginti.

Bellum indictum Episcopo Trajectensi.

Pax inter Episcopum & Comitē.

Bellum Frisicum.

Cæduntur Frisii.

Iterum cæsi Frisii.

Stauriæ obsidio.

Dar-

Dardania virtute pater sibi regna paravit,
Parta ego servavi, qua dedit ille, fide.
Differimus tamen hoc: quod Mars gratissimus illi,
Pax fuit in cunctos officiosa mihi.
His fortunatus Princeps successibus omnes
Justitia colui, relligione Deum.
Sic ego, dum vixi, nulli gravis, omnibus una
Morte fui: sed nunc utraque vita nova est.

FLORENTIVS II. PINGVIS, COMES XI.

THeoderici V. filius Florentius deinde imperat, vir excelsa statura, crasso corpore, pacis quam belli amantior. Egenos hic & pauperes (quod magnū justitiæ opus est) aluit, tuduitq. toto Principatu[a] omnibus prodesse, nocere nemini. Hoc modo vivendo, omnes qui ante eum fuere Comites virtute ac sanctitate antecelluit. Mortuus postquam annis duobus & viginti in summa pace & otio Hollandiam rexerat.

Florentius pacis amator.

Florentius optimus Princeps.

a *Nunc contra faciunt Principes, quorum unum studium est, assiduis exactionibus populo ad egestatis terminos redacto, sum ararium locupletare.*

Ex Meieri Annal. lib. IV.

Anno 1096 repetit Henricus IV. Cæsar a Roberto Comite Flandriæ Alostanos, quatuor Officia, Arcem Gandensem, & Insulas Zelandicas: verùm Roberto sua fortiter defendente, Henricus cogitur incœpto desistere.

Ex eodem.

Anno 1108 Hollandi fœdere cum Henrico V. Cæsare icto Zelandicas Insulas a Roberto repetunt.

Quanta latent regnis discrimina! vix pater urna
Conderis, en, bellum qui ciet, hostis adest.
Hostis adest[a] *Frisius. dumque hic cadit, ecce repente*
Traiecti[b] *Præses ad nova bella venit.*
Teque capit Lævir victum, & me destinat Orco,
Si eripiam. O facinus! vim facit, & prohibet.
Cedo tamen. quid tum? me postera sæcula bellis
Invictum, victum hac relligione ferent.

a *Duce Florentio Nigro, fratre.*
b *Heribertus.*

THEO-

THEODERICVS VI.
COMES XII.

FVit inde Comes Theodericus, superioris Florentij filius natu major; qui subita defectione rebellantes Frisios domuit, adque obsequium retraxit. Sed non diu illi in officio manserunt. Nam paulo post Florentio Nigro, quē in Theodericum fratrem animo infenso esse non ignorabant, socia arma jungentes, hostiliter in agrum Hollandicum incursione facta, Alcmariam incenderunt; exarsissetque multo latius id incendium, nisi repente certior factus Theodericus hostē retrò abire coëgisset. Haud multo post, quum allatum esset vxoris ejus fratrem a Frisiis captum; exercitum a Trajectensium Antistite superatum, Trajectum profectus hostiliter eam vrbem circumsedit, eratque omnifariam mox instrumentis oppugnaturus, nisi cum vniverso clero Heribertus Antistes Pontificio habitu vrbem egressus, vt anathemate Comitem notaret, militem compressisset. Commentarij, quos sequimur, tradunt ipsum quoque Theodericum ad Antistitis pedes iacentem anathematis fulmen suppliciter deprecatum. Supplici ignotum, vrbsque obsidione liberata. Huius Theoderici temporibus Trajecti, nescio quo casu, ortum incendium, cujus adeo flamma invaluit, vt præcipua vrbis templa, non pœnitendis adornata imaginibus, arserint. Miraculi loco habitum, quod in tanta pulcherrimæ vrbis conflagratione Ædem Salvatori dicatam ignis non attigit. Quidam scribunt hujus Theoderici temporibus in Galliis tanta laboratū siccitate, vt fontes, putei, lacus, fluvij omnes exaruerint, ac veluti rimis fatiscente terra flammeus quidem eruperit ignis, qui perpetuum biennium duravit.

Theodericus Comes Frisios comescit.

Alcmaria incensa a Frisiis.

Obsidio Traiecti.

Traiecti ortum incendium.

Quid peregrinum, Hoſpes, miraris in vrbe [a] *Seleuci*
Funus, & ignoto marmora ſculpta ſolo?
Deſine: nam latet hoc Florentius aggere, virtus
Quem ſua Memnonias vexit ad vſque plagas.
Qui Sarraceno redijt bis victor ab hoſte,
Qui pacem extorſit ſupplicibus Friſiis.
Invidit Batavos illi tamen, ecce, triumphos
Mors, nè victa foret, Mars quia victus erat.

[a] *Antiochiæ enim ſepultus hic Comes.*

FLORENTIVS III.

COMES XIII.

THeodericus, cujus modo res geſtas perſtrinximus, filium reliquit Florentium; qui poſtea factus Comes, matrimonio junxit filiam Regis Scotiæ, quam a Viboldio Abbate Egmondenſi, viro multa ſanctitate prædito, in Hollandiæ portum advectam incredibili apparatu lætitiaque excepit. Hunc & Godefridum Trajectenſium Antiſtitem, de Friſiæ imperio contendentes, in gratiam reduxit Fredericus Imperator, qui ſedandæ altercationis gratia id temporis in Hollandiam deſcenderat. Contigit paucis poſt menſibus, vt, Florentio Comite majoribus curis occupato, Friſii in Hollandiæ agrum egreſſi Alcmariam iterum incenderint; qua re commotus Florentius, educto exercitu, cum Friſiorum gente conflixit. Victi Friſii, non paucis argenti modiis pacem redemerunt. Eſtque deinde Florentius cum pleriſque aliis illuſtribus viris Hieroſolymam profectus. Quibus omnibus quum vna eſſet ſuſceptæ peregrinationis ratio, vt Saracenos, qui Terram Sanctam invaſerant, Divino freti auxilio ejicerent, bis cum ea gente dimicaverunt, ac primo prælio interfectorum armis adiuti, altero ita fœdè hoſtem afflixerunt, vt in ea pugna vndecim Saracenorum milia ceciderint. Spolia ampla relata. Tamque ſingularis victoriæ auctori Deo actæ gratiæ. Si ſatis diligenter & integra veritate compoſiti Annales, periit Florentius in Antiochia.

Filia Regis Scotiæ data Florentio Comiti.

Viboldius Abbas Egmondenſis.

Fredericus Imperator venit in Hollandiã.

Alcmaria iterum incenſa a Friſiis.

Florentij Comitis peregrinatio Hieroſolymitana.

Saracenorũ cædes.

Comes Florentius in Antiochia mortuus.

Quantus amor regni! vix patria ſceptra capeſſo,
En contra fratrem [a] *frater ad arma venit.*
Mox Traiectinæ tueor dum Sedis honorem,
Impedit Otto meum: ne bene cedat, opus.
Perfeci tamen: hinc capta Sylva-Ducis, vno
Invictus, [b] *gemino neſcius hoſte premor.*
Sic pace Antiſtes, ſic bello ſtrennuus Heros,
Si quis rite fuit, ſolus vtrumque fui.

a *Guliel-mus.*

b *Ducibus Lotharingiæ & Brabantiæ.*

THEO-

THEODERICVS VII.
COMES XIV.

THeodericus septimus patri Florentio in Antiochia defuncto surrogatur; qui Comitatum adeptus, cum Guilielmo fratre suo in Zelandia satis atrocitrer conflixit. Verum non multo post, Balduinus Trajectensium Antistes & Theodericus Archidiaconus concordiæ auctores fuêre, hac conditione, vt Guilielmus Theoderico majori natu Comitatum Hollandiæ cedens, in Frisia Orientali Rempublicam administraret, & quotannis ex Geervlietensi teloneo trecentarum librarum (vt vocant) reditum acciperet. Desijt postea in humanis agere Balduinus Antistes, a cujus obitu Theodericus Hollandiæ Comes Sedis Trajectinæ (de qua electis duobus contendebatur) factus est Tutor, cui summa fide res Ecclesię curare nitenti obstitit Geldriæ Concilium: estque ob id cum ea gente dimicatum. Postquam hic motus resedit, Comes Theodericus cum exercitu Brabantiam ingressus Buscum-ducis vi cepit; eratque nobiles inde viros aliquot in Hollandiam abducturus, nisi subitus Lotharingiæ Ducis adventus omnia mutasset. Nam cæsis illic in magno numero Hollandis, Dux ipse captus non potuit prius in suum Comitatum redire, quam omne damnum, quod Buscoducensibus intulerat, æqua æstimatione persolvisset. Idem quum annos tredecim rexisset, & morbo gravi non longè a Dordraco premeretur, multum angebatur Gulielmi fratris absentia, quem Adæ filiæ adolescentulæ admodum, & immatura adhuc ætate ad imperandum, relinquere Tutorem cupiebat. hisque impiicitus curis moritur, omnibus magnum sui desiderium relinquens.

Mors Balduini Traiectensis Episcopi.

Theodericus Comes Tutor Episcopij Traiectensis.

s'Hertoghenbosch captum.

Nec

Nec sexus mihi, nec fuit ætas apta regendi,
Iura tamen Batavis, vt pater ante, dedi.
Quam bene, fœminei taceo memor ipsa pudoris,
Posteritas, vitæ conscia, testis erit:
Bellaque cum Ducibus vicinis gesta loquetur,
Dum nostrum infestant, ô a Ludovice, thorum.
Fœmina quid possit, cerne Hospes. Nupta b *Roberto*
Pacis opus dederat, nunc tibi Martis habe.

a Comes Lossensis.

b Gertrudis.

ADA

ADA, THEODERICI VII. FILIA, COMES XV.

ADa superioris Theoderici filia, mortuo patre, nupsit illustri viro Ludovico Comiti Lossensi. Cui quum tantum conjugium a finitimis quibusdam Principibus invideretur, magni bellorum motus in Hollandia orti, vix tandem post multam cædem resederunt. *Ludovicus Comes Lossensis Hollandicam turbas.*

Et [a] *Frisiam, & Batavos rexi Comes æquus habenas:*
Contentus gemino non tamen imperio,
Regna etiam Scotiæ petij trans æquora vectus,
Debita quæ patrij fœdere [b] *conjugij.*
Quin Trajectinis persolvi mille talenta,
Pacis ut hinc, palmæ certior inde forem.
Sed [c] *Ludovicus obest: dumque hic mihi vincitur, atra*
Mors subijt: victor sic ego in astra feror.

a Orientalē intellige.

b Rex enim Molgtolinus sive Malcolmus eius avunculus

c Comes Lossensis.

GVLIEL-

GVILIELMVS I.
COMES XVI.

GVlielmus Orientalis Frisiæ Comes Adæ [a] neptis gubernationē excepit. Ab hoc inimicorum arces aliquot eversæ. Incensum a Trajectensibus Dordracum hujus Principatu. Causam vastationis ejus non invenio. Pax tandem inter Hollandos & populum Trajectensem ita composita est, vt Comes Gulielmus, qui prius multo majore incommodo Trajectenses affecerat, mille talentûm (facit nummi nostratis sexcenta millia aureorum) Antistiti persolveret. Hic [b] Molgtolini avunculi sui, Scotorum Regis, audita morte per quam Regnum lege ad se redîsse putabat, classem contraxit, qua Scotiam ingressus, multa oppida expugnavit: sed quum a Ludovico Lossensi Comite Hollandiam igni ferroque vastari accepisset, ne certum & jam acquisitum Comitatum pro incerto Regno amitteret, domum reductis navibus, Ludovicum adortus est, qui Hollandiæ agros latissime populabatur. Obiit mortem hic Gulielmus anno initæ apud Hollandos gubernationis vndevigesimo, in Frisia Orientali sexto & vigesimo.

[a] *Nam frater erat superioris Theoderici, & Adæ filia sine prole decesserat.*

[b] Malcolmi *alij.*

Quin pergis? satis est, nomen si videris, Hospes:
Nam mea, si quæras, quilibet acta canet.
Aut qui tercentum me navibus æquor arantem
Oceani rector vidit, & ingemuit:
Aut qui tum cæsos duce me meminere Statingos,
Turbantes nostræ relligionis opus.
Hæc mea facta: necem narrarem nunc quoque: sed vel
Non perij, vel mox reddita vita mihi est.

FLORENTIVS IV.
COMES XVII.

Fllius ejus [a] Florentius hujus nominis quartus fit inde Comes, peritia dimicandi nulli ſuperiorum Principum ſecundus. Magnitudine rerum geſtarum hujus viri accenſa Claromontenſis Comitis vxor maritum oravit, vt ludos militares ex induſtria pararet; rata futurum vt Florentius ſtudio dimicandi cum ſuis accurreret. Conſtituitur certamini dies. Ad quem diem quum & Florentius, cujus vnius gratia factus erat ille apparatus, veniſſet, lęta mulier conſcendit partem domus ſuperiorem, vt ex editiore feneſtra dimicantem proſpectaret; cujus virtutem ipſa quum ſubinde laudibus ferret, ſuſpicans maritus adductum ſibi ante oculos tori inſidiatorem, contractis clam armatis in locum certaminis deſcendit, omniſque rei ignarum Florentium obtruncat. Obtruncati corpus ad Rhenoburgenſe Cœnobium deportatum, ibi loci magnificè ſepelierunt Almaniæ Proceres. Periit autem hic Florentius viridi adhuc ætate, quum annis duodecim Hollandiæ præfuiſſet.

[a] *Ex priore coniuge ſuſceptus, duas enim duxerat.*

Ex Meieri Annal. lib. VIII.

Anno 1233, incitante Gregorio IX, ductæ ſunt terra marique copiæ in genus quoddam Hæreticorum, qui Statingi vocabantur, Bremenſibus contributi. Ii primùm viriliter ſe defenderũt, verùm numero ſimul & viribus impares, partim interfecti ſunt, partim in ſilvas & invias paludes ſe abdiderũt. Ejus expeditionis capita exſtitiſſe lego Henricum Brabantiæ Ducis filium, cui ſumma rerum erat concredita, cum eo Florentium Comitem Hollandiæ, cum Comite Cliviano, &c. Trecentas Hollandi naves ad id bellum miſiſſe feruntur. An. 1233

Ex Meieri Annal. lib. IX.

An. 1278.

Partus mirabilis.

Anno 1278 obiit Mathildis filia Florentij Comitis Hollandiæ, ea quæ vno partu liberos peperit CCC LXV ; qui omnes ab Othone Episcopo Trajectensi sacris abluti sunt fontibus in pelvi simul jacentes, ac deinde obierunt. Hoc Mathildi accidisse putatur, ideo quod pauperculæ cuidam mulieri geminos exprobrasset perinde atque adulteræ, quæ cónscia pudicitiæ suæ : Oro (inquit) Deum, vt tot pariat ipsa quot dies continet annus. Erat autem Mathildis vxor Comitis Hennebergensis (Hermanni,) mater illi Mathildis filia Ducis Brabantiæ Henrici, frater Gulielmus is Hollandiæ Comes qui ad Imperij apicem electus est contra Fredericum II. Sepulta est apud Losdunum in Monasterio a matre fundato. Errant, qui eam Margaretam Comitem Hollandiæ vocant, eumque partum anno 1314 asscribunt.

De partu hoc prodigioso ita Junius noster Bataviæ Cap. XX.

LOsdunum duobus passuum millibus ab Haga-Comitis dissidet, a collibus quos inter habitatur nomen adeptum, Bernardi institutum sequitur, a Mathilde constructum. vbi ostenditur inter alia monumentum Margaretæ Principis fœminæ, quę Florentij IV Comitis è Mathilde jam dicta vxore filia, Comiti Hennebergensi nupta, vno pauciores quã annus vertens dies habet liberos partu portentoso edidisse memorur: quæ res, vt compendio absolvam, ad hunc habet modũ. Pauperculam gemellos enixam, & pendentes vtrinque ab vberibus lactantem, quę Comitis vxori se fortè obtulerat stipem flagitans, probro in: esseba: ipsa Princeps, & adulterio concepisse incestam prolem aiebat ; fieri enim posse, vt vno ex marito bina stirps nasceretur, pernegabat. Illa pudicitię in-

teme-

temeratæ Deum teſtem citans, imprecatur illi ſobolem quæ numerum ſolidi anni dierum æquet, ſi pudicitiæ ſuæ conſtaret honos. precum efficaciam comprobaſſe eventi fides dicitur, partu incredibili, niſi publici monumenti auctoritatem convellere, fidemque tabulæ ad teſtandam ſempiternam rei memoriam poſitę diſſolvere nefas putarem. Epigraphen non abs re fuerit hoc loco adſcribere, ſervata ejus ſæculi lexi, vt Salioram & Carmentæ obſoleta verba religiosè retinenda duxit antiquitas, & conſervanda, ne fides periclitetur.

Illuſtris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guglielmum Alemanniæ Regem: hæc præfata Domina Margareta, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor; qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Dominum Guidonem Suffraganeum præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus in pelvi quadam baptiſmi ſacramentum percepiſſent, & maſculis Ioannes, fœmellis vero nomẽ Heliſabeth impoſitum fuiſſet, ipſorum omnium ſimul cum matris animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.

Exemplum numeroſi partus.

Conſimilis exempli in partu numeroſo obſervati fides, (ne quid Dei potentiæ derogetur) adnotata legitur ab Annalium Brunſvicenſium ſcriptore: conſentientibus Alberto Crantzio in Vandalicæ hiſtoriæ commentariis, & Erneſto Anhaltinorum Principum hiſtoriographo: quorum conſenſus teſtatur, triceſimo ſeptimo poſt prædictum prodigium anno, Margaretam huic de qua loquimur cognominem, Holſteinij Comitis conjugem, totidem capitum ſobolem maturo partu enixam edidiſſe, in quo fœtus omnes humanam manifeſtè

ſtè ſpeciem repræſentantes, in baptiſterio ſalutari vndâ abluti fuerint. Porrò Ariſtarchi cujuſpiam miniatas ceras depoſcere videtur, id quod Ioannes Cuſpinianus (qui Cæſarum vitas diligenter annotavit, ſcripſitque) a noſtris Annalibus non parum evarians, Mechtildem, ſororem Guilelmi Cæſaris, Comitem Hennebergenſem, nominat hanc ipſam quam nos filiæ puerperæ matrem diximus. Quam (vt ipſe numerũ init) trecentos quinquaginta fœtus vno partu, fidem omnem ſuperante miraculo, excluſiſſe prædicat, ab Othone avunculo Trajectino Præſule in pelvis labro baptiſmo tinctos. Nos tabulę penſilis, quę in Loſdunenſi fano memorię conſecrata eſt, fidem ſequimur: quam eo libentius hîc inſeruimus, quod animadvertam non piguiſſe clariſſimos viros, Eraſmum & Ludovicum Vivem, auctoritatẽ rei geſtę monumentis ſcriptorum publicè teſtatam ad poſteros trãſmittere. Extatque hodie ſupra VVorcomium cis Moſę ripam Arx ejuſdem memorię teſtis, Puerorum cognomine nuncupata; quæ totidem, quot fuerunt capita, feneſtras olim oſtentabat, nunc Roſſemiæ familiæ propria.

Arx puerorum.

Hæc vir clariſſ. Hadrianus Iunius, cui continit Ludovicus Guiciardinus in Deſcriptione Galliæ Belgicæ. Verum hodie Tabula illa aliter legitur, ad hunc videlicet modum.

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum,
Quale nec a mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo ſtupefactus Lector abibis.

MArgareta Hermanni Comitis Hennenbergię vxor, quarti Florentij Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperij, atque Aleitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cujus patruus Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem Illuſtriſſi-

ſtriſſima Comitiſſa annos quadraginta duos circiter nata, ipſo die Paraſceves, nonam circiter horam, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, trecentos ſexaginta quinque enixa eſt pueros, qui priùs a Guidone Suffraganeo Traiectenſi omnes in duobus ex ære pelvibus baptiſati ſunt; quorum maſculi quotquot erant Ioannes, puellæ autem Eliſabethæ vocatæ ſunt; qui ſimul omnes cum matre vno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lauſdunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex vno partu gemellos in vlnis geſtabat pueros, quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, Id per vnum virum fieri non poſſe, ipſamque contumeliosè rejecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata, ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex vno partu ipſi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur; quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita factum eſt; ſicuti hic in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis tam manuſcriptis quam typis excuſis Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter maximus hac de re ſuſcipiendus, honorandus, ac laudibus extollendus in ſempiterna ſecula, Amen.

Quis credat? Batavis prima florente juventa
Princeps, & tibi Rex, maxima Roma, fui.
Mox civile Forum dirimendis litibus Hagam
Inſtitui, pacis non leve præſidium.
Inde rebellantes uno certamine Flandros
Aut ſtravi, aut miſi, ſed ſine veſte, domum.
Poſt victor, Friſios repetens, cado. Quid gemis, Hoſpes?
Inſanis, ni optes ſic quoque poſſe mori.

Curia Hollandiæ & Zelandiæ, Hagæ-Comitis.

GVLIEL-

GVLIELMVS II.

COMES XLIX.

OCciſo Florentio, Gulielmus filius ejus nondum maturus adminiſtrationi erat, ſex tantum natus annos: tamen ei Comitatus Hollandiæ ad puberem ætatem incolumis manſit Tutelâ patrui Ottonis, Trajectenſium Antiſtitis. Hic Gulielmus, armorum quam auri multo ſtudioſior, imberbis adhuc, & vix dum annum agens viceſimum, Romanorum Rex eligitur. cui inde Leodium per Antiſtitem loci conſanguineum ſuum perducto vniverſus clerus extra vrbem officij cauſa obviam proceſſit. Eodem ferè tempore apud Trevirorum Archiepiſcopum pluribus diebus commoratus, redijt poſtea in Hollandiam. Inſtituitque non longe ab oppido Delfenſi Concilium, ad quod Hollandi Zelandique ſuas cauſas deferrent. Locus dicitur Haga Comitis. Idem Princeps nunciis & literis certior factus Margaretam Nigram, quæ per id tempus Flandriæ præerat, exercitum conflaſſe ad expugnãdam diripiendamque VValachriam Zelandiæ inſulam, Florentium fratrem cum armata juventute eò miſit, vt Flandros ab injuria arceret. Accidit fortè, vt non longè a Middelburgo, nobili Zelandiæ emporio, duo exercitus inter ſe concurrerint. Fuit ea pugna Flandris tam cruenta, vt latiſſimè ſeſe in Middelburgenſem agrum ſanguis effuderit. Quod quum Gulielmus Rex audiviſſet, Flandros memorabili clade affectos, navigans veſtigio in Zelandiam, ſuppliciter accurrentibus Flandrorum reliquiis pro innata ſibi clementia veniam dedit; quumque omnes detractis veſtibus nudos remiſiſſet, ne a tanta illa clade reverſi ludibrio ſuis eſſent, ex virentibus oviſis ſubligacula ſibi feciſſe traduntur. In hunc modum ſuperatis Flandris, Gulielmus ab Innocentio Pont. Max. in Italiam accerſitus [a] Ianuæ Cæſarea accepit inſignia. Inde profectus

Comes Gulielmus Rex Romanorum electus.

Concilium in Haga Comitis.

Caduntur inſigni ſtrage Flandri.

a Legitur in Cõmentariis Rerum Hollãdiæ, hunc Gulielmum per id tempus duodecim duntaxat aſſumtis vix co-

mitibus, furtim venisse in Italiam, atque ita habita peregrini plerisque lustratis oppidis Ianue ab Innocētio Pont. Max. nullo non honoris genere exceptus Corona Imperij ab eodē donatur. Sed errare eos censet Meierus. Vide infra pag. 49.

fectus in vlteriorem Almaniam, vbi per omnia oppida, pagos, & arces maximis est honoribus cohonestatus, exsilientibus vndique ad Regis adventū plurimis. Interea certior factus Frisiorum rebellione turbari Hollandię otia, cum ingenti armatorum manu reversus, cum hoste bis conflixit. semel primo adventu; estque tunc Regiis viribus Frisiorum miles subactus. item post v. Kal. Febr. quum omnia diuturnum gelu pervia fecisset, Frisiam iterum ingressus, ante initum prælium occiditur, novem & viginti annis in publica administratione completis. Sunt qui scribant, multo prius a nescio qua Vate prædictum, fore vt armis Frisiorum victus occumberet.

Ex Meieri Annal. lib. VIII.

Anno 1241, Sub idem tempus V Vasiani, (die van't Land vā Waes) qui hactenus fere sub Imperatoribus Romanis ac Hollandiæ Comitibus sine certa lege vixerant, leges suas (quam a Choram vulgo vocant) a Flandris Comitibus acceperunt.

Ex ejusdem lib. IX.

Anno 1246 Iohannes Avennien sis, subnixus ope Gulielmi Comitis Hollandiæ, cujus duxerat sororem in matrimonium, matri suæ Margaretæ (Flandriæ Comiti) bellum indixit; ideo, quod Gulielmo Dampetræ posteriori thori primigenio Flandriam post se destinaret, quam jure optimo sibi debitam contendebat. Hac ex re maxima oborta rerū omnium perturbatio. Erat Avennien sis strennuus, audax, florentissimusque juvenis, omnesque prope optimates Hannoniæ suæ habuit causæ studiosos. In Flandris item inter nobiliarem sermo hac de re opinioque multiplex ac varia agitabatur, donec Divi Regis Ludovici Odonisque Cardinalis Romani Pontificis Legati arbitrio vtraque pars consentientibus animis controversiam omnem decidendam permitteret; qui post maturum consilium pronunciaverunt, vt mor-

a Keure.

te-

te Margaritæ Dampetra Flandriam, Avennienſis adiret Hannoniam, ſuiſque vterque fratribus juxta conſuetudinem per ſortem bonorũ provideret. His ita peractis, Gulielmus Princeps cum multis ex Flandrica nobilitate nomen dedit in Sacram militiam, primo quoque tempore Regem in Aſiam ſequuturus. Margareta autem inſignia Gulielmi mariti Flandricis inſeruit, Hannoniæque inſignia reliquit.

Ex eodem.

Anno 1246, eodem tempore in Concilio Lugdunenſi a- *An. 1246.*
gente Innocentio IV, Friderico Cæſari jus Imperij eſt abrogatum, vacavitque dehinc Imperii ſolium duodetriginta per annos; quamquam eodem anno Henricus Turingus, ac dehinc Gulielmus Hollandus contra Fridericum eligerentur.

Ex eodem.

Anno 1247, defuncto Comite Turingię, mox inter im- *An. 1247.*
placabiles Friderici Auguſti cum Romano Pontifice diſcordias adſumitur ad rerum apicem Gulielmus Comes Hollandiæ, vir ſtennuus ac plane militaris. Quamquam neque hic neque Turingus in juſto legitimoque Auguſtorum catalogo numeretur. In Chronicis Maguncienſibus proditum eſt, Hollandum tantummodo electum fuiſſe ab Archiepiſcopis Maguncienſi & Agrippinenſi.

Ex eodem.

Anno 1248, Gulielmus Hollandus (quem diximus Cæſarem deſignatũ,) opum ſuarum quærens firmamentum duxit vxorem filiam Othonis Ducis Brunovicenſis. Aquas Grani vrbem Fridericico devinctam ſub Kal. Maias obſedit: quam coëgit tandem ad deditionem, redimituſque eſt ibi de more prima Imperiali tiara, die primo Kal. Novemb.

Hujus affinitate auxilioque fretus Iohannes Avennienſis *An. 1248.*
ſpiritus ſuſtulit, auſuſque matri rebellionem facere, pertæſus longam ejus vitam; Hannoniamque primùm invaſit, ſeque-

eo nomine Henrico Episcopo Leodiensi jurejurando devinxit. Dehinc nactus Divi Regis Gulielmiq. fratris absentiam, auxiliante Hollando, Aloſtanos, VVasios, quatuor Officia, Teneremundanos, Geromontanos fœde populabatur, atque incendit; causatus Flandricum Dominatum, ac quidquid beneficio Imperij teneretur, non esse cognitionis Regis Francici, eò quod, vt intendebat, non esset corporis Flandrici. Coactis Flandri copiis ad Arteveldam, Birfletum, & Hulstum consederunt, vbi aliquot ex suis amiserunt, congressi subinde cum Avennien si, qui cum Comite Hollandiæ terra marique Ruplemondã obsedebat. Margareta cognitis hostium viribus in conditiones descendit, pacem a filio redemit, sexaginta aureorum millia Avennien si numeravit. Ita hostes vtcunque placati Aloſtanis reliquisque Imperialibus vna cum Insulis Zelandiæ cesserunt; fassi etiam Cameracēses, Alluates, Cambresiamque ad corporis Flandrici pertinere vnitatem. Missus hujus concordiæ obses in Flandriam Florentius; frater Regis Gulielmi.

Ex eodem.

An. 1252. Anno 1252 Gulielmus Cæsar magnus inimicus domus Flandricæ Margaretam Comitem Flandriæ terris Imperialibus privavit, propterea quod fidem Cæsari non præstitisset, illasque Ioanni Avennio attribuit: Terram, inquit, de Namurco cum suis appendicibus, terram juxta Scaldem, terram Aloſtensem, terram de VVasia, terram IV Officiorum cum omnibus appendicibus sororio nostro nobili viro Ioanni Avennio, vt eadem Comitissa in Fœdum tenuit, concessimus, a nobis & Imperio perpetuo possidendas; quarum terrarum homines & habitatores eidem Ioanni obedire volumus & præcipimus. Datum Francofordiæ, V. Idus Iul. Anno MCCLII. Regni nostri anno IV.

An. 1253. Idem Avennium in Hannoniam, vnde a matre depulsus fuerat,

fuerat, restituit anno 1253. Margareta, vt occupatos ab hoste recuperaret Dominatus, grandem ex Flandria Atrebatesioque conflatum exercitum cum duobus filiis misit in Zelandiam. Sunt auctores, agente Duce Brabantiæ Henrico, indictum fuisse Andoverpiæ de rebus componendis cõventum, eaque de causa factas aliquot dierum inducias, quas Margareta fregerit, sperans inopinatos Florentium Hollandum ac Lupum Clivianum Cæsareos Duces profligare. Vtcumque sit, Flandris ea expeditio opido quam infeliciter cecidit. Nam acerrime ab Hollandis in insidiis locatis excepti, atroci prælio victi sunt, ac fœda occidione ad magnum numerum cæsi. Capti Principis filij Guido, Ioannesq. cum Comitibus Theobaldo Barrensi ac Godofredo Ghisnensi, cum aliis CC XXX (vt Iacobus Guisianus tradit) Equestris ordinis viris, tota classe cum omni instrumento bellico amissa. Hæc in VValachria ad VVestcapellam IV Nonas Iulias. Retulêre quidam in literas ad [a] triginta vel hoc amplius hominũ millia hîc ex nostris occubuisse. Misit Margareta Valterum Tornacensium ac Rodolphum Morinorum Episcopos vnà cum Philippo Decano D. Donatiani Brugensis ad Cæsarem de redimẽdis liberis in Hollandiam. at ille adiri se non est passus, sed statim in Vangiones se contulit. Legati magna diligentia insecuti, post longam exspectationem tandem hoc accepere responsi: Quandoquidem multis modis Margareta perduellionis esset rea, quòd se Cæsari devincere abnuisset, quòd tridui inducias per Ducem Brabantum pactas violasset, primùm omnium sese purgatam redderet, Cæsareæque Majestati satisfaceret; hinc de liberorum redemtione ageret. Hoc per Hugonem Spiranum Imperij Cancellarium ac Cononem Magunciacensem Pontifices accepto responso, domum reverterunt. Margareta tali responso nihiladmodum permota, res omnes adversas inconcusso invictoque pertulit animo, nec vltrà dignata ad Cæsarem mittere, nihil nisi de bello reparando

[a] Quinquaginta; *Cuspinianus in Cæs.*

parando cogitavit; magnamq. ſpem in Divo Rege Ludovico, cujus jam ex Syria nunciabatur reditus, poſuit.

An. 1254. Anno 1254 miſſa eſt rurſum Legatio in Germaniam ad Gulielmum Regem de Guidone ac Ioanne cæteriſque Nobilibus captivis liberandis, non ab Margareta, ſed nomine Regis Ludovici ac quinque civitatum Flandriæ. Propoſitæ ab Hollando hæ conditiones: Fateretur Margareta Cæſarcam ſe imminuiſſe Majeſtatē; cederent Flandricæ civitates, vel reclamante Margareta, Comiti Hollandiæ in perpetuū VValachriam; Guido ac Ioannes ejus frater cederent æternum fratri ſuo Ioanni Avennienſi Dominatus Imperiales ſitos inter Flandriam & Hannoniam, juxta placita Conventus Francofordiani. Ad hæc approbarent Pacem ab Ludovico Rege Odoneque Cardinale Rom. Pont. Legato antea factam. Numerarent iidem pro ſui dumtaxat redemtione ducenta millia florenorum iuſti ponderis. Hæc vbi domum renunciaſſent Legati, Margareta celebri Procerum conventu: Viri fortes, (inquit) Guidoni filio Flandriam poſt me aſſigno poſſidendam: Veſtram obteſtor fidem, vti eam adverſus hoſtem noſtrum Hollandum meoſq. filios Avennienſes ſtrenue defendatis. Quòd ſi forte Guido in cuſtodia Hollandica moriatur, filium ejus natu maximum Flandriæ Comitem ſalutabitis. His ita conſtitutis, ad Ludovicum Regem proficiſcitur petitum eius opem, qui tum egit Pariſiis apud Fanum Germani in Laya. Non continuo promiſſa illi auxilia, propterea quod contra placita Pacis anni 25, cauſa Ferdinandi Comitis factæ, feciſſe videretur. Muniverat Arcem Ruplemondam adverſus Hollandum. Dictum erat, ne quam tota Flandria Arcem Comites reſtituerēt fundarentve abſq. Regis conſenſu. Ipſa Ruplemondam licet Cis-Scaldanam non in Regno ſed in Imperio ſitam eſſe contendebat, atque ita vetere ritu fuiſſe obſervatum. Attamen poſt longam cum Margareta diſceptationē, decreta illi ampliſſima contra Hollandum

landum auxilia, Carolo Regis fratri demandata provincia, sub hac conditione, vt dissolveret Margareta omnes belli impensas, Hannoniamque, dum ipsa viveret, Carolo possidendam traderet, quæ morte ipsius ad Ioannem Avennien sem rediret. Venêre cum Carolo Duces Burgundus, Lotharingus Comites Alenconius, Borbonius, Stãpanus, Sabaudus, Campanus, Altisiodorensis, alijq. Nobiles permulti cum firmissimo exercitu. Compendium omnes conveniunt, ibi copię recensentur. Indictũ Hollando bellum. Datus dono ab Hollando Fœcialibus qui bellum indixere torques aureus Guidoni captivo detractus. Ascana planities in cõfinio Brabantiæ certo die pugnæ constituta. Recepta ante omnia Ruplemonda. Exercitum deinde Carolus Margaretaque duxerunt in Hannoniam. Valentianæ, Castrilocus, Senogiæ, Binchium, Melbodium, Beaumontium, Atha, ac reliqua omnia oppida recuperata, excepto Bochano, cui parcitum est eò quod tum ibi Alisa Ioannis Avennij vxor jaceret puerpera, & Angia virtute Galteri Angiani defensa. Hollandus Avenniusq. cum copiis haud contemnendis Valentianas recipere tentarunt, sed mox rejecti sunt, ac tota Hannonia expulsi.

Anno 1255, post Caroli ex Hannonia discessum, Valentianas Cęsar recepit, cæteris oppidis in fide manentibus Margaretæ. Ludovicus Rex ad Kal. Novemb. Gandavũ venit ad redimendos de Cæsare Margaretæ liberos, sed re infecta Gandavo decessit. Et paulo post Guielmus Cæsar (quò fata trahebant) in Frisiam proficiscitur, vt bello eam gentem quateret; sed victus ibi est, & occisus sub Kal. Febr. Refert Albertus Crantz, ne hodie quidem constare vbi corpus sit tumulatũ. *An. 1256.*

Errare eos puto, qui hunc tradunt Genuæ ab Innocentio IV accepisse Cæsarea insignia.

Clade Gulielmi adeo fractus est Ioannes Ayennius, vt ex mœrore animi morbo contracto finem vivendi fecerit IX. Ianuar. anno 1257. Sepultus Valentianis.

Quid mihi bis mortem [a] *facinus moliris ob vnum*
Posteritas? semel ab sit periisse satis.
Quin me quin potius cum Flandris bella gerentem,
Aut mea cum Frisijs prælia gesta refers?
Mitto ego quæ patriis vmbris monumenta dicavis,
Eximiæ testes quæ pietatis erunt.
Hinc, spero, laudem tribues, mutataque dices,
Quod te delevit, delet & illa scelus.

[a] *Stuprum Gerardi Velseni coniugi illatum, ob quod ab eodem confossus.*

FLO-

FLORENTIVS V.
COMES XIX.

Florentius hic adhuc infans incunis vagibat, quum pater eius Gulielmus Rex a Frisijs est interemptus.

FLorentius hujus nominis quintus, annum agens septimumdecimum, vindicaturus patris Gulielmi Regis cędem Frisijs bello indicto, non multo post cum ingentibus copiis descendit. Congressi tum prælio Frisij plus octingentos è suis amisere. Florentius post aliquot annos iterum cum exercitu in Frisiam reversus [a] prospere pugnavit. Eodē tempore senis cujusdam indicio inventum patris corpus, quod vsque in eam diem interfectores ejus occulerant, Middelburgum in Zelandiam deportandum curavit, sepelivitque magnificentissime in Præmonstratensium Fratrum Monasterio; quo non est hoc tempore structura magnificentius aliud in Ditione Burgundica. Meruit hac re illustris Princeps singularis in parentem pietatis laudem. Porrò defunctus sepulturæ munere, cum Flandris, qui mox ad subigendam VValachriam adfuturi dicebantur, navali prælio certare constituerat, sed priusquam educere in hostem potuit, interea adfuit Brabantiæ Dux Ioannes, quo adnitente facta pax; quæ vt firmior esset, Guidonis Flandriæ Comitis filia Beatrix nomine Florentio in matrimonium data. Ex qua quum suscepisset quatuor filios, tres in flore primo extincti sunt. Multa in diversis Hollandiæ oppidis Palatia, magnifico extruxit apparatu: & secessus fecit amœnissimos, in quibus nunc venationi operam daret, nunc inter forma excellentes virgines deliciaretur. In re quoque militari dimicando jaculandoque se multum exercuit. Proditum est, cum domi ordinatis rebus in Angliam trajecisse, vt Scotorum gentem subigeret: verùm rebellione Flandrorum revocatus, mentem ad alia vertere coactus est. Quæ omnia prætereo studio institutæ brevitatis.

Frisij bello petiti.

a Cæsis eorum 1400

Monasterium Præmonstratensium Middelburgi.

Belli apparatus in Flandros.

Guido Comes Flandriæ.

Opera Florentij Principis.

Florentius venationi deditus.

Florentij in Anglam trajectus.

Extremæ vitæ tempore, magis contumeliæ causa quam impulsu libidinis, corrupit vxorem Gerardi cujusdam Velseni,

quem ipſe prius ad ſummos honores provexerat. Hoc factum ejus quum intolerabile videretur, conſpiratum eſt in eum a multis, Gerardo Velſeno & Hermanno V Voerdeno, corruptæ patre, conſpirationis principibus. Apprehenſus igitur Trajecti, quum auditum eſſet in Hollandia contrahi exercitum ad liberandum Comitem, duobus & viginti vulneribus a Velſeno confoditur. Velſenus poſtea captus, perpetrati ſceleris pœnas dedit.

Florentius 22. vulneribus confoſſus.

Ex Meieri Annal. lib. IX.

An. 1256. Anno 1256, Bruxellæ Pax convenit inter Margaretam Comitem ac Florentium fratrem Gulielmi Regis defuncti, eundemque Tutorem Florentij V, ac Procuratorem Hollandiæ. Liberati Guido Ioanneſque Flandrenſes cum cæteris captivis grandi ære: Nam proditum eſt, hîc Gandenſes per ſe contuliſſe ad octo millia nummûm. Pactum, vt Florentius Tutor, aut eo deficiente Florentius ejus pupillus duceret vxorem Beatricem, Guidonis Comitis filiam, cui dos eſſet Zelandia tota in fide ac clientela Comitum Flandriæ. Quod ſi caſus ita ferret, vt neuter horum Beatricem duceret, tunc vnus aliquis ex filiis Guidonis duceret Machtildã, Gulielmi Regis cæſi filiam, cum Zelandia quo dictum eſt modo tenenda. Approbata per Hollandos Pax anni 1167, quantũ attinet ad vectigalia Zelandica ac libertatem Flandricorum mercatorum. Confirmata apud Peronam Pax menſe Septembri anni 1246, facta per Regem Ludovicum atque Odonem Cardinalem, Crivecœurs & Alluetum Guidoni, Bochanum & Oſtervandia Ioanni Avennio poſt mortem matris per eundem Regem attributa. Interdictum Flandricis Hannonicisque exulibus in Hollandiam refugium, ademptum & Hollandicis invicem in Flandriam & Hannoniam. Duxit itaque poſtea ſecundum formulam huius fœderis Florentius V

Beatricem

Beatricem in matrimonium, primus Comes appellatus Zelandiæ; quam cum insulis ipsius omnibus possedit. Cessit & Carolus Andegavensis, Ludovici Regis interuentu, Hannonia, solutis illi belli superioris impendiis ; quæ intra quinquennium haud absque magno fremitu atque indignatione Flandria pependit.

Florentius V primus Zelandiæ Comes appellatus.

Ex Meieri Annal. lib. X.

Florentius Comes Hollandiæ, Gulielmi Cæsaris cæsi a Frisiis filius, a familiaribus suis Hermanno V Voerdeno, Gerardo Velseno, Gisberto Amstelio, dum aucupio animi gratia indulget, fœdo parricidio occiditur; per causam, quod quibusdam arcibus ac possessionibus istos spoliasset in gratiam Ioannis Episcopi, qui Ecclesiæ bona esse contendebat. Audaciores forte facti fuere latrones isti, quod præter populares suos, Eduardum Regem, suumque socerum Guidonem Flandriæ Comitem Florentius offendisset. Habebat enim Beatricem filiam Guidonis in matrimonio, ex qua natus filius Ioannes duxerat vxorem Elisabetham filiam Regis Eduardi. Nihilominus tamen tanta erat Gallorum Regis largitio & corruptio, vt Anglo Flandroque relictis, cum Gallo & Ioanne Comite Hannoniæ filio amitæ suæ fœdus feriret, ☞

An. 1303. Imò 1296. Perperam Meierus in An. 1303. reijcit: atque hinc error calculi emendandus.



Jam motu, jam plena metu simul omnia circum
Reddiderat cæsi mors inopina patris,
Quum Batavi regni, multis renuentibus, hæres
Albionum Arctoo rector ab orbe vocor.
Veni, sedavi motus, fidisque meorum
Discordes junxi consiliis animos.
Mox victor redij a Frisiis: nunc hac situs urna.
Dic Hospes, belli pacis an arte prior?

IOANNES I.

COMES XX.

INterfecto Florentio, quum puer adhuc abesset in Anglia filius ejus Ioannes, discordia aliquamdiu in Hollandia laboratũ est; donec missi in Britanniam legati Comitis nuperi cæsi hæredem reducerent, sub cujus appulsum omnis repentè sedatus motus. Hic Ioannes natu grandior, bis rebellantes Frisios aggressus, magnis affecit cladibus. Hoc etiam Principe Dordraci tumultuatum est. Decessit post exactum in administratione quadriennium. Eodem ferè tempore vixisse dicitur in Hollandia Gigas, Nicolaus Kieten nomine, cujus immanitas corporis omnibus fuit admirationi: excelsa statura homines sub brachio excepisse traditur: calceus ejus quatuor excellenti magnitudine hominum pedes facilè capiebat: pueros quoque in ludum euntes ita vastitate illa membrorum territabat, vt nisi procul & à tergo eum aspicere non fuerint ausi. Hoc fortasse non ita facilè sibi fidem apud homines inveniet, quod fabulæ propinquum videri possit. sed cur minùs æquo animo audiendum, quam quod olim in Creta insula repertum sit humanum caput instar dolij: & in terra India vixerint homines tam insigniter auriti, vt aures ad pedes defluerent.

Discordia laboratum in Hollãdia.

Gigas Nicolaus Kieten.

Ex Meieri Annal. lib. X.

An 1303. Imò 1296.

AGebat tum Ioannes Florentij filius cum vxore apud Regem Eduardum in Anglia; sed flagitantibus Hollandis statim a cæde patris domum reversus est, deque consilio Regis & Guidonis avi sui datus est illi Tutor (nam ferè puer adhuc erat) Vulfardus à Borsalia Verensis Toparcha, vir quidem strenuus & fidelis, sed Ioanni Hannonio non satis ad stomachum; ideo quod cum Flandris fugeret exercere inimicitias.

Mirum vero Tutoris esse, qui maritus iam erat. sed videtur secũ pugnare hic Scriptor, qui prius vocet.

tias. Igitur Hannonius, fretus fœdere Gallorum, summittit occultè percussores, & Vulfardum occidendum curat, profectusque mox in Hollandiam Tutelam Ioannis arripit, illoque tandem (vt frequens fama est) per venenum sublato, Principatum invadit, tanquam proximus hæres. Erat quippe matre natus Adelidæ Florentij amita. ☞

Ex Junij Batavia, Cap. 11.

Nicolaus Kijethenius insigniter procerus.

Annales nostri tradunt Nicolaum Kyethenium, quem Spernervvouda pagus Harlemo oppido vicinus extulit, tam enormi fuisse corporis vastitate, vt proceriſſimum quemque sui temporis subalarem admiserit: sed vires moli corporis & symmetriæ impares, non respondebant. Vti in eo quem Iulius Scaliger se vidisse testatur Mediolani, qui in Nosocomio decumbens, duas spondas lectorum junctas porrectus explebat. In Herculana familia illustri apud Batavos Iohannes eo nomine octavus Gigantis cognomen tulit, ob vastam corporis staturã, robur incredibile, & animum infractum, cunctis formidabilis, quem Annalium monumenta perhibent caballum ingentem solo attollere & adverso parieti appressum immobilem sistere potuisse; vnum Iunio Valenti & Miloni Crotoniatæ parem. Tradunt & Annales nostri à VVillelmo, cui cognomentum Boni virtus dederat, Comite Hollandiæ, adductam fuisse ad nuptiarum solennia Caroli Pulchri Franciæ Regis inusitata corporis mole fœminam, natione Selandam, præ qua proceri etiam viri pusiones videbantur; tanto etiam virium robore, vt bina dolia Cereali potu referta ambabus vtrinque manibus portaret, quæ singula quadraginta pondo Italica appendebant; trabemque cui attollendæ impares octo viri fuerant, quò vellet, transferret. Hector Boëthus rerumque Scoticarum Scriptores memoriæ prodiderunt, quendam Iohannem antiphrastice Pusillum

Iohannes ab Arckel, Gigas, rari roboris.

Fœmina Selandæ inusitatè grandis, & robustæ.

Iohannes Pusillus, Scotus.

Puſillum cognominatum, impleviſſe ſtatura pedes quatuordecim, in extrema Scotiæ inſula ſepultum. Refert & idem Scaliger ante annos circiter octoginta in Corcyra fuiſſe effoſſum hominem, cujus brachium iuſti cruris totius longitudinem exæquabat.

Ex Hieronymo Cardano, Subtilitatum lib. XI.

Fuiſſe Gigantes, quum multa teſtantur monumenta, id tamen in primis argumento eſſe debet, quod Claudij Cæſaris temporibus [a] Gabbara nomine Arabs fuerit longitudine novem pedum ac totidem vnciarum: &c.

[a] *De hoc Plinius Hiſtor. Natural. lib. 7 cap. 16.*

Ad quæ Julius Scaliger ita commentatur in Exercitationibus.

Ego vero novenorum tot homines vidi, tot hodie vivunt: vt de patre meo, ejuſque fratribus quatuor nihil habeam ſcribere. Ego quum quinq. pedibus major ſim, ille me tota facie ſuperabat. Non ergo digni ſunt illi, quos Gigantum titulo admiremur. Sed is, cujus oſſa in Corcyra effoſſa anno ante hunc circiter ſeptuageſimo: brachium enim totius juſti cruris longitudinem exæquabat. Sed & poſt victoriam, quam ſub Ludovico Rege ad Laudem pompeiam vicimus, Mediolanum profecti offendimus in publico Noſocomio juvenem vnum tantæ proceritatis, vt ſtare non poſſet. Neque enim potuerat a Natura ſatis alimenti ad craſſitudinem, roboriſque proportionem meditari. Itaque jacebat, explebatque lectos duos ſimul junctos.

Quis non hoſte cadit gemino? tamen ecce [a] *Brabantum*
Teque mea victi, [b] *Guido ſuperbe, manu:*
Quos vt regnandi ſtimulavit ad arma libido,
Sic vtriſque eadem pernicioſa fuit.
Teſtis Delphenſi [c] *Flandrorum victus in vrbe,*
Teſtis congerie [d] *Semita facta virûm.*
Nunc eat, Ambitio jactet quæ regna ſubegit:
Servatæ patriæ gloria major erit.

a *Ducem Iohannem.*
b *Comes Flandriæ.*
c De Flamting ſtraet.
d t' ſlach pat *prope Harlemũ.*

IOAN.

IOHANNES II. HANNONIVS, COMES XXI.

QVum ſine liberis Ioannes hujus nominis primus fato ceſſiſſet, Hollandiæ Comitatus ad Ioannem Hannoniæ Principem devolvitur. Hic fratrem ſuum Guidonem Trajectenſium Antiſtitē creatum tanto ſtudio defendit, vt ſemel profligatis qui illum Epiſcopatu dejicere conabantur, nulli deinde arma movere ſint auſi. Per id tempus eques armatus in cælo viſus, qui adhortatus dicitur clara voce populum ad arma capeſſenda: ſtetit & mare eodem temporis ſpatio innumerabilibus coopertum navibus. ad quod ſpectaculū quum ſeſe accolæ effudiſſent, repente naves illæ omnes evanuere. His tunc prodigiis præmonſtrata ſunt paulo poſt apud Zelandos geſta bella. Flandrorum Comes Guido Dampirus (ita enim ſcriptum invenio) intra paucos menſes fruſtra Ziriſæam obſedit, maxima ſuorum jactura. Vltimo ferè tempore, quo Gulielmus Ioannis Hollandiæ Principis filius bellum hoc ad exitum perduxit, X. Auguſti anno M CCC IIII, tantis vtrinque viribus eſt in aciem deſcenſum, vt ad tria milia paſſuum (ſi veri ſunt Commentarij, quos ſequimur) exauditus ſit bellantium fremitus. Cæſa ſunt in eo certamine decem milia Flandrorum. Naves captæ magno numero. Hac victoria filij audita, Ioannes Comes multum lætatus, paucis poſt diebus deceſſit. Sepultus Valencenis, nobili Hannoniæ oppido.

Prodigia.

Zerizea obſeſſa.

Flandrorum cades.

Ex Meieri Annal. lib. X.

☞ Ioannes Rineſſius aliique propinqui & familiares Vulfardi occiſi conatibus ſe Hannonij oppoſuerūt, Albertumq. Cæſarem, ad quem Hollandiam dicebant devolutam, ſolicitabant; ſed Hannonius nixus Gallorum favore ſuperior fuit, Rineſſiumque cum ſociis multavit exſilio; qui tum in Flan-

An. 1303. Ioannes Rineſſius.

Belli Zelandici origo.

driam confugerunt, bellumque Zelandiæ inferendum magnopere funferunt. Igitur quia Zelandia beneficium erat Comitum Flandriæ, juxta Leges & consuetudines eius provinciæ, quoties absque sobole moriebatur beneficiarius, devolvebatur ditio ad superiorem, cujus erat beneficium. [a] Guido Comes Flandriæ, antequam a Gallis caperetur, Zelandiæ Principatum ad se jure ac more majorum devolutum dicebat, illumque filio suo Guidoni præstantissimo juveni donavit, armis quidem sibi vindicandum. Hæc præter veteres simultates regnandique avaritiam nova causa erat belli Zelandici, auxitq. ea res indignationem Regi Galliarum Philippo Pulchro, quod tantos sibi sumserant Flandri animos, vt se ceu contemto (quando cum illis ipse bellum maximum gereret) ausi sint diversas etiam suscipere expeditiones. Nec defuerunt, qui Guidonis consilium vehementer reprehenderent, quum opera ejus maximè egeret Flandria contra Gallos, in tanta præsertim paucitate ducum. sed litorales Flandri ac piscatores, quibus perpetua erat cum Zelandis Hollandisque dimicatio, atque excubiæ omni tempore habendæ in litore, maximam Guidoni ostenderunt alacritatē, pollicentes brevissimo tempore Zelandiam posse domari. Ad x circiter Kal. Maias adunata multarum navium classe Ioannes Comes Namurci & Clusæ, & Guido Dominus Rickoburgensis ex portu Brugensi solvunt in parvam Insulam, quæ Catsant seu Casolia nuncupatur. Inter hæc [b] Gulielmus filius Comitis Hannoniæ per Calesiam navigat in Hollandiam. Nam quod Propancij tum fœderati essent Flandris, hoc erat quòd per Brabātiam negatus illi esset transitus. In Casolia dum omnia parantur quæ bello forent necessaria, ventusque propitius a nostris exspectatur, adest de improviso Gulielmus, de quo diximus, æstu ventoque prospero delatus cum Hannonio, Hollando, Zelando, Frisioque milite, nostrosque semiparatos adoritur. Nostri ex re consilium capiunt, resistuntque hostibus quantum.

Flandri Hollandiæ Zelandiæque eripere moliuntur.

a A Dominico Petri *cognominatus*. Dampetra & Dapirus *quibusdam Historicis*, Dominicum Petri *autem vicus ac dominatus est in Ducatu Burgundiæ, haud ita procul Divione.*

Classis Flandrica. Ioannes & Guido Namurcij. Catsant, seu Casolea insula.

b *Is qui* BONVS *dictus, postea Comes Hollandiæ, &c.*

quantum fieri potuit. Victor tamen fuit Gulielmus, interfectisque aliquot Flandris mox in Hollandiam recurrit. Eo detrimento nostri valde irritati, nihil cunctantur hostem celeriter insequi. Guido fremens frendensque cum sua classe processit, eamque ad VII Kal. Maias ad VValachriæ oppidum parvum, cui Vera seu Camp-vera nomen est, appulit; quod quidem oppidum Vulfardi fuerat, dolo (vt supra commemoravimus) interfecti. Oppidani conspectis filiis & propinquis Vulfardi, qui aderant cum Guidone, Prætorem suum datum ab Hannonio interfecerunt, ac Guidonem cum progenie Vulfardi mox admiserunt. Hic Guido, dum paulum quiescit cum suis ac cibum sumit, certior mox fit de advētu hostium. Prælium igitur statim conseritur super aggerem quemdam, atque in vtroque aggeris latere, durum atque acre. Sed terga vertere tandem coacti sunt hostes, desideraveruntque ex suis plurimos. Fugit Gulielmus dux eorum ad vicum Aremudam. Quò nostri ferociter insecuti rursus cum hostico exercitu manus conserunt; caduntque vtrinque multi, sed ex hostibus longe plures quam ex nostris. Nec sustinere nostros diu valent. Itaque bis die vno fusus fugatusque Gulielmus fugit ad oppidum Zirixeam situm in Scoudia, quæ vna est ex Insulis Zelandicis. Pugnatum item super alium aggerem non ita procul Vera a solis Brugensibus, qui Guidonem sequebantur cum quadam hostium manu; vbi victores Brugenses paucos ex suis amiserunt. Nam de aggere quos hostes in aquam deturbarant, vivos adhuc multos finita pugna extraxerunt. Ex hostibus autem quotquot in aquis viderunt luctantes, non modo non retraxerunt, sed altius etiam demerserunt. Adeò magno & crudeli odio duo isti vicini populi inter se grassati sunt, quos amicos potius ac fratres esse oportuit. Ioannes Namurcius his conflictibus non interfuit, quod multum dolebat; remotius enim atque altius in mari ejus classis erat, nec terram tenere potuit tam brevi

Flandri victi.

Conflictus inter Flandros & Hollandos.

tempore. Guido ſecutus Gulielmum, in oppido eum Zirixea obſedit per ſpatium temporis ſatis longum, arcubus, fundis, aliiſque inſtrumentis impigrè oppugnans; ſed capere non valuit. quin Gulielmus facta viriliter eruptione mille & quingentos ex Flandris occîdit, vt tradit Ioannes Beka Hollandiæ ſcriptor. Tunc Guido Middelburgum primarium VValachriæ oppidum aggreſſus, eo intra dies octo aut decem potitus eſt. Capto Medioburgo, pactæ ſunt induciæ ab Kal. circiter Iuniis aduſque ferè Aprilem inſequentis anni; adjecta conditione, ne fortiùs interim Zirixea, quam tunc eſſet, muniretur, manente in Guidonis fide VValachria; in qua, excepto Ioanne Cruningo, proceres reliqui omnes Guidoni dicto erant audientes.

Zirixeæ obſidio.

Guido Middelburgum capit.

Induciæ inter Flandros & Hollandos.

Tunc Guido in Flandriam, Gulielmus ad patrem Ioannem ſe contulit [a]Hagam Hollandiæ, vbi Ioannes ob exactam ætatem tradita omni adminiſtratione filio, in Hannoniam ſe recepit.

Tametſi autem in mari Hollandia Zelandiaque non tamen inducieerāt in Hānonia Vide Meierā pag. 100

Sub Kal. Februarias Guido Namurcius, quas habebat in Hollandia inducias cum Comite Hannoniæ, malo vſus conſilio, revocavit; quæ tamen, vt dictum erat, per duos menſes poſt revocationem tenuerunt; quibus in duobus menſibus vterque ſe ad bellum inſtruxit. Sub medium Martium paratus Guido trajecit cum ſuis copiis in VValachriã, cujus tum penes eum erat imperium; junctaque ſibi progenie ac familia Vulfardi Borſalienſis (de quo ſupra memini) ad Hollandiã ſubigendam omnibus ſe modis accinxit.

a Haga Hollandię, *quia & in Flandria Haga, in Friſia quoque, & alibi.*

In VValachria, menſe Martio, vt primùm exierat inducirarum dies, Guido Namurcius omnia parat quæ ad obſidendam iterum Zirixeam neceſſaria eſſe videbantur. Contra cujus conatus duo conſcripti exercitus ab Hollandis. Guido [b] Epiſcopus Traiectenſis frater Comitis Hannonij alterum, alterum verò ductabat Gulielmus Hannonij filius. Hi poſtquam copias conjunxerāt, Zirixeam verſus movent, vt cum

b XL. *in ordine Epiſcoporum.*

Flan-

Flandris acie confligant: sed dum Duvelandiam (hoc est terra Columbarum,) præterlegunt, illamque depopulari tentant, a Florentio Borsalio Vulfardi cognato ac Ioanne Rineſſio, qui illic cum Flandris ac Borsaliis, (qui Exsules vocabantur Zelandiæ) præsidio erant, acerrimè sunt excepti, pugnaque navali de nocte obruti, cæsi, ac mirum in modum per tenebras obtriti; adeo vt ad tria millia partim occisi, partim submersi tradantur. Ex Hannoniis, Hollandis & Frisiis totus ferè exercitus constabat, sed Frisij reliquis se fortius ac prudentius gerebant. Naves aliæque eorum res relictæ nostrorum fuêre præda. Captus hîc Guido Episcopus, missusque à Florentio Borsalio ad Namurcium, qui mox eum misit ad patrem suum Guidonem agentem apud Vindaliam in Flandria. Erat enim nepos Principis Guidonis ex fratre Ioanne Avennio, vir nimirum (si sacerdotibus bellare liceret) fortis & animosus, Gulielmumque Bertoldum Episcopum prædecessorem suum, Brabantici sanguinis virum nobilem, bello curaverat ante biennium interfici. Fratres illi erant, præter Hannonium, Ioannes Cameracensium ac Bossardus Mediomatricum Episcopi, ac Princeps Moriennæ Florentius. Guido autem noster Princeps ejus patruus. Ceciderumt autem ea pugna viri insignes Gulielmus Hornus Præfectus Dominici Trajectensis, Nicolaus Parsinius, Theodericus ab Harlem, Theodericus Zulanus, & Svvederus à Bevervverdo. Et hac quidem victoria tam clara potiti sunt in Duvelandia Borsalij cum Flandris haud ita multis & incolis ejus insulæ XIII, Kal. Aprileis, inconsulto & inscio Imperatore suo Namurcio, qui ad Zirixeam adhuc erat occupatus. Hannonius vehementer consternatus ex VValachria vix salvus evasit, advolavitque in Hannoniam ad patrem tum ægrotantem, cui anxius & querulus fortunas suas expossuit. Namurcius vero his omnibus cognitis rebus ad XII. Kal. Aprileis, (quod Sabbatū erat Palmarum) Zirixeam cinxit obsidione; quam

Guido Trajectensis Episcopus captus. *An. 1303.*

NOTA.

An. 1303. Zirixea iterum obsidetur.

Vitus Hamsteda.

quam egregiè munitam fortiter defendebat Vitus Hamsteda filius nothus Comitis Florentij, à suis (vt dixi suprà) occisi. Flandri arcubus, & fundis, modisque aliis tota hebdomade vsque ad Pascha frustra hic laboraverunt.

An. 1304 Paschæ 29. Martij.

Quum primùm certus nuncius Trajectum allatus est de capto & abducto Episcopo, mox tota civitas in motu erat, vt fieri solet in populo incondito disordique qui caret rectore. Dissidebant adhæc graviter inter se Nobiles de Reipublicæ per Pontificis absentiam administratione. Gerardus Bructerus, [a] Iacobus Lichtenbergius, & Vernerus Elisabethæ claræ feminæ filius ab adversa factione interfecti sunt. Frater vero Lichtenberbij Gulielmus Rodenburgius cum filio in vincula conjectus.

Motus apud Traiectum Hollandis.

[a] *Huius historiã commemorat Lambertus Hortensius, Rerum Vltraiectinarũ pag. 77.*

Inter hæc Guido Namurcius die Mercurij post diem festum Paschæ videns se irrito labore terere tempus Zirixeæ, reliquit obsidium, atque cum toto exercitu Mosam amnem trajecit, omnemque Borealem Hollandiam cum oppidis, municipiis, pagis in suam potestatem redegit, (excepto solo Harlemo, quod facere deditionem constanter renuit,) acceptosque obsides ex Leida, Delphis, locisque aliis Gandavum misit, fideli cumprimis Ioannis Rinessij in his opera vsus.

Guido soluta obsidione Zirixeæ, transfert bellum in Hollandiã. Et Hollandiam Borealem subigit.

Trajecti non pauci erant qui Episcopum Guidonem oderant; ea causa erat cur se libentius dederent, Ioannemque Rinessium Præfectum à Namurcio acciperent.

Traiectum deditur.

Eodem tempore Meridianam Hollandiam Ioannes Dux Brabantiæ invadit, omniumque oppidorum adeptus est deditionem præter Dordracum. Eam civitatem decem dies obsidet, majoremque ejus partem per ignita missilia incendit. Tandem Dordracenses duce Nicolao à Puteo, forti ac nobili viro, magnis viribus erumpunt ac retrocedere singulari virtute Brabantos cogunt, totaq. Zuyt-Hollandia expellunt. Nec his contenti, vsque ad Buscum-Ducis insectantur, ferro incendioque omnia deformantes; adeò vt Busco etiam Ducis

Hollandiã Meridionalem invadit Brabantus.

Dordracensium virtus.

firmo

firmo oppido ignem injicerent per inflammatas ſagittas. Reverſi dehinc cum divite præda per Fanum Gertrudis, vnde & Brabantos ejecerunt. Poſthæc Nicolaus ille Puteanus rebus ſecundis elatus maximos Hollandis ſuis fecit animos, movenſque cum illis Iſelmundā, cum Flandris quoque feliciter dimicavit; qui (ſi verus eſt numerator Ioannes Beka) cecîdit hîc duo Flamingorum milia; vbi & Namurcium tanto fuiſſe narrat in diſcrimine, vt vix ſalvus evaderet; qui paulo poſt magna manu profectus Trajectū, res Fori Iudicialis inibi ordinavit, deditque illis Magiſtratum quem Scultetam nuncupant, vt jus diceret civitati. Hîc Namurcius ordinatis quæ ad civitatis politiam pertinebant, diligenter quoque egit cum Eccleſia, vt amoto Guidone Epiſcopo capto conſtitueretur loco illius Epiſcopus [a] Gulielmus Iuliacus, egregius bellator; tales enim Eccleſiis obtrudebantur.

Poſthæc Virus Hamſteda vir fortiſſimus ex Zirizea, quam vtabatur Zantfordiam navigat, contrahitque quantas poteſt copias ex Friſiis, tam ſuperioribus quam inferioribus, ex Kennemaris, V Vaterlandis, [b] Zutlandriſque, quibus & Harlemi cum acceſſit præſidium. Hoc Virus inſtructus exercitu obviam habet Flandrorum numerum non procul Harlemo ([c] Hygedom loco nomen:) Hîc acie decertatum, vtrimque quidem fortiſſimè, ſed Flandros omnes ad vnum proſtratos & occiſos Hollandi tradunt, collectiſque in vnum mortuorum corporibus loco datum nomen in perpetuam memoriam Hampat, id eſt, Virorum ſemita aut veſtigium. Dehinc conſurgit apud Dilfos quidam Ockenbergius. Is ex Viti nuntiata victoria animum ſumens, Flamingos omnes aut cecîdit aut oppido fugavit; donec alia rurſus pars Flandrorum Dilfos invaderet ac teneret; in quos rurſus Virus & Ockenbergius moventes, victores fuêre: Via, quæ etiam nunc Flammiga vocatur, occiſi ad quingentos, cæteri in foſſis oppidi dum fugiunt ſubmerſi, ſarcinis armorum nimis gravati. Ita tan-

a *Prælio Fabulenſi anno 1304. 15. Kal. Septemb. conſideratus, filius Gulielmi Iuliaci Aquiſgrani occiſi ex tertia Guidonis Comitis Flandriæ & Mathildis Betunenſis filia, puta Ioanna.*

b *Vnde domo populi illi, vix liquet. fortè, Zuyt-Hollādos intelligit.*

c *Corrupte, reſcribe, Hillegō.*

dem Nort-Hollandia per Vitum Hamſtedam, perque Puteanum Zuyt-Hollandia omnes Flandri ac Propancij expulſi. Namurcius relicto Trajecto Zirixeam redit, ac tertiò jam oppidum illud premit obſidione, Balliſtis, Apris, Cattis, aliiſque machinis vehementiſſimè oppugnans.

Zirixea tertia obſidio.

Apud Sconhoviam, Prefectus Arcis à Flandris conſtitutus Nicolaus Cattus ex Nortbevelandia nunc ſubmerſa, Eques ſtrenuus, captus à civibus, miſſuſque ad Vitum, qui Flagellum (vt aiebant) erat Flamingorum. Vitus raptim profectus Sconhoviam, obſedit Arcem, adeoque Magenis (inquit Ioannes Beka) fatigavit obſeſſos, vt vitam pacti deditionem facerent. Magenas, niſi fallor, vocat Balliſtas majores, quibus lapides pondo centum viginti detorquebantur. Vitus, vbi acceptos in poteſtatem obſeſſos in cuſtodiam condidiſſet, Zirixeam eſt reverſus. Guido ad plagam Aquilonarem oppidi Magenas duas, in Meridie vero vnam conſtituit, quibus non abſque maximo oppidi detrimento prægrandes jaculabatur lapides. At contra oppidani impigrè agentes oppoſitas habebant ſuas tres Balliſtas, grandes ac fortes nimis, quibus egregiè noſtris reſiſtebant, adeò vt eoſdem nonnumquam lapides, qui à noſtris erant jacti, in auctores remitterent. Poſtquam autem aliquantiſper ea eſſet cõtinuata vtrimque jaculatio, noſtri foſſas oppidi ſtraminibus, ſtipulis, palis, aliaque materia repleverunt, vt ſcalis admotis in muros evaderẽt, oppidumque caperent. Quod quidem, quamquam eſſent aggreſſi, perficere tamẽ non potuerunt. Nam Vitus ſuos intus, Friſios præcipuè, adeo animavit, vt incredibile dictu ſit quantam præſtiterint virtutem. Nihil grave, nihil difficile, nihil arduum illis fuit, mulieribus, quæ & fortiter ſe gerebãt, quicquid viris foret vſui ad murum ſuppeditantibus, ignemque qui a noſtris ſæpe per miſſilia tectis injiciebatur tam viriliter exſtinguentibus, vt civitati magna pars fuerint ſalutis. Struebant & noſtri aliud grande machinamentum quod

Nicolaus Catz.

Vitus Hamſteda flagellum Flandrorũ.

Sconhovienſes vitam a Vito pacti ſe dedunt.

Mulierum fortitudo Zerixea.

Cattum

Cattum appellabant, illudque ab Aquilone rotis suppositis ad murum admoverunt. Erat tam proceræ altitudinis vt muros superaret, atque ex eo quicquid in oppido ageretur nostri prospicerent; istudque mirum in modum obsessos vrgebat. [a] Turrim fuisse puto ambulatoriam. Hac ex turri sagittis contisque & saxis missilibus hostes gravissimè impetebant, ita vt negotium illis pręgrande facesserent. Nec eo tamen segniores prælium capessebant, sed fundis, jaculis, ballistis, omnique vi armorum ita se defenderunt, vt Flandros tandem à muro turrique illa propellerent, postquam mille circiter & octingentos occidissent; tantaque fortitudine ex oppido eruperunt, vt palos ab hostibus immissos ex fossis suis cum reliqua materia extraherent. Erat quidam faber ferrarius, qui per sagittas quas faceret pollicitus est se Cattum Flandrorum crematurum. Nec fefellit ingenium. Nam paulo post tanto nimbo ardentium sagittarum machina illa offusa est, vt nequaquam ab incendio posset à nostris servari. Romani olim tales turres crudis coriis ac centonibus communiri curabant adversus incendia. Hîc autem earum rerum vsu puto Flandros caruisse. Tam magno atque horrendo igni hæc turris conflagravit, vt vsque ad Vlardingam, quę ad mare est, cerneretur incendium, putareturque esse oppidum captum atque incensum. Significabāt autem hæc omnia Zirixeani Gulielmo Comiti, qui fugerat in Hannoniam, auxilium ab eo supplices petentes. Hæc ita gesta sunt sub finem Aprilis.

[a] *Vide Stevvechium ad Vegetij de re Militari, lib. 4. cap. 17.*

Sub Kal. Augusti quatuor exercitus stabant parati ad dimicationem, duo terra circa Tornacum, & alij duo mari non procul Zirixea, quam adhuc premebat obsidione Guido. Gulielmus Hollandus, patre Ioanne ægrotāte, classem quam potuit maximam instruxerat milite Gallo, Frisio, Hollando, Hannonio. Adfuit [b] Reinerius Grimoaldus (alij Bellora habent, hoc est, ab Auria) Genuensis, acerrimus Navarchus, cum multarum triremium classe ex Liguria marique Mediterraneo,

[b] *Hic, vt Beka refert, trecentas & quinquaginta habuit naves bellicas, cum quinque triremibus, quas galeasas vocat. Sed is Auctor (vt plerique alij)*

talibus in numeris ſæpe errat, vt mihi quidem videtur.

terraneo per tantum maris circuitum à Gallo miſſus. In conſultatione convenit inter noſtros duces, ne ullo modo committeret Guido, vt prælio navali cum hoſte confligeret aperto in mari, ſe claſſemque ſuam circum Zirixeam contineret continuans obſidium: quod ſi vel terra vel mari (quod vix illis poſſibile erat) tentarent ipſum hoſtes invadere ac ſolvere obſidionem, tunc demum eſſe tempus ſe defendendi ac dimicandi. Eo confirmato conſilio Ioannes Namurcius ad [a] Philippum accerſitur, vbi majori vſui quàm apud Guidonem futurus eſſe videbatur. Oravit Guidonem crebris literis Trajecto miſſis Ioannes Rineſſius, ſtrenuus Eques, ne vnquam in animum induceret rem dubiæ committere aleæ, ac cum Navarcho toto orbe nominatiſsimo de rei ſumma decernere: Rem perbono adhuc eſſe loco, ideo quod ſi terra congrediatur haberemus militem longè validiorem, numeroque majorem, tantummodo eſſe perneceſſarium à mari abſtinere, donec ab ipſo fortè hoſte prior impeteretur. Rineſsius enim rerum maritimarum multam habebat peritiã, illique major pars civium Trajectenſium, quibus odio erat Epiſcopus, libenter parebant.

a *Erat is Theani Comes, filius Comitis Guidonis ex priore thoro natu minimus.*

Interea Ligur ille Reinerius, quaſi alter Xantippus conductus miſſuſque contra Regulum, Hollanduſque cum eo indies propius accedebant ad noſtros, Guidonemque ad prælium provocabant navale. Initio Guido nihil movebat, quietum ſe, vt convenerat in conſilio, tenuit, qua in re ſi perſeveraſſet, nihil illi hoſtes potuiſſent nocere. At morã improperante hoſte ignaviamque interpretante, inceſsit grandis cupido Generoſum Iuvenem cum hoſte dimicandi. Erat dubio procul inanis gloriæ nimis avidus, nimiſq. affectabat humanam laudem, quæ ſequutura erat, ſi tantum virum tam illuſtrem rei maritimæ Imperatorem viciſſet. Die x Auguſti Divo Laurentio celebri, poſthabitis tam publicis quàm privatis conſiliis, freius fiducia virium, relicto ad obſidionem

An. 1304.

aliquanto

aliquanto peditatu, ipſe cum toto exercitu & claſſe æſtu ſurgente & adveſperaſcente die ad hoſtes cõtendit. Hic prælium cõſertum viribus adeò pertinacibus, vt vix tandem denſæ noctis tenebræ pugnantes dirimerent. Hîc fragor, clangor, ſonitus, ſtrepitus, clamor, fremituſque tantum invaluiſſe narratur, vt per tria noſtratia milia exaudiretur. Multi vtrimque ea veſpera ceciderunt, multi graviter vulnerati fuêre; dubiaque fuit victoria, quamquam videbantur Flandri ſuperiores, quod quaternas maximas naves, quas turritas vocabant, de hoſtibus cepiſſent, occiſis aut ſubmerſis, qui in illis erant, omnibus. Nox itaque pugnam diremit, paulumque temporis quieti ac religandis vulneribus vtrinque datum; refluenteque æſtu ambę claſſes in cœno hæſerunt marino, modico intervallo ſeparatæ. Mane illucente die ac rurſus ſtagnante æſtu hoſtium quidem naves ſimul ſtabant ferreis invicem connexæ catenis: ſed noſtræ magnæ naves diſiunctæ ac ſeparatæ fluitare cœperunt, funibus illis magnis, quibus fuerant colligatæ, per hoſtium dolum de nocte reſciſſis. quæ res cladem noſtris attulit. Creditum id factum occultè à nonnullis Zelandis, qui Guidoni metu magis quàm amore adhærebant; ad quos quidem & voces de nocte auditæ Hollandorum: Redite, Rèdite Nobiles Zelandi ad verum veſtrum Dominum: Cogitate de patria liberanda. Ad cujus rei confirmationem cœperunt Zelandi illi (non Borſaliani) primum omnium facere fugam: quod exemplum ſequuti Flandri Zelandique alij magis fidi, quum in maximo diſcrimine incaſſum ſe viſuros viderent, receptis quaſcumqe poterant ex majoribus diſperſis navibus in Flandriam fugerunt. Guido autem, quamquam à Toparcha Axellano maturo ac prudente viro hortaretur vt fuga ſalutem quæreret, obſtinatus refractuſque adeo fuit, vt inflatus quadam ſuperbia fugere detrectaret: ſed mox naves bellatoreſque, quamqam à compluribus deſertus, quos potuit adunavit, magnoque animo prælium inſtauravit; do-

Prælium navale.

Comes Guido a suis desertus, in hostium redigitur potestatem.

nec paucis cadentibus, sed omnibus ferè per minores naves fugientibus, vivus veniret in Amiralij potestatem vnà cum Domino illo Axellensi: quos Reinerius per Calesiam misit ad Regem; apud quem tantisper captivi fuêre, donec pro Episcopo Guidone captivo in Flandria commutarentur. Est in Historicis Hollandicis, initio pugnæ quandam miræ manitudinis navem à Flandris fomento lardi piciſq. & sulphuris apparatam, incensam, missamque in hostium classem, vt in illam incendium inferret, sed per miraculum in diuersum reflante vento repulsam reversamque in nostrorum classem, suisque fabricatoribus magnam intulisse stragem; adeoque illo miraculo hostes fuisse animatos, vt certam sibi victoriam promittentes, viginti quatuor totas horas cum nostris horrendum in modum continuarent prælium, donec evaderent victores. Sed nostri Scriptores de illa navi nihil prorsus meminerunt. Addunt & aliud miraculum, apud Egmondam per totum pugnæ tempus visam in aëre crucem purpureo colore: Perijsse decem Flamingorum milia: Captas naves centum supra mille, cum nonaginta papilionibus. Noster Scriptor Minorita, æqualis illius temporis, non nisi mille circiter ex nostris per duos illos dies cecidisse refert: reliquos omnes fugisse, perspecta ducis imprudentia ac pervicacia: Nec hostibus incruentam fuisse victoriam, qui priori die multò plures quàm nostri perdiderint. Ecce quàm diversi abeant Scriptores! Peditatus autem, quem in obsidio relictum memoravimus, fugit ad mare in quendam angulum illius Insulæ quæ Scoudia vocatur, dicta tamen a nonnullis Scaldia a Fluvio Scalde, abs quo circumlui solebat. Et quia bona pars Zelandi erant, nactis per amicos navibus, vna cum Flandris, quotquot portare naves possent, transmiserunt in Flandriam. Reliqui ad tria circiter milia se dediderũt, commutatique sunt pro Hollandis qui in Flandria captivi detinebantur. Ioannes Rinessius vir fortis miserè perijt. Fugit

Numerus cæsorum.

Ioannis Rinessii miserabilis interitus.

Trajecto,

Trajecto, ne veniret in hoſtium ſuorum adventantium poteſtatem; ſed Leccam fluvium cum ſuis per ſcapham dum tranſire celeriter contendit, onere multitudinis in profundum navicula deprimitur; exſtinctuſque Rineſsius poſtea gravi cum planctu a ſuis ſepelitur. Ita in bello potiſsimum regnat fortuna, luditque ſuum ludum per rerum viciſsitudinem. Puto Superis ita viſum, vt quemadmodum Galli tota Flandria eſſent pulſi, ita & Flandri quoque tota Hollandia pellerentur, & qui multos vicerant occiderantq., & ipſi quoque victorię quodam torno ſeu lege talionis vincerentur occiderenturque.

Flandri tota Hollãdia pulſi & Guido pervicaciæ & inutilis pudoris ſui pœnas dedit. Potuerat enim fugere. quod & Cæſarem olim Dictatorẽ, quum in Britannia bellum adminiſtraret, feciſſe legimus, ne in Barbarorum incideret manus.

Obiit anno 1304, menſe Septembri, Ioannes II. Comes Hannoniæ & Hollandiæ. Obiit & Philippa ejus vxor Aprili proximè inſequenti. Quæ Philippa ſoror erat Iſabellæ noſtrę Principis. Ambo Valentianis ſepulti.

Ab hoc Comite Johanne Hannonio vulgo exciſam volunt Friſiorum, quos Minores indigitant, vrbem Veronam. De qua ſic Junius noſter Bataviæ cap. XVII, *quod eſt de Hollandiæ primariis vrbibus, &c.*

NOn procul Alcmariâ paullum vltra mille paſſus diſsitam ſtetiſſe olim Veronam loquuntur cognomines inde campi, vrbem opulentam, frequentẽ, & populoſam, vnicum tunc inter Minores Friſios emporium; ſed magnarum opum tenue admodum veſtigium, vrbiſque buſtum, tumuli vulgo oſtenduntur, è ruinis (vt ſuſpicari libet) editiores, qui nominis memoriam in hunc vſque diem tuentes, qua plagam Septentrionalem reſpicit, inter Koedicum & immenſo ſpatio porrectum Langedicum, Veronenſes campi, vt dixi, dicuntur, frumenti feraciſsimi, quos pagus Pancratio ſacer attingit. Hanc primariam fuiſſe Friſiis Minoribus, gentis caput, bellorum facem & furoris adminiſtram, credibile eſt, quòd opportuniſsimus ejus fuerit ſitus ad invadendã Hollandiam;

Veronæ vrbs.

Vronengeeſt.

ac

ac proinde ob violatam sæpius fidem, rebellionemque toties repetitam, à Ioanne Hannonio Comite excisam funditùsque subversam, & inducto aratro reædificari vetitam, memorant Annales. Qui Comes etiam nominis memoriam oblivione sempiterna delere voluisse creditur; tam inexpiabili adversus eam concepto odio, vt etiam Britannorum copias in florentis vrbis excidium dicatur exciviſſe, eamque gentis furori objeciſſe, postquam proditione Consulis Phobi ingressus in eam patuit; cujus monumentum extat hodie turris in arcium, quæ vrbi vicinæ fuerunt, ruinis, Phobi nomine famosa; sub quâ proditorem, qui sceleris mercedem ocream pecuniis refertam pactus fuerat, humo obrutum infossumq. fama quasi per manus tradita refert. Eversæ historiam, quam sacrificus complexus fuit, asservari in Cœnobio Heiloano intelligo. De hac cur Annales tacuerint, vnũ modo atque alterum verbum facientes, dum velut in trãscursu & obiter eam nominasse satis habent, equidẽ nescio, nisi fortè ignorantia veri factum id sit, aut hostilis odio vrbis, cujus memoriã aboleri voluerint. Excidij verò vt testem annum adferunt hemistichium notũ:

ECCe Cadit Mater Frisiæ:

Ita publicum testimonium loquitur spatium cœmiterij titulo insigne, vbi crux lignea posteris subinde reparata, memoriæ redintegrandæ, tuendæque religioni priscæ posita spectatur. Vrbis memoriam vltimam tuetur sartam tectam campanula ænea pervetusta in templo pagi, qui Dalfsmoge, seu Falconis oculus, incerta mihi de causa nominatur, quæ Veronæ a fusam se testatur, & altera ejusdem metalli quæ Londinum translata fuit. Indicavit mihi per epistolã inter alia multa Nicolaus Vorstius, vir non postremæ eruditionis, Lugdunianæ scholæ moderator, se à gravis auctoritatis viro Iureconsulto Colonienſi accepiſſe, in historiâ quâ vndenûm Virginum millium profectio è Britannia insula pertexitur, narrari illas navibus impositas & fœda tempestate jactatas Veronam appuliſſe;

a *Ad annũ 1280.*

puliſſe; id quod de hac noſtrate Verona probabiliter dicitur, quòd iſtud emporium vicinũ fuerit alveo fluenti illius, quod Caninefatium terga claudebat è Rheno productum, & præterlabens Crabbedamum in mare decurrebat; oſtenditque etiamnum apud Veronenſes campos alveus decliviore ſolo, vbi oſtium & aditus portûs fuerit è mari appellentibus navibus. Hujuſce emporij potentiam & nimias opes oſtendunt piſcationis jura, illi propria tam in lacubus quàm in amnibus Rheno Moſaque, quæ poſt exciſam vrbem in fiſcũ Principis fuere converſa, vnde in hodiernam vſque lucem Veronę nomine ſignificatur portorium, quod in memoratis locis pro piſcandi jure penditur. Quin & ipſum territorium deletæ vrbis peculiarem ſervat Rationalem, ab antiquo Veronenſem appellatum. Vrbis ſigillum æri Cyprio inſculptum, ita ærugine deformatũ, vt nulla forma potuerit agnoſci, fato quopiam ante hos octo annos ſe nactum fuiſſe ſcripſit ad me Vorſtius, cujus paullo ante memini, quod vaſcularij opera & arte defricatũ, ac ſequaci ceræ impreſſum hanc cum epigraphe ſpeciem monſtravit: quam renovandę vetuſtatis gratia appingere hîc libuit, in quo aquilà cœlum reſpectãs explicatis alis expreſſa eſt, cum gladio poteſtatis juſtitięq. ſymbolo ad dextrã.

Justitiæ custos nullo discrimine leges
Juraque subjectis omnibus æqua dedi.
Hoc Batavi [a] *Præses regni me vindice sensit,*
Dum luit ereptum morte bonisque bovem.
Te quoque cum Flandris felicia bella gerentem
Auxilijs juvi, magne [b] *Philippe, meis.*
Nunc cinis: hoc uno felix, quod, ut ante, superstes
Post mortem, toto sic [c] BONVS *orbe ferar.*

a *Bailivus Zuyt Hollandiæ.*

b *Rex Galliæ.*

c *Hoc enim Cognomentũ meruit.*

GVLIELMVS III. BONVS,
COMES XXII.

SVrrogatur in patris locum Gulielmus, qui quum esset vir pietate & innocentia insigni, BONI cognomentum meruit. Middelburgi apud Zelandos Collegium Canonicorum D. Petri ab eo institutum reperio. Sub hoc tempus duobus maximis malis Hollandia biennium laboravit, fame & pestilentia. hæc latissimè vagata, ingentem hominum vim extinxit; illa tam invaluerat, vt super vetitos cibos inventi sint, qui fame adacti pecudum more nascentia in campis gramina comederint. Anno M CCCXXVIII,[a] Philippus Gallorum Rex Gulielmi hujus copiis adjutus, Flandrorum exercitum fudit fugavitque. Eodem anno Gulielmus Frisios classe adortus est. In Hannonia Præfectum Suyt-Hollandiæ, qui rusticì pinguiorem vaccam pascuis abduxerat, & suam reliquerat, vltimo affecit supplicio. Tantus erat justitiæ amator. Idem gravi morbo laborans, quum adesse sibi fatale tempus videret, accersitum ad se juvenem filium hortatus est ad cultum veræ pietatis: precatus eundē, vt paci studeret, neque Clerum oneraret exactionibus. Hæc ille pauca locutus, haud multò post animam efflavit. Ante hunc nullus vnquam Comes majus reliquit sui desiderium. Nam qui ob naturæ bonitatem triginta tribus annis, quibus præfuisse dicitur, omnibus carissimus vixerat, non potuit fieri, vt mortuus non desideraretur.

Institutio Collegij Canonicorum D. Petri Middelburgensis.

An. 1311. Fame ac pestilentia diu vexata Hollandia.

a *Valesius.*

Flandri a Gallo victi.

Animadversio in eum qui vaccam abduxerat alienam.

Ex Meieri Annal. lib. XI.

Renatum bellum Hollandicum ob fidem de Insulis Zelandicis Roberto Betunensi Flandriæ Comiti non præstitā, atque ob portiones quasdam hæreditarias in Hollandia & Frisia, quas post mortem Ioannis fratris Florentij Comitis deberi sibi Robertus affirmabat. Eo bello socius Flandris fuit

An. 1306. Bellum Flandricū.

Ioannes Dux Brabantiæ. sed priusquam sanguis funderetur, deprecatione quorundam bonorum inducię sunt factæ, & arbitris submissa est controversia. Arbitri fuêre Ioannes Comes Namurcius, & Guido ejus frater electi per Robertum, altera ex parte Guido Episcopus Trajectensis, & Galterus Castellionicus Portiacensis Comes, idemque Magister Equitum Gallorum. Quid autem isti tandem pronunciaverint, nusquam invenio.

Arbitri pacis Hollandiæ.

An. 1307. Mense Ianuario celebratum maximo apparatu matrimonium Eduardi Regis Iunioris Angliæ cum filia Regis Philippi Pulchri Isabella. Eas ad nuptias convenere inter alios Principes Bononiæ (quæ nomine dicta est antiquo Gessoriacum, Morinorum navale) V. Vilhelmus Comes Hannoniæ cum Ioanne fratre.

An. 1308. Epiphania Domini. Gulielmus & Ioannes Comites Hannoniæ interfuêre Coronationi Henrici Comitis Luceburgensis, Cæsaris hoc nomine Septimi, quæ peracta sunt Aquis. Grani ad S. Epiphaniorum diem.

An. 1310. Mense Iulio Robertus Princeps tota Flandria Flamigante, id est, Teutonica (nam eam solam possidebat) delectum egit, maximumque & fortissimum collegit exercitum; milite adeo voluntario atque alacri, vt vltro fere nomina darent: movitque contra Gulielmum consanguineum suum Comitem Hannoniæ & Hollandiæ. Iam enim induciarum tempus finitum erat. Concedit inter Gerardi montem & Hannoniam, versus Lessinam. Hic Nobilium omnium cum multitudine summus erat animorum consensus. Conjuraverunt Robertus fratresque ejus, & Nobiles, conventusq. Flandrici omnes, seque diris devotionibus devinxerunt, nunquam se reducturos exercitum, nisi aut finem belli reportarēt, aut fortiter pugnantes occumberent. Tenuerunt enim hoc bellum septuaginta amplius per intervalla annos, in morem Hydræ nunc morientis nunc renascens. Patri suo auxiliares venerunt Ludovicus

dovicus Nivernenſis & Robertus ejus frater, validũ ex Gallia adducentes equitatum. Gulielmus item Nigellanus, nepos Roberti ex ſorore, ac Ioannes Fiennenſis, qui ſororem ejus tenebat matrimonio, adfuerunt cum dilectiſſimo equitatu ex Atrebatibus præcipuè adducto. Et Robertus præter eos, qui ſemper voluntarij ac fideles permanſerant, ex Flandris grandem quoque circum ſe habebat Nobilium ac Liliatorum numerum; totuſque exercitus ejus ita armatus & inſtructus erat, vt nihil prorſus deeſſe illi videretur. Contra hos proceſſit ferè obvius cum pulchro precipuè equitatu Hannonius, ſed peditatus ejus propemodum inermis erat, Flandriſque & numero & animis longè impar. Nam Hollandi Zelandique ad delectum, quem habebat, ſe venturos conſtanter negabant; ſatis habere ſe negotij confirmantes finibus ſuis terra marique adverſus Flandrorum potentiam tutandis. Nam & claſſem bene grandem Flandri in litore habebant paratam ad prohibendos Zelandos, invadendoſque, ſi quid vel priores ipſi moviſſent, vel Hannonius prælio fuiſſet terreſtri inferior. Itaque Hannonius nullo modo committendum ſibi ratus, vt cum Flandris acie decertaret, per Ioannem Namurcium ac Gerardum à Zotteghem tentare cœpit, ſi quam viam ad pacificandum cum Roberto poſſet invenire. Indicto igitur tempore de diſcordia componenda, Pax tandem convenit his conditionibus: vt Inſulas Zelandiæ in fide & clientela Comitum Flandriæ poſſideret, dummodo tamen Guidoni Flandrenſi fratri ſuo tantum aſſignaret annui reditus quantum eæ Inſulæ valerent: vt omni Hannonius renunciaret juri quod in quatuor Officia ac V Vaſiam ſe judicabat habere: vt domum reciperet quotquot ex Zelandia per omne tempus belli pulſi eſſent propter partes Flandricas, illiſque aut eorum hæredibus bona omnia fideliter reſtituenda curaret, quæ vel Fiſco eſſent adjecta, vel aliter ablata. His de rebus Robertus obſides ab illo accepit Namurcium & Zotte-

ghemium cum tribus aliis Nobilibus locupletibus ex Hannonia, pacta conditione, vt si pacem hanc Hannonius non servasset, bonis omnibus, quæ dicti quinque obsides in Flandria possidebant, extemplò manus injiceret, sibique in perpetuum retineret; quæ quidem bona & reditus ad viginti quinque millia nummûm æstimata sunt. His ita perfectis venit Hannonius inermis ad Robertum in castra nostra cum nobili comitatu, flexoq. altero genu fidem ac juramentum illi præstitit de VValachriis omnibusque Zelandicis Insulis, reditumque est vtrimque domum cum pace & gaudio. Verumtamen neque hæc pax vltra quinquenniũ durare potuit.

An. 1315. 3. Augusti. Absolutis enim apud Remos Ludovici Vtini Galliarum Regis coronamenti sacris, finitisque induciis, bellum statim Flandricum decernitur. Ingens erat hæc fax tempestasque belli. Gulielmus qui Hannoniis, Hollandis, Zelandisque jura dabat, in gratiam Regis, pretioque ab illo conductus, fœdus cum Flandris annis abhinc quinque frangit, terraque & mari Flandriam adoritur Hannonio, Gallico, Frisioque & Hollandico instructus milite Rupelmundam, Kieldracum, Brochtam, Zvvindracum, totamque VVasiam, & Scaldis oram populabundus incendit. Iohannes Beka auctor est, Gulielmum Comitem cum omni pene Nobilitate & milite Hollandiæ & Zelandiæ, Frisiæ, & Hannoniæ huc (prope Curtracũ castra erant Vtini) Regi venisse suppetias: Curtracum fuisse à Rege obsessum: atque hinc multos ex Gallis, inde multos ex Flandris cecidisse, dum Robertus niteretur liberare obsessos: Gulielmum Comitem ab equo prostratum, occisumque fuisse a Flandris, nisi singulari virtute Iohannis ab Arckel, Philippi ab VVassenare, Theoderici Brederodi fuisset discrimine exemptus. Sed hæc alij, quotquot equidem vidi, non tradunt, putoque ineptis Commentarijs Bekam esse deceptum. Consentiunt omnes, grassatum in Oriente à Frisiis Hollandisque: Gallosque ad Lisam prope fluvium penetrasse. Sed de Curtraco

traco obsesso nulla mentio nisi apud solum Bekam. Galli, nulla re gesta, cum detrimento domum se recipiunt. Inter hæc facili negotio Hollandum, qui ad Calam (inquit Beka) initio castra fecit, nostri finibus suis expulerunt: magna enim celeritate, non expectato Flandrico exercitu, omnem Scaldis exurens regionem in Zelandiam reversus est.

Ex Meieri Annal. lib. XII.

Statim à morte Comitis Roberti, renata est discordia in rudimento regni Lodovici Nivernensis, Flandriæ Comitis, cum Gulielmo, sed composita est per Carolum Regem hunc in modum: Cessit ac reddidit Flander Hollando in perpetuum Insulas omnes Zelandicas cum omni jure quod in illas se habere contenderat: remisit omnem sibi ab illo debitam ea de causa pecuniam. Simul Gulielmus Flandro cessit quicquid juris se habere contendisset in Ditiones Alostanam, V Vasiam, quatuor Officiorum, Gerardi Monts. Adhæc Avennæ Cameracensi renunciavit, permisitque vt Ioannes Flandrensis Crevecuria, Allueto cum tota Præfectura agri Cameracensis pro se suisque hæredibus frueretur. Quantum autem ad Flobecam & Lesiniam attinet, convenit vt quæstio decernatur: nec vnquam posthac per bellum, sed per sex arbitros controversia ista componatur; in quorum arbitrorum manibus eæ manebunt Ditiones, donec res sit decisa. Quod si qua fortè vltrà incidat discordia de Hollandia & Zelandia, arbitri Comitis Flandriæ convenient apud Saeftingiã, Hollandiæ autem arbitri apud Rijnlandiam, non discessuri ex his locis donec res sint compositæ. Pręterea pactum, vt bona exsulum Hollandiæ & Zelandiæ propter partes Flandri detenta & Fisco illata cedant ad emolumentũ Comitis Hollandiæ. Quod si qua fieri debeat restitutio, Flander eam fieri curabit per summam triginta millium Librarum, quam Hollandus *An.* 1322.

Hollandus illi persolvet. Insuper vt Valentianenses, qui partes tenebant Flandri, posthac ab illis abstineant. Vt quicumque exsulatum mittatur propter conspirationem in suum Principem, neutro in Principatu sit liber. Hæc Pax confirmata est pro Comite Flandriæ per [a] Triadem Flandrûm, hoc est, Gandenses, Brugenses, Hyprenses. Pro Hollando vero per oppida Valentianas, Montem Castrorum, Medbodium, Binchium, Dordracum, Zirizeam, Middelburgum, Dilfos, Leydam & Harlem. Actum Lutetiæ media quadragesima, anno M CCC XXII.

[a] De drie Ledé van Vlaenderen.

An 1326. Hoc anno incœpit dissidium inter Eduardum Regem Angliæ & Isabellam Gallicam ejus vxorem, venitque illa ad Carolum Pulchrum Regem Galliæ fratrem suum ex Anglia in continentem cum filio suo Eduardo ac Rogerio Mortimerio adultero suo, vnde reductore Ioanne fratre Comitis Hannoniæ, cum parvo comitatu ex Zelandia rursus trajecit in Angliam in fine mensis Septembris; statimq. facta conjuratione Nobilitatis: Maritum regem cepit, filiumque Eduardum consilio Mortimerij annum agentem XIV, ab Galtero Cantuariensium Pontifice coronandum curavit IV. Kal. Febr.

An. 1327. Is erat Eduardus III. Rex Scotiæ Robertus Eduardo novello Regi Angliæ vix pueritiam egressio bellum indixit, cui arctũ tum cum Hannonio fœdus erat, per Philippam Gulielmi Comitis filiam Eduardo Regi in matrimonium pactum. Itaque ex Belgis pulchra admodum manus equitum profecta in Angliam: Caput autem erat Ioannes Hannoniæ Comitis frater. Scoti vbi se inferiores vident, pacem per matrimonium ordinaverunt. David Roberti Regis filius sororem Eduardi Ioannam duxit vxorem.

Eodem anno Eduardus Rex captivus Eduardi III. pater per Isabellam vxorem & adulterum ejus Rogerium Mortimerium necatus est in carcere à custodibus illi datis.

An. 1328. 4. Kal. Augusti. Philippus Valesius Rex Galliæ movet in Flandros, qui à Nobili-

Nobilitate & Comite ſuo ſeceſſerant, & ad Caſſetum caſtra metatur. In ea expeditione octavam aciem duxit VVilhelmus Comes Hannoniæ cum octodecim ſignis, cum turma item equitum Ioannis ejus fratris, qui auxilia adduxerat Regis Boemiæ. Ex Hannonij Nobilitate præcipui hi erant: filius ejus VVilhelmus, Theodericus Brederodius, Ioannes Arkel, Alardus Egmondanus, Philippus VVaſſenarius, Ioannes Hamſteda, Arnulphus Cruningius, Ioannes Pallanus, Gulielmus Dufordius cum Hollandis, Friſijs & Hannoniis, x. Kal. Septemb. conjurati ductore Zanneca impetum faciũt in Gallos, & peditatu Flandrorum cæſo ad Regis vſque tabernaculũ pervenêre, ſed adventu Comitis Hannoniæ Rex periculo eximitur, & conjurati circumcluſi cæduntur. Zanneca acerrimè pugnans ab Hollandorum & Hannoniorũ peditatu (equos enim removerant) oppreſſus & occiſus eſt: magna dignus laude ob fortitudinem, ſi juſto bello talem præſtitiſſet virtutem. Qui ex fide ſcribunt pars ad ſex, alij ad novem plus minus millia cæſos referunt. Gulielmus Comes Hannoniæ equo erat dejectus in terram, ſed mox à ſuis ſublatus.

Anno 1333, poſtquam Comes Flandriæ Ludovicus emiſſet Mechliniam, ortum bellum Brabanticum. Emit autem de Adulpho Epiſcopo Leodienſi & Reginaldo Comite Geldrię qui tum conjunctim id oppidi poſſidebãt. Brabantię Dux Ioannes obſtitit, quò minus Mechliniani in verba Ludovici jurarent. Brabanto Ludovicus bellum indixit. VVilhelmus Hannonius alijque Ludovico auxiliares venerunt. Flandri tandem victi, atque ad centum & quinquaginta (ſi verus eſt Scriptor Brabantinus) ducti Bruxellam captivi. Poſt hæc Philippus Gallorum Rex per tria matrimonia bello terminum impoſuit. Filia Brabãti Margareta Ludovico Flandro trium annorum puero, Ioanna VVilhelmo Hollandо, Maria Reginaldo Geldrio promiſſæ ſunt.

Quæ fuerit mea vita, mei quis terminus ævi,
Vt taceam, pro me fama loquetur anus.
Illic Hesperius mea prælia narret Iberus,
Hic victum Turcam, me duce, vidit Eos.
Quid Trajectinos pacem veniamque petentes,
Quid a *Normanne tuas commemorem inducias?*
Omnibus his gestis b *Staveræ cado: nunc mihi Mavors*
Restituit vitam, qui dedit antè necem.

a *Ioannes Dux Normanniæ.*

b *A Frisiis cæsus.*

GVLIELMVS QVARTVS, COMES XXIII.

GVlielmus accepto à patre Comitatu, statim cum delecta armatorum manu in Hispaniam transgressus, vt Regem assidua cum Turcis Saracenisq. bella gerentem auxilijs adjuvaret, pugnando objectãdoque se periculis in tantã brevi claritudinẽ evasit, vt Hispanis æquè ac militi suo gratissimus esset. Postea reversus in Hollandiã, Trajectũ oppugnare adortus, Nobilium (quos apud se habebat) rogatu, civibus has breves, & dumtaxat paucorum mensium pacis redimendæ conditiones dedit: Vt nudatis plantis adapertisq, capitibus egressi quingenti ad Comitis pedes humiliter prostrati veniã poscerent. Quod quum ita factum esset, movit inde in Frisios; vbi dum nimia cupiditate propagandi fines imperij incautius dimicat, ad Staveram occiditur.

Gulielmi in Saracenos expeditio.

Reditus Gulielmi in patriam.

Trajectenses oppugnati, quibus & venia data supplicibus.

Gulielmus in Frisia perijt 26 Septemb. 1345.

Ex Meieri Annal. lib XII.

Ioannes Hannonius Eduardo III Regi Angliæ, qui Galliam sibi deberi aiebat, adversus Gallos militavit anno 1339, & Gnisiam cremavit, quamvis in illa esset filia ejus Ioanna Ludovica nupta Blesensi. Galli terrã Simacensem, quæ Ioannis Hannonij erat, diripiunt & incendunt Cameracẽses item in Hannoniam cum Gallis incurrentes Asperam & Monasterium Divi Vedasti depopulantur & funditus comburunt. His rebus irritatus Hannoniæ Comes Gulielmus, cum Ioanne Hannonio & Comite Falcobergensi Aubenium in Teriascia aggressus est. Adjunxerat ad id bellum Ludovicum Cæsarem sibi Eduardus, estque ab illo vicarius Imperij constitutus in Conventu Francofordiæ anno 1338 quo nomine Hollandiam, Geldriam, Iuliacum, Agrippinam Coloniam, Brabantiam, Hannoniamque sibi adjunxit. Sed Philippus Rex

An. 1339.

vafro vſus conſilio fœdus ſocietatemque hanc armorum interturbat.

Erat Cæſari vxor Margareta Gulielmi III Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filia, ſoror quidem Philippæ Reginæ Angliæ, quæ jam vidua Comite Gulielmo III velum ſumpſerat religionis, Fontanellæ in Cameracenſibus.

Per hanc Margaretam Auguſtam, atque Oratores pecuniamque ad eam miſſam perfecit Gallus, vt amicitiam quamvis ſimulatam cum Cæſare fabricaret. Tum per totam Galliam Ludovicus magno honore Imperator Auguſtus, ſimul Margareta vxor Auguſta appellata. Octoginta milia aureorum dederat Anglus Cæſari, duplum daturus ſi contra Gallum pugnaturus deſcenderet: ſed illum argenteæ Gallorum haſtæ averterunt, promittente Philippo Rege ſe pacem & concordiam perpetuam conciliaturum inter Pontificem Maximum & Cæſarem; quod quidem non modò non fecit, verùm etiam per omnem vitam clam operam dedit, ne vnquã Cæſar quo ictus erat fulmine à Pontifice liberaretur &c.

Gulielmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ Trajectum obſedit, ac redegit in poteſtatem. Sed profectus mox contra Friſios, victus eſt ab illis juxta Staveram & interfectus die XXVI Septembris. Quam quidem mortem prædictam illi tradunt ab Comite Geldriæ Reginaldo, dum a ſacris eum levaret fontibus. Succeſſit in Principatus ejus Margareta ſoror ejus Auguſta, vxor Ludovici Imperatoris, illiſque filium ſuum Gulielmum ſtatim præfecit.

Suc-

Succeſſi cæſo fratri tunc [a] *Cæſaris uxor,*
Sed mox (heu!) tanti conjugis orba thoro.
O vicina nimis, nimis aſpera fata duorum!
O ſi traxiſſet me quoque mors comitem!
Non ego vidiſſem [b] *natum mihi bella moventem,*
Infelix hoſtem quæ genui ipſa mihi.
Sceptra tamen tenui: nunc hac requieſco ſub urnâ.
Exemplo ſpernat fœmina regna meo.

a *Ludovico Bavari eius nominis IIII. Imp. &c.*

b *Guliel-mum, cui Furioſi co-gnomentũ adh ſit.*

MAR-

MARGARETA AVGVSTA, COMES XXIV.

SVcceſſit huic ſoror [a] Margareta, [b] Ludovici Romanorum Imperatoris [c] conjunx; quæ exquiſitiſſimo apparatu in Hollandiam deſcendens, filio ſuo Gulielmo hac conditione tradidit eam gubernandam : Vt quotannis ille matri certam pecuniæ quantitatem dependeret. Quę Friſij per id tempus habebant bona in Hollandia, vt fratris Gulielmi cædem vlciſceretur, Margareta publicè vendidit. Trajectenſibus aliquot menſium induciæ datæ. His rebus tranſactis, rediit in Bavariam Ludovici conjunx. Nec interea Trajectenſes quieverunt, exacto induciarum tempore, præter omnium exſpectationē, cum exercitu Hollandiam ingreſsi. Sed hic tumultus ſtatim compreſſus. Poſt hæc reverſæ ex Bavaria [d] matri Margaretæ Gulielmus Comitatum reſtituit. Quam rerum mutationem excepit bellum, quod cum Trajectenſibus Hollandi feliciter geſsêre.

a *Nullam enim prolē Gulielmus ex vxore ſua Ioanna ſuſceperat.*

b *Eius nominis* IV.

c *An. 1324 Coloniæ Agrippinæ celebratis nuptiis,*

Friſiorum bona publicè vendita. Traiectenſibus induciæ datæ.

d *Hæc Margareta poſt defuncta ſepelitur Valencenis.*

Ex Meieri Annal. lib. XII.

An. 1345 XIV. Octobr. Philippa Regina Angliæ cum ſorore ſua Margareta Auguſta per portam Butyricam intravit oppidum Hyprenſe, introduxitque ſecum multos exules, perinde ac ſi Princeps ipſa fuiſſet Flandrica. Quæ quidem duæ Heroinę die XVII. Octob. diſceſſerunt, atque altera mare repetiit, altera verò Hannoniam; erant enim germanæ Comitis Hannonię in Friſia juxta Staveram deſiderati.

Ex Eiuſdem lib. XIII.

An. 1347. Imperator Ludovicus ſentiens ſe hauſiſſe venenum mortiferum, quum vomere nequiret, venationis exercitio frangere

gere malum conatur ; at tanta vis erat toxici, vt omne remedium ſuperaret. Inter venandum paralyſi percuſſus, cecidit de equo in terram, nec ita multò poſt expiravit v Idus Octobris, poſtquam annos imperaſſet xxxij. Succeſſit Karolus Rex Bohemiæ filius Ioannis. Venenum hoc datum illi ſuſpicatur ab Ioanna vidua Ducis Auſtriæ.

Harlem Hollandiæ oppidum combuſtum fermè totum. *An. 1347.*

In Hollandia duæ ortæ peſtiferę factiones Hout & Cabeliau. *An. 1350.* Hout hamus eſt, Cabeliau triſyllabon piſcem aſellum ſonat, qui hamo capi ſolet. Et revera miſeri erant aſelli, qui tam ſtultas & inſanas excitaverunt factiones. Diſsidium grande tunc erat inter Gulielmum Comitem & matrem ejus Margaretam Auguſtam viduam Imperatoris Ludovici, de poſſeſsione Hollandiæ. Pars Nobilitatis quæ Cabeliauci vocabantur filio, Houci verò matri adhærebant. Factio ea calamitoſa inprimis terræ illi erat.

Zelandia Hollandiaque gravibus bellis quatiuntur, & IV. Iulij pugna navalis in amne Moſa inter matrem & filium, qui Hollandiam Zelandiamque cum Hannonia vel viva matre ſibi vendicabat. Hic Coſtus Reneſsius, Florentius Hamſteda, multiq. alij Nobiles, & numeroſum ſine nomine vulgus, Angli item auxilio miſsi intereunt. Victa Auguſta, in Angliam ad ſororem Reginam fugit. Re dehinc vtcumque pacificata, Hannoniam ſibi Auguſta in vita retinet. *An. 1350.*

Ludovicus Malcanus Comes Flandriæ per Gulielmum ab Reingerſvliet, magnum prætorem ſuum Aloſtenſem manus injecit ditioni Flobecenſi, amoriſque præfectis Comitis Hannoniæ ſuos in illorum loco conſtituit, ſibique eam teram aſſeruit. *An. 1351.*

Leſsiniæ pax facta inter Ludovicum & Margaretam Auguſtam, Comitem tunc Hannoniæ, de controverſia & diſcordia Flobecenſi & Leſſinienſi, hunc in modum: Vt Margareta Flobecam Leſſiniamque poſſideat in fide ac clientela Comitis *An. 1353.*

mitis Flandriæ, præſtet fidem Hannonienſi, ſed vt cognoſcat tamen Comes Flandriæ de cauſa & offenſa Domini de Aubiella. Item vt Comes Flandrię præſtet fidem Hannonienſi
An. 1353. de Blatonio & Tigniaco, & eorũ appendicibus. Actum XIII Aprilis, præſentibus Ioanne Epiſcopo Tornacenſi, Domino Pratenſi, Domino Pouckenſi, Domino Maldeghemenſi, Domino de Reingerſvliet, Domino Ludovico vandẽ V Valle Equite, Domino Malino ab Niepa Cancellario Flandriæ, Teſtardo à VVoeſtina, cum aliis pluribus. Nomine autem Dominæ Hannonienſis præſentes erant Ioannes Hannonienſis, & Domini Balliolanus, Morianus, Haymedius, Boſſutus, taleſque alij.

An. 1354. Per hæc tempora (vt in Crantzii legimus Saxonia) mercatores Orientales ex Flandria demigraverunt, ſed ſtatim tamen reducti fuêre. Addam Alberti verba, (non enim alium Auctorem habeo:) Hoc illud eſt tempus (inquit) quo triſtis vbique regnabat Erynnis. Nam & mercatores Orientales Brugis in Flandria reſidere conſueti, propter quaſdam tum exortas inter ſe & oppidanos cauſas, populariter emigrarunt, in Dordracum Hollandiæ ſe conferentes. Sed Flandrenſes in vrbem Lubecam miſere Oratores, & cauſa ad plenum liquidata complanataq; per quoſdã in Flandriam remiſſos de Lubica deque Turriano Pruſsiæ vrbe totius nationis Oratores in Flandriam ſunt reducti mercatores. Hæc ille.

An. 1355. Obiit Margareta Auguſta Comes Hannoniæ pridiè Kal. Octobris, eſtque Valentianis ſepulta.

Natus

Natus ego Augusto Batavorum sanguine, Princeps
Post matrem Batavis Hannomisque fui.
Omnibus his videor felix potuisse videri,
Imperj nisi me præcipitasset amor.
Hinc mihi prima[a] *mali labes, hinc cætera nata,*
Quæ taceo facti conscius ipse mei.
Tu pia posteritas, quoniam mihi vita negata est,
Æterna hæc mecum morte sepulta sinas.

a *Insaniæ.*

GVLIELMVS V. BAVARVS, COMES XXV.

Incursio facta in agrum Traiectensium.

GVlielmus, defuncta matre, inivit Hollandiæ administrationem. Hic Princeps Traiectensium agros ingressus, omnia circa vrbem hostiliter populari adortus est. Qua re irritatus Antistes, cum ingenti exercitu haud multò post ingressus Hollandiam oppida duo capta incendit. Gulielmi hujus principatu, bona pars vrbis Harlemensis deflagravit. Sed nec hoc quidem satis constat, vnde tam ingens sit ortum incendium. Gulielmus exacto in Principatu septennio incidit in phrenesim; quo morbo implicitus, hominem Nobilem etiam cum sua manu occidisset, vinctus in [a] custodiam datur. Commentarij habent, huic viro clarissimis orto natalibus nomen fuisse Gerardi de V Vateringen.

Harlemi incendium

Gulielmi morbus.

[a] *In qua mortuus est An. 1379*

Ex Meieri Annal. lib. XIII.

An. 1358. Mense Aprili Feriis Divi Georgij Gulielmus Bavarus Comes Hannonię & Hollandiæ phrenesin & amentiam incurrit, ita vt claudi ac servari per totam reliquam uitam deberet, eoque statu perseveravit per annos [a] XXX, ad vltimum vsque vitæ diem. Vltio diuina fuisse putatur, propterea quod tam asper, durus ac rebellis fuisset matri suæ Margaretæ Augustæ. Magnum exemplũ pro reverentia, observantiaque parentũ.

An. 1366. Renatum bellum, prædęque ac latrocinia cum grandi mercatorum præcipuè dispendio Flandros inter & Hannonios. Causſam ex eo natam lego, quod Ioannem Angiensem Ludovici Maleani Flandriæ Comitis cognatum Albertus Bavarus Procurator Hannoniæ capite truncasset apud Quercetum Hannoniæ, vltima hebdomade Iejuniorum in cœna Domini, ob levem (vt referunt) causam, postquam accepta fide eò ad Albertum fuisset profectus. Sed historiam hujus rei satis certam

certam non habeo. Caterum pacificatum tandem lego, cædemque Angiam ab Alberto maxima pecunia expiatam ac redemptam. Hollandi tradunt Angianum sui vindices habuisse tex fortissimos fratres.

Hoc anno (inquit Scriptor Hollandiæ) mortua sunt Trajecti undecim millia hominũ. Et in Flandria incluđit item pestilentiæ lues mense inprimis Novembri. *An. 1368.*

Obiit Philippa Hannonia Regina Angliæ antiquæ pietatis femina magnisque laudibus digna xix Kal. Augusti, pridie Feriarum assumptæ Deiparæ. *An. 1369.*

Trajecti in Frisia grande incendium, nocte Divi Odulphi, qui postridiè Barnabæ Apostoli suas habet Ferias. *An. 1373.*

Moritur Gulielmus Comes Hannoniæ, successore fratre ejus Alberto.

Belgica post mortem fratris moderamina gessi
Illorum imperio dignus, vt illa meo.
Mox etiam spoliis firmaui & Marte secundo,
Depopulatus agros, Gelria victa, tuos.
Quid Frisiæ gentem me ter victore subactam,
Auspicius referam quid data jura meis?
Post tot bella necem si quæris, desipis, Hospes.
Nam mea me virtus eripuit tumulo.

ALBER-

ALBERTVS I. BAVARVS, COMES XXVI.

REsuscitata deinde contentio; his vt phrenetici Comitis vxor,aliis vt Gulielmi ex utroque parente frater Adelbertus succederet,adnitentibus: vicit,quod rarum est,melior pars majorem, & missi qui evestigio Adelbertum, qui tunc aberat in Bavaria,adirent:rogarentq. vt quando frater mentis compos esse desiisset, ipse descenderet administraturus Rempublicam. Audita legatione Adelbertus in Hollandiam transgressus, à suis officiosissimè excipitur. Postea Delfenses obsedit, injuriam sibi illatam vindicaturus: Nam munimenta & arces aliquot Principis Alberti incenderant, & item in Haga Comitis absente Alberto effractis custodiis eduxêre quosdam è suis, qui antea fuerant Alberti jussu in vincula conjecti. Nihil tamen hostile fecit, illis veniam suppliciter petentibus; muri tamen diruti sunt, ne deinceps vnquam rebellarent. Egressus inde Comes in Geldriam,prædæ & populationis omnia complevit. Ab ea expeditione brevi in Galliam ad Carolum Regem est profectus Auctores,quos sequimur,causam profectionis huius non tradunt. Sunt & Frisones ab eo sæpius vexati. Præfuit [b] Hollandiæ annis sex & quadraginta. Apud Hagam-Comitis magnificè sepultus. Paulò antè obitum hujus Principis tanta oborta est in Hollandia ventorum tempestas,vt maxima hominum strage multæ domus corruerint.

[a] *Hæc appellata est Mechteldis, quæ idcirco post mortẽ Gulielmi non est admota gubernaculis, quod nullæ illi prolem peperisset.*

Delfenses obsessi.

Delfensium diruti muri.

In Geldriã eductus exercitus.

Quinto Idus Aprilis Ioannes filius Philippi Audacis Ducis Burgundiæ vxorem ducit Margaretam filiam Alberti Bavari Comitis Hannoniæ,Hollandiæ & Zelandiæ. Simul Gulielmus filius Bavari ducit vxorem Margaretam filiam Philippi Audacis. Hæ nuptiæ apud Cameracum maxima Nobilitatis frequentia celebrantur. Dotem dedit vterque pater fi- *An. 1385.*

liæ ſuæ centum milia Francorum. Et ſponſi honoribus magnis aucti. Ioannes Comes Nivernenſis, Gulielmus creatus Comes Oſtervandiæ. His nuptiis qui interfuerunt rem viſu raram viderunt duas ſponſas Margaretas, duasque earum ſponſarum matres Margaretas.

Gulielmus Oſtervandius novellus Philippi Ducis gener per Hannoniam & Hollandiam militem legit, vt foceio & Nobilitati Flandricæ veniat ſuppetias adverſus Gandenſes, cujus præcurſor Giſelbertus Gruter Trajectenſis cum ſelectiſſima Hollandorum manu ad Hanſdicum applicat, cadibuſque & incendiis quatuor Officia aggreditur; ſed ducibus Simone Pariſio Præfecto Moeræ ac Richardo Terlinc Præfecto Perbomenſi Gandenſes reſiſtunt, pugnaque conſerta Gruterum cum filio omnibuſq. Hollandis fundunt & occidunt, vt Brando refert Dunenſis.

Gandenſes junctis ſibi Anglorum auxiliis Brittannum movent, quod terra marique obſident ac fortiter oppugnant. Tenebat hoc oppidum Ludovicus Aza Flandrienſis nothus Ludovici Maleani, vir bello præſtantiſſimus, cui & auxilio venit Oſtervandius Audacis gener cum Hollandis. Hi ita oppidum defenderunt, vt Gandenſibus nihil ſpei loci potiundi relinquerent.

An. 1381. Carolus VI Rex Galliæ in obſidione Dammi Oſtervandium Equeſtri donat dignitate.

An. 1390. Anno 1390 Menſe Maio Ioannes Bavarus novellus Epiſcopus Tungrorum cum patre Alberto Bavaro ac germano ſuo Gulielmo Comite Oſtervandiæ magna ambitione Leodium ingreditur cum mille equis.

Oſtervandius cum Comite Fani-Pauli Valeriano Lutzeburgenſi Richardi Regis Angliæ genero in Angliam tranſmittit ad Ludos Equeſtres, ibique ordinem divi Georgij accipit à Rege. Qua in re parentes ſuos ac Regem graviter offendit; ſed ignorantiam ſuam excuſavit, paceque per Philippum facta

facta fidem Carolo Regi præstitit nomine Ostervanti.

Apud Cameracum per Comites Fani-Pauli & Ostervandiæ Equestres decursiones magna superbia factæ. *An. 1391.*

In civitate Trajectensi (Frisiæ puto) Iacobus à Iuliaco Franciscanus Pseudo-Episcopus, postquam decem per annos Sacramenta in Episcopatu administrasset, exutus sacerdotio decollatur. *An. 1392.*

Ostervandius Aleydam patris sui concubinam occidendam curavit; vnde magna perturbatio exorta: sed duxit vxorē Albertus filiam Ducis Cliviensis, paxque per illā facta est. *An. 1392.*

Albertus Bavarus filium suum Ostervandium ab expeditione soceri in Turcas distinuit, arbitratus non pietate, non amore religionis Gallos moveri, sed humanam vanamque gloriam solum spectare, non dubium esse, quin ob mores ipsorum detestabiles & schisma Ecclesiæ omnia illis malè essent cessura. Et vtinam non nimis vera hęc Bavari fuisset censura. Igitur Bavarus cum filio bellum eodem anno potenter movit Frisiis Orientalibus nunquam satis pacatæ genti, Hannonios, Hollandos, Zelandos, & Ostervandos armavit. Auxilia magna ex Galliis accepit, quorum erant duces Valerianus Comes Fani pauli, & Carolus Alebritus. Ex Germania item & Anglia multi illi aderant. Naves habuit ea in expeditione penè innumeras. Erat tum apud Frisios Dux longè nobilissimus Ivo nomine, vir bello egregius & prudens consilio, qui in Prussia & Hungaria res magnas contra Turcas gesserat. Hic suasit Frisiis, vt custoditis Arcibus suis, hostes in agros dispergi sinerent, futurum brevi vt absque graui incommodo reverterentur, quod terra aquosa magnisque fossis interscissa tanto exercitui alendo non esset. Sanum quidem consilium, sed à Frisiis tamen repudiatum, qui sumptis crucibus & vexillis templorum suorum ad triginta milia virorum obviam hostibus prodeunt in tres acies distributi. Sub Kal. Septembres commisso prælio Frisij quamvis egregiè pugnātes victi sunt, *An. 1396.* *An. 1399.*

multaque

multaque eorum Nobilitas in Hollandiam captiva deportata. Cecidit autem clarissimus Dux Ivo non absque Christiani nominis gravi damno. Gulielmus Cruenbergius Hollandus cum filiis Ioanne & Henrico maximam hîc virtutem præstitisse traditur. Victores Hannonienses Encusam redeunt. Facti Ludi Equestrium certaminum apud Castrilocum Metropolim Hannoniæ.

An. 1398. Gulielmus Ostervandius ducit rursus exercitū in Frisios: Staveram oppidum capit, Frisiamque totam imperata facere cogit.

An. 1399. Groningam grande oppidum Frisiæ Albertus Bavariæ Dux, Comes Hollandiæ subegit.

An. 1400. Victi ab Hollandis & eorum sociis rursus Frisij.

An. 1400. Obiit sine liberis Catharina vxor Gulielmi Ducis Geldriç filia Alberti Bavari Comitis Hollandiæ, &c.

An. 1401 Geldrius obiit sine liberis XIIII Kal. Martias, tumulatus cum Catharina vxore apud Monachusam. Successit illi in Iuliacum, Geldriam, & Zutphaniam Reinoldus Quartus frater eius.

An. 1403. In mari Hollandico tum admodum procelloso & alto capta mulier marina nuda & muta portata in oppidum Edam, & inde Harlem; vestita est, didicitque edere panem & lactaria, & vixit annis multis semper muta; didicit item nere, & honorem exhibuit S. Cruci quamvis muta.

An. 1404. Comes Hollandiæ per hebdomadas duodecim oppidum Goricum obsidet.

An. 1404. Mense Iunio Hollandiæ & Zelandiæ naves conductæ ab Anglis classi Anglicanæ magnæ ac forti conjunctæ sunt, & Catsantum Insulam Flandriæ prædæ cupidine invadunt, partemque illius incendunt ac diripiunt. Ea propter omnia bona Hollandorum & Zelandorum Margareta in Flandris distinuit, sed pax brevi intervenit.

An. 1404. Mense Decembri moritur Albertus Bavarus filius Ludovici

vici Imperatoris, ſepultus apud Hagam Hollandiæ, relictis liberis Gulielmo Oſtervandio omnium opum hærede, Ioanne ſine pietate Epiſcopo Tungrorum, & Margareta conjuge Ducis Burgundiæ.

De monſtro marino, cujus Meierus meminit, ita Junius Bataviæ cap. XVII. *pag.* 304. *& ſequentibus.*

In Annalium noſtrorum monumentis proditam inve- *An.* 1403.
nio rem, quæ mihi difficilis ad fidem viſa eſt, circiter annum à natali ortu Chriſti tertium ſupra milleſimum quadringenteſimum, monſtrum quoddam marinum, mulieris ſpecie, viridi muſco turpe, & vndique ſquallens, atrociſſimæ tempeſtatis vi è mari Oceano in ſinum Batavicum, qui Auſtralis maris agnomine notior eſt, compulſum, & in Lacum Purmerum (quem perrupti aggeres cum prædicto ſinu confuderant) ejectum fuiſſe; in quo dum variis erroribus agitur, poſt reparatos ſtatim à tempeſtate aggeres, vt ſolent, priuſquam profunda voragine ima aggerum fundamenta exedantur, virgines quæ bis quotidie cum mulctralibus vltrò citroq. in prata commeant, vt vaccarum vbera mulgendo ſiccent, monſtrum iſtud conſpicatæ fuerunt. Neque parum attonitæ principio ob novam & inuſitatam ſpeciem, in ſpectri modum, mox confirmatis animis erectiores, ac mutuas conjunctasque inter ſe operas pactæ, circumſeptum lenunculis & ſcaphis ſuis, ne qua effugium pateret, oppreſſerũt; captumque Edamum, quod oppidum Lacui quoque adjacet, pertraxerunt: vbi cibis hominum more aſſuefactum veſci cœpit, ſono peregrino ac ſuſpirioſo potiùs, quàm vllo articulati ſermonis commercio & vſu, qui piſcium toti generi negatus eſt, manifeſtum. Cujus miraculi fama quum multos mortales viſendi gratia exciviſſet, quæ longè lateque emanarat, Senatus Harlemenſis miſsâ eò legatione monſtrum ſibi permitti flagitavit, vt lo-

quuntur Annales, neque repulsam tulit. Quod plures annos, postquam eò adductum fuerat, vitam exegisse illic, atque inter fœmineos cœtus pensa etiam traxisse, & cœmiterij honorem, postquam vitam exuerat, assecutum ob exhibitam Crucis imagini reverentiam, memoratur. Quæ omnia vt neque firmiter asseverare, ita neque refellere omninò est animus, tum ob eam quæ debetur publicis Annalibus fidem, tum quòd recentior esse videatur, quam cui me opponam, memoria, à mulierculis de manu, quod dicitur, in manum tradita. Dicam tamen illud fabulæ vicinius non probari mihi, quod fila deduxerit, quasi manus in articulos humano more distinctas discretasque habuerit: sed fidei periculum auctori relinquo. Equidem religione quadam deterreor, ne à vetustatis exemplis discedam, quæ sancta illa testimoniorũ fide non carent, inter quæ constat non omninò fictum & commentitium esse, aut in poëtica corte natum sermonem de Nereidibus (quarum è genere fuisse illam, de qua modò sum cõmentitus, nihil ambigo:) quarum non exiguum numerum apparuisse olim in Gallico littore, D. Augusto legatus illius perscripserat. Eam certè de Nereidibus opinionem haud falsam fuisse testatur Plinius, corpus vniversum squamis hispidum, etiam qua humanam speciem referunt, illis tribuens; quarum in morte tristem [a] gannitum, sive (vt manuscriptus codex habet) cantum, ab accolis longè auditum commemorat. Taceo quæ de Tritone concham inflante, deque homine marino ex legatorũ (quos ob id solùm Olysslipponenses ad Tiberium Principem miserant) & ex equestris ordinis virorum illustri fide idem scriptor refert. Quid, quod apud pagum, cui ab aquæ fuscedine Svvartevvale nomen est, ab oppido nobili Briela tribus fermè passuum millibus distantem, visatur hujusmodi æquorei monstri sceletos in Æde media suspensa? Venio ad recentiora & quæ ætati nostræ potuerunt esse cognita documenta, in quibus lego in extrema Scandi-

navia,

[a] *Forte* gemitum *in Plinio legendum.*

navia, qua Codanus sinus finitur, apud Ellebogium oppidum Hafniæ Regni Danici metropoli è regione oppositum, monstrum æquoreum monachi formam exprimens ad vnguem, glabro capite, rusticana facie, involucro humerario cuculli speciem adumbrante, in littus illud immanis procellæ vi expulsum fuisse, mutum, sermonis vsu defectum, vt cætera marina omnia, lamentis tantum ac suspiriis altioribus perstrepuisse, nec vltra triduum vitam extraxisse; cujus simulachrum expressum ad Carolum V. Imp. tunc in Hispaniis agentẽ, à Rege Danico missum, manuque viri nobilis exhibitum cõstat. Alterum in ea Sarmatiæ parte, quam Poloniam vocamus, ad annum à parta humano generi salute millesimum quingentesimum tricesimum primum extitisse comperio, monstrum itidem marinum, quod Episcopi habitum infula mitraque egregiè mentiebatur, ad Regem Augustum deportatum. Hæc libuit prolixiùs commemorare, quod ista de Nereidibus (quas Mereminnas dicimus, ceu maris delicias nymphasque) opinio haud nupera sit, sed sæculis omnibus in hominum mentibus impressa federit.

Si quis ades longis Hospes peregrinus ab oris,
Ni grave sit, paucis te volo, siste gradum.
Hic iacet (heu!) Bavaræ Gulielmus gloria gentis,
Nec bello proavis, nec pietate minor.
Geldria quem timuit, Leodinaque mœnia bello
Aspera, dum pulso prælia[a] *fratre movent.*
His gestis moritur: nunc hac jacet [b] *Æde sepultus.*
At tu facta memor respice non tumulum.

[a] Iohanne Bavaro Leodiensium Electo, &c.
[b] Fratrum Franciscanorum, Valentianis

GVLIELMVS VI. BAVARVS, COMES XXVII.

PAtri Adelberto Gulielmus filius ſubſtituitur; qui Geldriam ſemel & iterum tumultuosè ingreſſus, fœdè eam populatus eſt. ſed mutatis rebus tantus hic fuit poſtea Reinaldi Geldriæ Ducis amicus, quantus antea fuerat hoſtis. Biennio poſt Friſones Hollandiæ agrum, vt ſæpe alias, hoſtiliter invaſerunt: cujus vltionem injuriæ Gulielmus majoribus curis tunc occupatus in aliud tempus diſtulit. Hic idem Conventu indicto, ad quem multi Hollandiæ Principes ſunt profecti, egit in eo de ſurroganda ſibi poſt mortem vnica filia; quod quum omnibus placuiſſet, ſtatim confecti ſunt ſuper ea re publicæ literæ. Eodem anno Comes in morbum incidit, quo indies magis invaleſcente accerſi jubet ſacerdotem, cui de contractis tota vita noxiis Chriſtiano ritu confiteretur. Poſt hæc ille, quum pauxillum temporis ſupervixiſſet, [a] fato eſt functus anno ſuæ gubernationis tertio decimo.

Gulielmus bis eduxit in Geldros.

Conventus indictus ſæpe inſtituenda hæreditate de filia vnica.

[a] *Pridie Kal. Iun. an. 1417.*

Ex Meieri Annal. lib. XV.

Leodienſes Ioannem Bavarum Gulielmi Comitis Hannoniæ fratrem, qui tum nomen titulumque tenebat apud illos Epiſcopi, finibus ſuis hoſtiliter ejecerunt, propterea quod ſacerdos fieri recuſaret, quamquam ſe fore ſacerdotē ſæpius illis promiſerat. Ingens hæc diſcordia erat, ac bellum cruentum inde ſecutum, magnaque gentis calamitas: quam horrenda prodigia, cometes, motus telluris, & inſueta Moſæ fluminis inundatio præmonſtraſſe traduntur. Niſi præcedant delicta, non ſequuntur flagella. Poſt expulſum Ioannem, novum ſibi ſtatuerat Epiſcopum Theodericum a Parvvis, &c.

An. 1406.

Pulſus Epiſcopus ille Leodio Trajectum Moſæ fugit amicum ſibi oppidum. Hîc obſident & arctè circumcludunt eum

An. 1408.

a *Per totos quatuor mẽſes.*

Leodienſes [a] longo tempore, ducem habentes Henricũ Parvviſium virum nobilem, novelli Epiſcopi Theoderici patrẽ.

Gulielmus Comes Hannoniæ germanus Epiſcopi omnẽ ſuam cognationem ad hoc bellum ſolicitat. Ioannes Dux Burgundiæ opem illi promittit, pacta conditione, vt ſi fortè capi ipſum cõtingat, ab Hannonio liberetur, eamque ob rem Hannoniam Gulielmus illi oppignerat. Omnes populos ſuos Burgundio armat.

Tornaci Dux cum omni nobilitate ac ducibus conſilium communicat. Angiam inde petit, & ripam fluminis Sabis, vbi Florinas, Foſſas, omniaque oppida & caſtella ad fluvium illũ proſternit & incendit, nemini parcit.

Et jam Burgundio cum copiis ſuis omnibus per Saxeam eam, quam Brunichildis vocãt, pervenit, vſque ad fines Tungrorum. Leodienſes certiores facti de hoſtium ſuorum adventu, obſidionem Trajectenſem relinquunt, ac mox cum quinquaginta millibus pugnatorum movent contra inimicos, & XXIII. Septemb. fruſtra dehortante Parvviſio, congreſſi infeliciter. Occiſorum fuiſſe viginti octo millia tradit Monſtreletus, quidam autem plus, alij minus. Cæſi inter alios Parvviſius cum Epiſcopo Theoderico, & filius Comitis Salinenſis in Ardvenna.

Poſtridie venit Trajecto Ioannes Epiſcopus in caſtra, germano ſoroꝛioque ducibus multiplices actum gratias, caputque Parvviſij haſtæ præfixum, & toti exercitui oſtenſum mittit Trajectum, perinde ac pro Trophæo ſtatuere vellet ſuæ victoriæ.

Hic Parvviſius Ioannem Horionem & filium ejus Gulielmum & claros aliquot alios viros injuſtè decollarat: Sarcinium, id eſt, Fanum Trudonis ſuper rivum Ciſindriam Epiſcopo fidele vi ceperat; auctor præcipuus totius motus Leodij.

Eburones graviter multati, datis obſidibus pacem inivegunt: Ioannem ſuum ſine pietate recipiunt, pacemque &

qui

quietem ſervare compelluntur, &c.

Controverſiam Burgundio componit inter Brabantum & Hannonium; qui Brabanto, arbitrio Burgundionis, ſolvit ſeptuaginta milia Scutorum veterum, debita Ioannæ Brabantinæ vxori quondam Gulielmi Comitis Hollandiæ, ratione dotis profectitiæ. *An. 1409.*

Hollandus & ejus frater Epiſcopus Burgundionem ſecuti in Armeniacos. *An. 1411.*

Rex ad Terraſciam & Auguſtam venit Veromanduorum: Eo concedit Princeps Hannoniæ Margareta cum ducentis equis, vt oret pro pace. Erat enim ſoror Burgundionis. Sed cõjurati pacem impediunt. Pridie Kal. Iunias Peronã ad Regem Burgundio mittit rurſus pro pace ſororem ſuam Margaretam & Antonium germanum ſuum Brabantiæ Ducem vnà cum Legatis trium membrorum Flandriæ. At conjurati Regem habentes in poteſtate, illiusque abutentes nomine & auctoritate, perturbant omnia, concordiam rejiciunt; pœnas de Burgundione ſumere dignas ſtatuunt. Conventus rurſus de pace apud Cameracum, vbi ex noſtris & multi quidem alij, ſed primarij Antonius Dux Brabantiæ & Margareta Hannonienſis. Nulla pax convenire potuit, propterea quod conjurati jam potentia ſuperiores nimis multa peterent. *An. 1414.*

Tertio Kal. Septemb. accedunt Dux Brabantiæ & ſoror eius Margareta, Legatique civitatum Flandriæ jam quarto ad Regem, qui Atrebatum jam ſeptem circiter hebdomadas obſidebat, pro pace, & pridie Nonas Septemb. concordia inventa eſt. Nam orta inter obſidentes dyſenteria, quam homines non potuerunt, morbus pacem attulit. Confirmata fuit ea poſtmodũ Lutetiæ Brabanto & Margareta, &c. præſentibus.

Ludovicus Delphinus, Dux idem Aquitaniæ, xv. Kal. Ianuarias gener Burgundionis ſuſpecta morte moritur. Namtoxicum illi datum eſt fraude ac perfidia conjuratorum, debilitandæ Burgundionis factioni cui; quum illius eſſet gener, ſempor

ſemper favebat: nec per omnia conſiliis conjuratorum parebat. Eam ob mortem multos inceſſit luctus. Sepelitur Lutetiæ in principe Æde, hoc eſt, in Baſilica Virginis matris. Iam Ioannes III. Caroli VI Regis filius, qui in Hannonia apud ſocerum educabatur, novus Delphinus eſſe debuit, & miſſa Legatione ad Hannoniam evocatur; ſed dubitabat formidabatque Hannonius deducere illum in Galliam. Idem enim imminere metuebat ſuo genero, quod jam acciderat genero Burgundionis. Nempe vt & hunc perfidia conjuratorum veneno necaret propter affinitatem Burgundionis, quum vxor hujus Delphinus Iacoba ex ſorore Burgundionis eſſet nata. Burgundio ad Hannoniam concedit, adſumpto ſecum defuncti fratris Antonij filio Philippo natu minore Fani Pauli & Ligniaci Comite. Multa ibi & varia conſultatio ſuper Ioanne Turonenſi jam novo Delphino in Galliam deducendo. Tandem apud Birofluctum finito colloquio, Hannonius ſecum generum ſuum in Hollandiam ægro ac fugienti ſimilis ducit.

An. 1416. Principio hujus anni de pace Regum grande colloquium fit in Anglia apud Londonium, vbi tum erat Sigiſmundus Imperator. Eo cum magno comitatu proficiſcitur Gulielmus Comes Hannoniæ pacis valdè cupidus, & de Ioanne Delphino genero ſuo inprimis ſolicitus. Eò quoque Burgundio miſit Legatos centum. Sed omnia fruſtra.

Ioannes Delphinus (icto cum Burgundione Valentianis fœdere) cum vxore per Auguſtam Veromanduorum, (dehortante licet Burgundione,) Compendium à ſocero deducitur. Socer autem Lutetiam Pariſiorum profectus nihil prætermittit, quod ad exſtinguendã civilem toto Regno diſcordiam pertinere videretur. Quòd ſi nulla ratione pax integra coire poſſet, teſtatur in frequenti Procerum cœtu Delphinum in Hannoniam reducturum.

An. 1417. Inter continuas ſeditiones initium hujus anni morte Delphini

phini fœdatum est. Socer ejus Hannoniæ Comes diu domi penes se illum educarat, metuens semper periculū ab Aurelianensium maleficiis. Nam quod præter vnicam illam filiam liberos alios non haberet, in primisque cuperet sobolem ex ea nasci, procul ab omni tumultu & Gallica seditione domi illum suæ continuit. Nunc autem sublatis per scelus ambobus ejus fratribus Carolo & Ludovico, postquam jus soli; illi obvenerat, diutiùs distinere non potuit; in mediam Galliam deducendus erat, tradenduſque agnus in medium luporum. Burgundio non nisi cum exercitu justisque viribus ducendū censebat; Hannonius verò mitiore vir ingenio pacem ac concordiam Regni se compositurum sperabat. Eam in rem dum totus Lutetiæ incumbit, commeabat vltro citroque junior Nobilitas Compendium ad Ioannnem novum Delphinū, quò socer eum perduxerat, effecerunt que vt ipse cum suis æqualibus lusibus variis exerceretur Interea socer ejus, dum pacis negotium ægrè admodum procedit, protestatus est palam in frequenti consilio & cœtu Procerum se Delphinum secum domum reducturum, nisi pax inter conjuratos & Burgundionem firma & rata coisset. Offensi libertate loquendi is conjurati, de distinendo & capiendo illo consilia agitant. Qua de re Hannonius factus certior, clam cum duobus tantū famulis ex urbe se proripit celeriter Compendium, mox recurrsurus cum Delphino in Hannoniam: sed reperit illum lecto decumbentem ac graviter ægrotantē, toto inflato corpore, oculis veluti sedibus suis emergentibus, atque ita toxico infectum referumque vt octiduum dumtaxat supervixerit. Mortuus est XIIII Kal. Maij, die Mercurij. Siquidem dum fortè cum Nobilibus æqualibus ludit pilam, quidam subornatus ambabus manibus venenatis per collum ipsum amplexus est, & mox ægrotare infirmarique toto corpore cœpit. Quidam tamen torquem aureum inter ludendum tradunt illum induisse, quem torquem qui attulit dicebat missum

An. 1417.

muneri à matre ejus, in illoque fuiſſe venenum, quo mox correptus intra octiduum aut paullo amplius perierit. Quod conſtat, odio & perfidia conjuratorum necatus eſt, ideo quod fœdus icerat cum Burgundione. Malebant enim omnem Regiam ſtirpem maleficiis exſtinguere, quam Burgundioni per fœdus aliquod videre conjunctam. Ideoque ſpem ſuam ponentes in Carolo minimo natu Caroli VII filio, Præfectum jam Pariſiorum crearant, atque in ſpem Regiæ ſucceſſionis ſervabant. Erat is ab omni affinitate Burgundionis alienus. Agebat Delphinus, dum moreretur, annum ætatis plus minus vigeſimum. Sepultus eſt Compendij in Dominico Divi Cornelij Martyris, plorantibus inprimis Iacoba ejus vxore, ac parentibus illius Gulielmo & Margareta Comitibus Hannoniæ. Apoſtema (inquit quidam) natum eſt illi ex toxico ad alteram aurem, quod intra corpus crepuit. Hoc ex caſu tantum mœroris concepit Hannonius, vt & ipſe ſtatim moreretur. Obiit autem pridie Kal. Iunias, die Lunæ. Conditus Valentianis in Ædicula Fratrum Franciſcanorum.

An. 1417.

Præſul

Præsul Eburonum, Boiorum sanguine cretus,
a *Fratris ab excessu totus in arma feror.*
Non tanti Leodina mihi sacra mitra fuisset,
Sed fuerant tanti sceptra Batava mihi.
Dordrechtum haud veritus, pulchrasque invadere Lei-
Et neptem regnis exspoliare suis. (*das,*
Jamque exuta bonis petulans Jacoba fuisset,
Exutus vita ni prius ipse forem.

a *Gulielmi Quarti.*

Viderat eximiam Mavors regnare Jacobam,
Quum secum, Hæccine, ait, fœmina sceptra geret?
Haud ita: mox a *patruum furibunda capessere tela*
Iussit, & hostili regna parare manu.
Postquam reddita pax, nova concitat arma Philippus,
Belli auctor factus, qui modò pacis erat.
Sic moritur: felix, si natus filius esset.
Crede mihi, hæc poterat gignere mater b *avum.*

a *Philippus Burgundium.*

b *Alberti Bavarum,*

IACOBA

IACOBA, COMES XXIX.

IAcoba post obitum patris gubernationi admota, quum audivisset Ghoricum oppidum Hollandiæ à Gulielmo Arkelensi occupatum esse, jussit confestim eò cum expedita armatorum manu occurrere VValravium Brederodiorum Principem, vt repentino suorum adventu comprimeretur ille tumultus; estque paulo post intra muros atrociter dimicatum, cæsis vtrimque ducibus. Oppido sic recepto, venit Hagam Comitis Iacoba, nupsitque Ioanni Brabantiæ Duci. Interea Ioannes Bavariæ Dux, Iacobæ patruus, impetrato ab Imperatore Comitatu, quem jure sibi deberi credebat quod Gulielmus frater nullam virilis stirpis prolem reliquerat, magnos tota Hollandia motus excitavit. Hinc bellum inter eum & neptem orta. Plures etiam vrbes hoc metu à Iacoba defecerunt; quæ composita postea pace Ioanni sunt relictæ. inter quas fuit & Dordracum, vrbs hodie multum celebris. Mansit idem Ioannes per triennium Hollandicarum rerum Tutor. Quo temporis spatio plurima domi forisque gesta, quæ Catalogum tantùm non perpetuam Hĩstoriam scribenti mihi sunt prætereunda. Inter Ioannem Ducem Brabantiæ & Iacobam ejus conjugẽ ortæ postea iræ ita magnæ, vt brevi sit inde divortium subsequutum. Variis interea motibus agitari Hollandia; quæ, post defunctum Bavariæ Principem & suum Tutorem, spreta Iacoba, Ioannem ejus maritũ Comitem assumpsit. Hic brevi post, quum & Brabantiæ Dux esset, credo delectatus Lovanij Brabantiæ vrbis amœnitate, condidit inibi Gymnasium, in quo liberales Artes publicè docerentur. Cæterùm hæc Schola successu temporis multum crevit, præcipuè accessione Collegij, in quo publicè tres linguæ docerentur Hebraica, Græca, Latina. Magnis impensis instituit hoc

VValravius Brederodius. Ghorici pugnatum intra muros.

Iacobæ cum Ioanne Brabantiæ Duce nuptiæ in Haga Comitis.

Divortium inter Iacobam & Ioannem Ducem Brabantiæ.

Lovanienſe Gymnaſiũ conditum.

Collegium trium linguarum Lovanij.

hoc Collegium vir clariſſimus Hieronymus Buſlidius, Præpoſitus Arienſis, anno Salutis humanæ CIↃ IↃ XVII. Iacoba extremo vitæ tempore, quum poſt tot indecora connubia (nupſit enim Ioanne adhuc in humanis agente pluribus maritis) nullam haberet prolem, Philippo Burgundiæ Duci, materteræ ſuæ filio, Comitatum Hollandiæ per manus tradidit.

Ex Meieri Annal. lib. XV.

An. 1417. Defuncto Gulielmo Hannoniæ Hollandiæque Comite, frater ejus Ioannes Bavarus vigeſimum octavum jam annũ titulum gerens Epiſcopatus Tungrenſis, poſt tot mactatas perditaſque Chriſtianæ gregis oves, in Concilio Conſtantienſi Epiſcopatum & Diaconatum deponit, ducitque vxorem Eliſabetham Antonij Brabantini viduam Lutzenburgenſi Ducatu dotatam. Iacobam vero viduam Ioannis Delphini ſuam ex germano defuncto neptem ſpoliare Hollandia Zelandiaque nititur. Dordracum favore civium occupat, auxilioque Geldrorum, Egmondanorum, & Herculanorum oppidum Hollandiæ Gorichum nomine præcipua opera Gulielmi Herculani capit. Iacoba autem ſtrenua mulier haud ſegniter agit, ſed Gorichum ſtatim obſidet. pugnatum
An. 1417. eſt Kal. Decemb. Iacoba egregiè vicit, mille circiter ex adverſariis interfecit, ac totidem cepit. Interfecti Gulielmus Herculanus, Otho Burenſis, & Peterſomius. Capti Nobiles Comes Verrenburgenſis, Comes Vburgenſis, Alardus Burenſis, Arnoldus Egmondanus, Ioannes Heterius, Henricus Homotius, Theodericus Lindenſis, Gulielmus Iſendornius, Gulielmus Ordingius cum fratre Raſone, Theodericus ab Hemmen cum Domino Egmondano. Sed Valeravium Brederodium magno ſuo damno deſideravit, oppido tamen potita eſt. Sed Bavarus, quamvis victus, Dordracum retinuit. Ioannes Burgundio nepti ſuæ Iacobæ ſuccurrit. Coit vltima Iulij.

Iulij Conventus apud Eirofluctum. Ibi ſoluto per novum Papam Martinum V, XX Novemb. cognationis vinculo Iacoba Ioanni Duci Brabantiæ Antonij defuncti filio diſponſata eſt, agenti ſextum decimum non plus ætatis annum. Fremere & iraſci Bavarus, conarique Sigiſmundi Cæſaris favore nepti Hollandiam Hannoniamque detrahere. ſed Iacobæ cauſa opeſque & vires prævaluerunt. *An. 1417.*

In Hollandia Ioannes Bavarus Iacobam neptem ex fratre ſuo gravibus affecit damnis, eamque Hollandia, Zelandia, & Hannonia extrudere niſus eſt: Dordracum & Roterodamum Brilamque occupavit: Hadrianum Nothum Hannoniæ virum fortem bello interfecit. *An. 1418.*

Ex Eiuſdem Annal. lib. XVI.

Philippus Burgundio profectus in Hollandiam ſub initium Iejuniorum omnem componit controverſiam inter Ioannem Ducem Brabantiæ & & Ioanenm Bavarum Ducem Lucenburgicum, creaturque idem Bavarus Procurator vnà cum Duce Brabanto Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ, per quinque annorum ſpatium. *An. 1419.*

Orta grandis diſcordia inter Brabantiæ Ducem Ioannem & vxorem ejus Iacobam Bavaram, adeo vt divortium cum illo facere prorſus vellet, dictitans nunquam ſibi cordi fuiſſe eas nuptias, ſed coactam à matre Brabanto eſſe nuptam. Erat impar ſocietas. Tenera admodum Brabantus fuit habitudine corporis, viribus non fortibus, hebetique & tardo ingenio: At Iacoba fœmina præſtanti animo, ingenio acri, florentiſſima ætate, forma egregia, ſucci plena, dotibuſque tum animi, tum corporis felix. Sæpe ejus mater Margaréta, ſæpe Philippus Dux fruſtra conati gratiam inter illos ſarcire. Tantum enim abfuit, vt placaretur Iacoba, vt ex Caleſia tranſmitteret clam in Angliam oratum Henricum V Regem auxilium divortio *An. 1420.*

cum

cum viro faciundo, cui contrà ſuam (vt dicebat) voluntatem erat nupta: eoque res proceſſit, vt [a] Hunfrido Duci Gloceſtriæ Regis Anglię fratri deſponderetur.

[a] *Nupſit huic anno 1422.*

Bavarus Leidam Hollandiæ per totas novem hebdomadas obſidet, cogitque ad deditionem.

An. 1421. Menſe Novembri, nocte Divæ Eliſabethę, quę XIII Kal. Decembris illuxit, in Hollandia, Zelandia, & Flandria per maris tempeſtatem horrendæ factæ invndationes: inter Gertrudi-montem & Dordracum tota illa fertiliſſima & ditiſſima regio ſubmerſa eſt: quo damno complures viri nobiles, viri locupletes ad inopiam & miſeriam ſunt redacti: manetque adhuc hodie regio illa cum ſuis ſeptuaginta duobus pagis abſorpta in mari.

An. 1421. Quum Iacoba Ioanni Duci Brabantiæ marito ſuo ſub vmbra cognationis nuncium remiſiſſet, nupſiſſetque Hunfrido Gloceſtriæ Duci in Anglia, graviter offenſi Brabantus, Burgundio, & Betfordius frater Gloceſtrij Lutetiæ coacto Concilio, vetant Gloceſtrio, ne aſpiret ad poſſeſſionem ditionum Iacobæ, donec per Martinum Pontificem Romanum dijudicetur vtrum ejus cum Iacoba verum ſit conjugium, nec ne. Sed ad hanc conditionem adduci Gloceſtrius & Iacoba non potuerunt, menſeque Octobri cum quinque armatorum milibus ex Anglia applicant Caleſiam, profecturi in Hannoniam. Burgundio graviter permotus apertè declarat Betfordio Galliæ Procuratori ſe auxilium laturum cognato ſuo Duci Brabantię. Succenſet graviter fratri Betfordius, veritus ne ob eam diſcordiam fœdus cum Burgundis ictum infirmetur rumpaturve.

An. 1421. Nonis Januarij, hoc eſt, pridiæ Epiphanię Dominicæ de nocte obiit morte repentina Ioannes Bavarus apud Hagam Hollandiæ, & ibidē tumulatus apud Fratres Dominicanos. Scripſit autem Philippum Burgundionem hæredem filium ſororis Margaretę, præterita Iacoba filia fratris VVilhelmi,

Sunt

Sunt qui toxicum bibiſſe putent, datum per Margaretam Iacobę matrem.

In fine Novembris Gloceſtrius & Iacoba ex Caleſia per fines Atrebatum cum ſuo exercitu abſque vllo maleficio in Hannoniam tranſeunt, admiſſique ſunt abſque vllo obſtaculo in omnibus oppidis Hannoniæ præterquam Hallis, quod à Brabanto ſtetit, quemadmodum plęrique Nobiles, vt Converſanus, Angienſis, Icannes Iumontius, Engelbertus Angianus, cum ſuis omnibus Toparchiis, clientelis, & caſtellis. Iacoba, vt vires ſuas augeat, omnes exules Hollandiæ Hannoniæque ad ſe accerſit. Cognito Philippus Gloceſtrij adventu in Hannoniam, Flandris, Atrebatibuſque, & Brabantis grandes imperat copias. Magna Angli damna circumcirca intulerunt. Idem viciſſim fecêre noſtri. Inter hæc deſcendit Dux ex Burgundia in Flandriam, & Brabanto ſe adjungit: creſcitque eorum exercitus vltra triginta pugnatorum millia. Obſeſſa Brenia Hannoniæ, quæ ab ardente milite cupiditate prædæ principio Martij contra Ducum voluntatem capta, direptaque & incenſa eſt: Angli, civeſque multi interfecti. Famam Gloceſtrius ſpargit Philippum ſuam fidem fregiſſe, qua ſe obſtrinxerat Lutetiæ in fœdere Anglico ſanciendo. Reſpondet Dux, illum mentiri, provocatque ad ſingulare certamen. Accipit conditionem Gloceſtrius, locumque ſtatuit apud Fanum Audomari, reverſusque Caleſiam tranſmittit in Angliam: nec ad diem revenit duelli. *An. 1424.*

Poſt diſceſſum Gloceſtrij, Brabanti auxilio Ducis Philippi bellum acre faciunt oppidis Hannoniæ, quacunque partes ſequentur Iacobæ. Multa loca directa, vaſtati agri, caſi aut capti incolæ. Mons caſtrorũ, Regia Hannoniæ obſeſſa. Cum matre Iacobę & Legatis Ducis Brabanti colloquia varia habita, plures Conventus acti, vt Inſulis, Duaci, Aldenardæ. Convenit tandem, vt tota Hannonia redeat in poteſtatem Ducis Brabantiæ, condonatis omnibus offenſis. Iacoba autem in *An. 1425.*

Philippi Ducis manu sit, donec per Pontificem Martinum controversia de matrimonio Gloceſtrij sit deciſa. Montẽſes, poſtquam commeatus inopia laborare cœpiſſent, minantur ſe Iacobam Duci Ioanni tradituros, niſi pacem hanc probet; capiunt ejus miniſtros & familiares Bardulphum à Porta, & Colardum ejus fratrem, Ægidium à Porta, Ioannem à Boſco,
An. 1425. & alios plurimos. Idibus Iuniis ex Monte Caſtrorum Iacoba Gandavum a Principe Arauſiacenſi deducta, vt honeſto cultu in Aula Ducis eo loci ſe contineat aduſque ſententiã Martini Pontificis: Hannoniæ adminiſtratio Brabanto reddita, dimiſſis præſidiis & exercitu, veniaque data rebellioni.

An. 1425. Ad Kal. Septembris Iacoba animoſa viriliſque animi fœmina auxilio Theodorici Mervvedij ſumpto virili habitu de noctu cum paucis Gandavo fugit, nec curſum intermittit, donec Antvverpiam, indeque perveniat in Hollandiam. Philippus graviter permotus à Brabanto accipit procurationem Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, atque eveſtigio Iacobam ſequitur. Dordraci, Roterodami, Leydæ, Delfis, Amſterdami, Hagæ, Harlemi, lociſque nonnullis aliis liberaliter excipitur.

An. 1425. Lutetię Concilio Betfordius convocato irritum curat judicari duellum inter Philippum & Gloceſtrium condictum. Talem cauſſam duello nihil egere, tranſmittenſque in Angliam fratrem graviter increpat de duello inimicitiiſque cum Burgundione ſuſceptis, totumque negotium illius certaminis impedit. Philippus ducenta millia nummûm petit à Flandris pro ſumptibus bellicis: centum illi millia tradita, ea lege vt pacem & mercaturam Anglicam Flandri ſibi retineant, quod miſſis in Angliam Legatis curatum eſt.

Bellum cœptũ inter Philippum & Iacobã, in quo Cabeliauci altera Hollandorũ factio Philippo, Houci verò Iacobę potenter adfuerunt. Schonhovia, Gouda, Oudevvater, Viana, Montfordia, Kermerlãdi, Alcmarij cum ditione Eccleſię Trajectenſis à Iacobæ quoq. partibus ſteterũt, à quibus nec alie-

nus

nus erat Rodolphus Diephold Trajectēsium Episcopus. Mittit præterea Gloceſtrius tria circiter millia Anglorum Iacobæ ſupperias. Horum Dux erat Dominus à Filvvatere Appellunt in Scaldiam, ſeu Scaudiam (vulgò Schauwen) Zelandiæ Inſulam. Burgundio Procurator Hollandiæ & Zelandiæ haud ſegniter ſuas adunat copias, illiſque occurrit inter Quamaiam & portum vulgo dictum Brauwerſhaven, juxta Zirixçam. pugnatum haud procul ab illo portu, & Burgundio victoria potitur. Ceciderunt ex Nobilibus Equitibus Hollandiæ & Zelandiæ, qui pro Iacoba venerant, Coſtus Hamſteda, Ioannes Reneſſius, Ioannes Hoenpijl, Andreas van V Valims, Nicolaus Soen, Florentius Hamſteda, Raſo Hamſteda, Raſo Cruningus, Ioannes Sapinus, Coſmus Herneſſius. Alij permulti Houci & Zelandi Iacobæ militantes interfecti. Ex Zelandis Philippo ante alios fortiter adfuerunt Zirixæi & Verienſes & Borſalienſes, qui Hamſtedam ac Dominum quoque van Catto interfecerunt. Multi à Philippo Baltheo Equeſtri donati ob inſignem hîc navatam operam; ex quibus invenio Franconem Borſalium, eundem Dominum Aggeris Sancti Martini, Henricum Verienſem Toparcham, Ioannē à Flandria Dominum de Praet & V Voeſtina, Ioannem Egmondanum, Ioannem Halovvinum, Ioannem V Vittonem Oorſcampi & Heylæ Dominum. His ita geſtis, Philippus diſpoſitis per Hollandiam præſidiis in Flandriam revertit, novum delectum habet, augetque exercitum reverſurus adulto Vere in Hollandiam.

Quarto die Aprilis Iacoba Bavara fortis & animoſa mulier, auxiliantibus Schonhoviis, Goudanis, Oudevvatriis, Kermerlandis & clientibus Eccleſiæ Trajectenſis obſidet per ſpatium quatuor hebdomadarum oppidum Harlem, nihilque tutum, nihilque inconcuſſum in circuitu relinquit, pagos multos incēdit, multos item circa Delfos corruptis maris aggeribus & ſeptis demergit. Præfectus præſidij apud Harlem

erat Rolandus VVtkerckanus fortis Eques cum filio Domini Isanbergensis & aliquanto numero militum. Ioannes autem VVtkerkanus cum Flandris, Hollandis, Zelandisque circiter octingentis Rolando patri opem laturus, priusquã Dux esset paratus, in Hollandiam præcedit, atque Leydam vsque pervenit: sed quum inde Harlem petit, Iacoba omissa obsidione occurrit illi ad Alphen vicum super Rhenum, vbi circumventus hostium insidiis, loco iniquo pugnare cogitur, amissisque ex suis circiter quingentis ipse ægrè cum paucis evadit. Creati Equites à Iacoba, quæ pugnæ intererat, Ioannes à VVassenaer, Ioannes à Longoraco, Henricus Cranenburgẽsis, Everardus nothus Hollandiæ,[a] Theodoricus à Mervveda, Gerardus Poelgeest, & Arnoldus Gandensis. Hæc pridie Kalendas Maias mane prima luce. Iacoba victrix Goudam se recepit, & suos mittit ad Hornas in finibus Frisiorum, vt id oppidi capiant, vbi præsidio erant Ioannes Villarius & Ioannes nothus Fani Pauli cum quingentis selectis pugnatoribus; qui summa virtute erumpentes, cum hostibus feliciter dimicant, & quadringentos circiter interficiunt, vulneratis graviter permultis. Multa alia facta parva prælia, quæ longum sit narrare, sed vincentibus ferè Burgundis exercitatissimis ad arma, habentibusque satis bellicorum tormentorum, quibus carebãt Hollandi. Tum quoque plura loca Frisiæ & Hollandiæ vltrò in Philippi venêre potestatem.

a *De eodem est supra.*

An. 1426. Movet Philippus in Hollandiam, oppidumq. Zevenbergã nomine terra mariq. potenter obsidet. Loci Dominus (nomẽ non lego) fortissimo præfuit præsidio, ac partes Iacobę acerrimè defendit contra vicina oppida quæ Burgundioni se subdiderãt. Productum obsidium in tres totos menses & amplius. Tandem coacti inopia cives secessionem à Præfecto suo faciunt, & cum Philippo paciscuntur principio Aprilis, deduntque illi oppidum, vita fortunisque salvis. Naves omnes armaque Ducí tradita, captivi ex Burgundis Moyencurius, Her-

Herclius,& quidam alij redditi.Sevenbergenſis captivus miſſus in Flandriam,& Inſulæ ſervatus. Exercitum Philippi peſtilētia tentare cœpit, Nobiles viros Hymbercurium & Mauricium à Fano Leodegarij cum nonnullis aliis abſumpſit. Hæc in hyeme geſta referunt Annales Hollandiæ annum exordientes a Kal. Ianuariis. Zevenbergius queſtus graviter de conditionibus nonnullis ſibi malè ſervatis patria extorris ad inopiam devenit,in qua vitā finivit. Betfordius inter Gloceſtrium & Burgundionem inducias componit, ſperans ſe pacem brevi facturum. Martinus Epiſcopus vrbis Romæ,quem Papam vocamus,judicat matrimonium Gloceſtrij cum Iacoba Bavara contractum nullius eſſe momenti,ſed adulterium eſſe,ita vt ſi mors fortè Brabanti intercedat, haud tamen licere Gloceſtrio Iacobam habere vxorem. Eo Gloceſtrius audito nuncio, Leonoram quandam Gobatriam Anglam matrimonio ſibi jungit, quamvis natalibus longè ſibi imparem, quæ ejus fuerat amica,de qua & fama erat à pluribus viris fuiſſe cognitam,& quæ Iacobam comitata fuerat ex Anglia ſua in Belgicam.

XV Kal. Maias moritur Bruxellæ Ioannes Dux Brabantiæ,piè quidem ac modis omnibus Chriſtianè. Sepulturæ datus eſt apud Fuernam in Æde Ioanni Euangeliſtæ ſacra, juxta patris Antonij tumulum annum agens ætatis vigeſimum quartum. Ita,altero abjudicato,altero defuncto,ambos amittit Bavara maritos. *An. 1426.*

Scandoverium in Cameracenſibus, quod erat Ludovici fratris nothi Iacobæ,datū Ioanni Lucēburgenſi. Erat nothus illePhilippo inviſus propter partes quas tuebatur Iacobæ.

Eodem anno Kermerij & alij quidam magna coacta manu munitiones multas proſternunt,vt Hemskerck, Brederodum,Aſſendelft,Heilegerſbergam,Cralingam,Spangam. Simul ijdem Kermerij inV Vaterlandia Monachodam,Edam, Purmerendā, Medenblick,& Enchuyſam oppidula capiunt:

Hornas obsident,sed capere non valent,suumque Tribunum Gulielmum Naghel ibi amittunt, interfectum ab erumpentibus oppidanis.

An. 1427. Post decessum Ducis Brabantiæ procurationem Hannoniæ accipit Dux Philippus;ducit dehinc ex portu Sluſa exercitum in Hollandiam,vt rebellionem defectionemque quorundam compescat,qui in ejus prius juraverant verba. Obsidet oppidum Amerfordiam,tum situ,tum defensoribus munitissimum. Cinctum erat dumis densissimis fossisque perenni aqua stagnantibus. Hæc oppugatio diu tenuit,aspera & terribilis,Hîc se philippus magno exposuit periculo : transiit aquam & fossas, pugnavitque sua manu in propugnatores, qui magno erant numero,& viri robustissimi,pro patria,aris, focisque decertantes. Amisit hîc philippus Ioannem à Bosco telo balistario interfectum,cum aliis quibusdam Nobilibus impigrè dimicantibus. Coactus est tandem canere receptui, seque propter ingens periculum ab oppido retrahere. Ædificavit Amsterdami grandem navem, quæ instar valli esse videbatur,quam Cattum dixêre. Eam in Emma fluvio locat contra Trajectenses Iacobæ fœderatos . Delfis & Roterodami,quod & ipsi lubrica agerent fide,ac Iacobæ se reddere tentarent,securi multos percussit. Kermerlandos, VVesturos, Teslandos seu Texandros subjugat . In Dordracenses quoq. nonnullos capitali supplicio animadvertit. Delfis quidam Mosellani Ioannem Egmondanum Sculretam cum civibus quinque interfecerunt;quã cædem viri ex illis duodecim capite luerunt. Commissa & apud VVieringam pugna navalis inter Gulielmum Brederodium Iacobæ Ducem & Harlemenses, Hornenses, Amsterdamos, alioſque Burgundioni fœderatos. Hoc prælio victus & captus est Brederodius cum multis suæ factionis : ex quibus octoginta decollati, sed Brederodius gratiam obtinuit.

In Hollandia omnia philippi erant præter Sconhoviã, Oudevvatriam,

levvatriam,& Goudam;vbi se Iacoba consobrina ejus conti-
nebat. Contra ea oppida Philippus Ioannem Villarium, A-
damæum, & Leonellum Bornovillam cum præsidiis satis
magnis relinquit, seque in Flandriam recipit.

Ex portu Slusensi magnis Philippus copiis petit Hollandi- *An. 1428.*
am, statimque Goudam & in illa Iacobam obsidet. Goudani
timore perterriti consiliũ dant Iacobæ vt cum Philippo ple-
nam ac solidam faciat pacẽ. Igitur Iacoba Philippum verum
agnoscit suum hæredem, vt à morte ejus in Hannoniam, a *8. Iulij, aut secundum alios* 4 *Maij.*
Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam succedat, ipsumq. horum
principatuum Præsidem ac Procuratorem creat. Promittit in-
super se nulli nupturam, nisi de consensu Philippi & civita-
tum suorum Principatuum. Sibi pro victu ac dignitate sua re-
ditus & vectigalia ampla retinet, possidendaque accipit in
vita Comitatum Oostervandiæ, Zuytbevelandiam, Terram
Brilensem, Vorensem, & quædã alia. Compositis item rebus
cum Episcopo Trajectensi, Franconem Borsaliensem Philip-
pus pro se constituit Præsidem Hollandiæ, Zelandiæ, & Fri-
siæ, & in Flandriam exercitum reduxit. Philippus Houcos
& Cabeliaucos pessimas factiones Hollandiæ compescuit.

Mense Iulio Iacoba Bavara clam nubit Franconi Borsali- *An. 1433.*
ensi ex Nobilitate Zelãdica Pactũ erat ne inconsulto Philip-
po nuberet. Hinc offensus Philippus Franconẽ capit, ac Ru-
pelmondæ custodit. Rumor erat decollatum iri. Iacoba valde
solicita, intercedentibus amicis, virum liberat: sed Philippo
Hannoniam, Hollandiam, Zelandiã, & Frisiam transcribit.
Ostervandiam cum aliis supra memoratis Borsalien si Philip-
pus assignat, qui Iacobam sibi retinet vxorem cum omnibus
vectigalibus Hollandiæ & Zelandiæ.

VIII Idus Octobr. finem viyendi fecit illustris fœmina *An. 1436.*
Iacoba Bavara absque vllis liberis, adiitque Philippus proxi-
mus ejus hæres omnes ipsius ditiones. Sepulta est apud Ha-
gam-Comitis in Hollandia.

Quisquis

Quisquis ades, magni tumulum reverere Philippi,
Aurato insignem vellere nonne vides?
Cui Trajectinam, quem rexit a Filius, urbem:
Cui b Regem debet Gallia tota suum.
Quid referam eximios pulchræ virtutis honores,
Qui merui vivus nomen habere BONI?
I nunc, perge memor tàm rari Principis Hospes,
Felicemque urnam hanc crede tuosque oculos.

a *David Burgundius.*
b *Ludovicum Delphinum.*

PHI-

PHILIPPVS BONVS, COMES XXIX.

PHilippus accepto à nepte Comitatu Hollandiæ, quum esset ob quasdã res infenso in Regem Anglorũ animo, Caliſiam in Flandrorum finibus ſitam vrbem tanta armatorum manu obſediſſe dicitur, vt ſoli aurigæ, qui bellica inſtrumenta aliaque ad militiam neceſſaria cò advexerant, ſufficere potuerint ad vrbem expugnandam. Cæterùm antequam Caliſia tentari cœpta, obſidio ſoluta eſt diſceſſu Gandavorum & Brugenſium, pro quorum ardore iraque nimis pigrè Philippus omnia faciebat. Idem Princeps non multo poſt in Haga Comitis primus Aurei Velleris habuit Comitia. Filium ſuum, cui [a] Davidi nomen, gementibus atque invitis Trajectenſibus, Antiſtitem vrbis fecit. Hoc etiam adnitente Ludovico Delphinus Galliæ Principatum eſt adeptus Et Philippus quum per hæc aliaque virtutis opera quatuor & triginta annis Comes Hollandiæ fuiſſet, Brugis morbo gravi affectus, vita deceſſit.

Prima Comitia Velleris Aurei Hagæ.

David Epiſcopus Trajectenſium.

[a] *Erat nie David notha Philippi.*

Ex Meieri Annal. lib. XVI.

Hollandi duce Henrico Domino Verienſi, junctis ſibi exlibus, latronibus, & homicidis grandi numero piraticã exercent. Mercatores Hiſpanos maximeque Orientales Flandriam petentes deprædantur, eorumque naves apud Sluſam, Heys, Blanckenbergam, & Oſtendam invadunt. In Feriis vero Divi Matthiæ Apoſtoli Cadſant inſulam aggreſſi, omnibus penè bonis incolas ſpoliaverunt. Habebant tum Hollandi bellum cum Orientalibus, hoc eſt, civitatibus Hamburgo, Lunenburgo, V Viſmer, & Roſtic, quod totum tenuit triennium, vincentibus ſæpe Hollandis.

An. 1439.

An. 1440 In Feriis Divi Bartholomæi Apoſtoli arſit Gouda Hollandiæ penè tota.

An. 1441. Concordia quædem inita apud Coppenhaven inter Hollandos & Orientales, qui ſunt Lubecenſes, Hamburgenſes, Luneburgenſeſque cum aliis civitatibus, pactæque induciæ in annos duodecim. Ceperant Hollandi hoc bello totam claſſem Orientalium ſale onuſtam redeuntemque ex Baia, teſte Alberto Crantzio. Nam Pruſſij (inquit) deſertis locis cum viginti tribus navibus fugere conati, primùm in Hollandorum venere poteſtatem: dehinc & reliqua claſſis tota. Erant enim cum Pruſsiis Livonij, & Vandali cum Lubecenſibus (puto) & Hamburgenſibus. Lege Crantzium lib. XI. Cap. XXIX. Navibus rebuſque omnibus contenti Hollandi neminem captivum tenuerunt, nec victum interfecerunt, ſed omnes in littora abicerunt.

Captum à Philippo oppidum VVoerden cum caſtello: obſeſsa Amerfordia, adeoq. graviter defenſa, vt amiſso quodam Nobili viro Dux coactus ſit obſidionem relinquere.

An. 1445. Ad Ferias Divi Andreæ Apoſtoli habita Comitia ſummi Ordinis Aurei Velleris Gandavi. Tranſlata ibi Comitia poſthac habenda ſemper VI Nonas Maij, idque ſemel dumtaxat in triennio, aut eo tardius propter certas cauſas. Defuncti tunc fuêre Proceres Ordinis, Antonius Vergiacus Dominus Champlitæ, Ioannes Luceburgenſis Comes Ligniacus, &c. In horum ſubſtituti loca, Alfonſus Rex Aragoniæ, Siciliæ, & Neapoli; Franco Borſalienſis, Comes Oſterbantij; Reginaldus Dominus Brederodius & Vianę; Henricus Borſalienſis, Dominus Verienſis, &c.

An. 1445 Apud Leydam Hollandiæ magna ſeditio Houcorum & Cabbeliaucorum. Victi Houci, in cœmiterium profugiunt Divi Pancratij Martyris, & multi vulnerantur. Philippus eo profectus, animadvertit in quoſdam capitis ſupplicio, alios ſe multo ære redimentibus: ordinatiſque Hollandiæ rebus, re-

verrit

vertit in Brabantiam. Goesvvinus Hollandiæ præses, & Philippus Baenyaert Præfectus Castelli Medenblic, ob quadam quæ sibi mutuo obijciebant crimina ambo capti sunt. Post menses autem duodeviginti Præses apud Loevesteyn decollatur, Baenyardus pristinæ dignitati restituitur.

Quarto Idus Aprilis, Dominica palmarum, tempestas ingens ventorum, grandinis, nivis & imbrium, per Hollandiam, Zelandiam, Frisiam Brabantiam & Flandriam plurimum dedit damni. Addunt quidam maris stagnationem.

Philippus propter amissum præstantissimum filium gravi dolore affectus, vt illum vlciscceretur XII Kal. Iulij VVasiam ingreditur. Cum eo Verienſis & Arnetanus Procurator Hollandiæ cum tribus milibus Hollandorum, quorum maxima pars balistarij. Pagos & munitiones fere omnes Philippus absque vlla misericordia incendit, omnesque tandem ad vnum deleviſſet, nisi magno accurrissent numero agricolæ nermes, supplices, nudis calcibus, veniam & misericordiam magnis vocibus flagitantes; quorum Dux motus precibus, incendia jussit sisti, &c. An. 1456.

Philippus in Hollandia secum habens quatuordecim mil ia pugnatorum, apud Hagam Comitis VI Nonas Maias Comitia habuit summi Ordinis Aurei Velleris. Vocabant hac Comitia Capitulum Ordinis decimum septimum. His apud Hagam peractis, Philippus Leydam, acinde Iselstainum duxit, vt filium Trajecti statuat Episcopum, &c. An. 1457.

Engerrannus refert sub exitum mensis Iulij Dordracum Hollandiæ incendio fortuito deflagrasse, duoque millia domorum, & multos mortales periisse. An. 1458.

Quum apud Harlem Hollandiæ hoc aut superiore anno ministri Ecclesiæ gravarentur onere vectigalium, quos vocant assisias, Nicolaus van Yperen Consul oppidi, & Gerardus Norvicensis Senator cum Scriba Gulielmo Paed, ab VValravio Notho Domini Bredenrodij interficiuntur, in-

ſcio patre Bredenrodio. Hunc motum Antonius Nothus Burgundiæ, eò profectus, cum exercitu compeſcuit.

An. 1467. Pridie Idus Iulias ad veſperam occœpit Philippus Brugis in Regia graviter agrotare. Decimo autem ſeptimo Kalendas Auguſti vox vſuſque loquendi illum deſtituit. Finem autem vivendi fecit eodem die ad veſperam inter horam nonã & decimam, Regni ſui anno XLVIII, ætatis LXXI. Dominico die inſequenti ſepultus ad Donationi, donec transferretur Divionem Burgundiæ.

Hannibal

Hannibal in caſtris, Romanus in agmine Cæſar,
In pugnis Macedo, Carolus Vnus erat.
Sic triplici geſtans invictum pectore pectus,
Vertit Eburonum mœnia capta ſolo.
Mox quoque Menapios, Leucorumque aſpera colla
Invicto victor ſubdidit imperio.
Occubuit tandem Nanci: nunc, ut prius armis,
Nomine ſic Martis vivit, Olympe cares.

CAROLVS BELLICOSVS,
COMES XXXI.

HVic ſucceſſit filius Carolus, rerum geſtarum magnitudine patre ſuperior, & vt ille conſilio prudentior, ita hic animo magnificentior; qui quum eſſet Hollandiæ Comitatui inauguratus, non magno poſt tempore ingenti conflato exercitu in Leodinorum agrum profectus, ob conjectum in vincula Ludovicum Borbonium ipſorum Antiſtitem perneceſſarium ſuum, eorum vrbem acri bello expugnavit, expugnatam diripuit, direptamque evertit. Poſt Leodij excidium hic Princeps militari virtute nullo ſuperiorum Comitum inferior alia multa bella geſsit, mira celeritate ſemper atque ardore; quo apud poſteros eſt conſequutus, vt Carolus jam non hominis, ſed bellicæ fortitudinis nomen habeatur. Apud Nantium, quod extremo tempore obſidione cinxerat, tribus perfoſſus vulneribus periit pridie Epiphaniæ. Quo Duce extincto in ipſo ætatis & rerum proſperè geſtarum flore, diuturnus apud omnes totamque Hollandiam luctus fuit. Sed nec Principis ſui amantiſsimæ gentes, cadis nuncio fidem primùm habuêre, quòd vt fortiſsimum Ducē, ſic invictum crediderant. Annus ille, quo Dux tam nobilis ante Nantium caſus eſt, fuit humanæ Salutis M. CCCC. LXXVI. Ita colligit Sabbellicus. Alij duos adjiciunt: Rurſus alij quinque ſubtrahunt annos Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti. Cum Sabellico vulgus conſentit, conſentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit.

Leodium expugnatū & everſum

Laus Caroli.

Carolus apud Nantium confoditur.

Ex Meieri Annal. lib. XVII.

An. 1467. Carolus paterni imperij ex aſſe hæres IV Kal. Iulias, qui dies erat Dominicus, Gandavi ſolenniter inauguratur.

Carolus re feliciter geſta apud Leodium creavit Equites (teſte

(teſte Brabantino) trecentos ; quorum erant ex numero Ioannes Cruningus, Zvvederus a Montfordio, Albertus van Scaghen, &c.

Ad XII Novemb multa loca maritima in gravi fuêre di- *An. 1468.*
ſcrimine propter altitudinem aſtus marini, damnique multum acceptum, praſertim in ſeptis & aggeribus maris aut ruptis aut luxatis per Hollandiam, Zelandiam, & Flandriam.

Carolus menſe Iulio cum Margareta vxore venit Brugas. *An. 1469.*
Inde conceſſit in Hollandiam, vbi cauſis cognoſcendis libelliſque ſupplicibus recipiendis ternis in hebdomada vacavit diebus.

Apud Hagam Hollandiæ Feriis Apoſtolorum Simonis & Iudæ orta rixa & pugna inter caculas Principis, adeò effrenis vt vnus ex illis natione Burgundus interficeretur. Erant fermè omnes Nobilium liberi. Carolus ad viginti ſex in clauſam coactos aream jubet ſeſe mutuo virgis cædere quoad ſatis eſſe videretur. Inde concione ad illos habita vetat ſub pœna patibuli ne in poſterum inter ſe tales rixas pugnaſque concitent. *Carolus in cacula ſuos animadvertit.*

Principio Martij Richardus de Nova Villa Comes Varvicenſis, ingenio vir vario & doloſo, ſed maxima pollens authoritate in Anglia, petente Rege Gallo piratam agit in noſtro mari, multaſque naves mercatorum Flandriæ, Hollandiæ & Zelandiæ, revertentes ab Rupella capit. Carolus Princeps certos homines res repetitum mittit: recuſat pirata reddere, ſed poſtea tamen victus in mari à Domino Scalenſi Anglo, partem illarum reſtituere cogitur.

Vir erat Varvicus ingenio peſſimo, pacis hoſtis, oſor quie- *An. 1470.*
tis, proditor perfidiſſimus à ſcriptoribus nominatus. Antea Henricum VI Regno privarat: ejus neceſſarios per ſcelus interfecerat : Edouardum Eboracenſem in ſolium locarat: Nunc viceverſa in gratiam Galli Edouardum pellit, & Henricum ad diadema revocat, ſeque Regni Procuratorem facit.

Pirati-

Piraticam (vt diximus) exercet, capitque noſtros mercatores. Contra hunc piratam Carolus claſſem celeriter inſtruere cogitur viginti quatuor magnarum navium præter multa navigia minora. Huic Henricum Borſalium Veræ Regulum præficit, vt piratis obſiſtat. Sub Kal. Iunias Varvicus & Clarentius, quamvis bellum non eſſet, ex Honfluctu, Harfluctu, Diepa, Cæſaroburgo, totoque illo littore prædas agunt ex mari, Flandricas, Hollandicas, Zelandicaſque naves capiunt: captos mercatores, pauperesque piſcatores mari ſubmergunt. Toto menſe Iunio apud Hondefluctum Varuicus ſe continet, totumque mare fœdus pirata noſtris reddit infeſtum. Sexto decimo Kal. Iulias promiſſo Carolo à ſuis provinciis excepta Burgundia ſingulis annis pro ære militari centũ viginti milia coronatorum per triennium. Et tandem XVII Kal. Iulias duce Henrico Verienſi ſolvit noſtra claſſis, ex Flandria, Hollandia, & Zelandia adunata, petitque Normandiæ littora, & hoſtium latrocinia coërcet. Sed Varuicus naves ſuas (inquit Luxovius) conſtituit vbique in portubus & locis tutis, nec ad manus auſus eſt venire aut prodire in apertum mare. Fgit tunc Varuicus Rotomagi, vbi primum petitum à Rege Franciæ ne Anglis liceret prædas ſuas vendere: quæ res lachrymas Varuico excuſsiſſe traditur. Dehinc tamen omnia quæ erant furati vendiderunt avaris Gallorum mercatoribus.

Decimo Kal. Iulias redit Dux ex Zelandia Brugas.

Adol Geldr. impietas erga patrem.

Adolphus Geldrius ingratus & rebellis filius parentem ſuum Arnoldum Ducem Geldriæ captum tenebat in arce Burenſi, Ducatumque Geldriæ & Comitatum Zutphaniæ per tyrannidem invaſerat. Hortantur autem Carolum Principem Paulus Pontifex Romanus & Fridericus Imperator vt pacem inter patrem filiumque componat. Fo in negotio ita agit Carolus vt cum patre Adolphus cum fide publica ad ſe concedat Hiſdinum: ſed Adolphus, quum minus ſolito ſibi videt haberi honoris, ſuſpicatus neſcio quid mali, non fiſus

Carolus arbiter inter patrem & filium.

Carolo

Carolo clam Hisdino aufugit cum duobus tantummodo equis, qui tamen vbi Namurcū perveniſſet ex itinere retrahitur, & Vilfordiæ primū, inde Curtraci aduſq. Caroli obitum cuſtoditur. Habebat Adolphus in matrimonio Catharinam sororem Iſabellæ Borboniæ defunctæ vxoris Caroli Ducis, indeque liberos Carolum & Catharinā. Erat & Eques Aurei Velleris Carolo admodum charus Itaque Carolus mandato cum Papæ tum Imperatoris arbiter & diſceptator conſtitutus adjudicat filio poſſeſſionem Geldriæ, præter ſolam Graviam Moſæ oppidū, quod patri aſſignat Arnoldo in vita cum fenis florenorū milibus annuis. Defert inſuper Adolpho Procurationem Burgundiæ: ſed ſocors & contumax filius reſpondit (inquit Cominius, qui interfuit) ſe malle præcipitem dare parentem in puteum, & ſeipſum deinde eodem conijcere potius, quam ejuſmodi conditiones accipere. Iuſte ergo in cuſtodiam rejectus eſt, ad miſeramque poſtea mortem juſte pervenit. Eſt qui refert oſtēſas Hiſdini à Carolo literas Adolphi manu ad quoſdam ſcriptas de conjuratione contra Carolum facienda, putabaturque factitatum fuiſſe per Regem Gallum, qui quoſcunque potuit Caroli familiares & amicos magnis corrupit donis, deditque ſedulo operam vt Carolo vbique terrarum faceret inimicos.

Sub Ferias Divi Laurentij Martyris filius ſororis Pauli Papæ Romani, Sigiſmundus Dux Auſtriæ, Legati item Venetorum & plurium gentium, venerunt ad Carolum agentem tunc apud Hagam Hollandiæ.

In Hollandia capti hoc anno ab Epiſcopo Trajectenſi David Reynoldus Brederodius Eques ſummi Ordinis cum 1480.
Valravio filio notho, cum fratre Giſberto Præpoſito Dominici Trajectenſis, & Ioanne Amerongio Scuteta Trajectenſi; qui omnes ſervati ſunt apud Doreſtadium duos per annos in cuſtodia, donec per ſententiam Ordinis Aurei Velleris reſtituti ſunt libertati.

Eduardus Rex valde turbatus & pavidus, hoſtibus reſiſtere conatur, ſed ſtatim ab iis quibus maxime fidebat deſeritur, fugamque facere cogitur. Capto conſilio ex re præſenti cum Richardo fratre aliisque paucis ad oppidum Lynum mari ſe credit, atque cum mercatoribus Hollandiæ dura navigatione tandem in oram Friſiæ ad Teſſelam appellit ſub VII Idus Octobris, quando ſunt Feriæ Divi Dionyſij Martyris. Acceptus autem perhumaniter ab Ludovico Gruthuſio Præfecto Hollandiæ, hæſit ad Hagam Hollandicam aduſque Natalem fere Dominicum priuſquam veniret in Flandriam.

Pars comitum Eduardi Regis (erant ad CCCC) eo deſerto fugiunt ex Hollandia Caleſiam, veniam orant ac tranſeunt mare ad parteis Regis Henrici.

Ad ſextum Idus Martias Eduardus Rex comparata bona claſſe & exercitu ſolvit magno animo ex Zelandia, appulitque multo labore in portum qui Ravenis dicitur, agri Eboracenſis, ibique deſcenſum fecit.

An. 1472. Sub Ferias Divi Bartholomæi Apoſtoli apud Zirixæam in Scaldia magnus coortus motus multitudinis adverſus ſuos rectores; in quo interfecti Iacobus Ianſonius Preſbyter Proviſor terræ VValachriæ, & Michael ab Cattendico Prætor oppidi Zirixæani, ideo quod novum quoddam vectigal imponerent communitati. Miſſi cum magnis cohortibus Zirixęam Adolphus Raveſtanus & Antonius Burgundio Caroli frater. Authores motus, qui multi erant, capite luunt, fugiuntque plus minus ducenti metuentes ne accuſarentur, & grandi ære oppidum multatur.

In mari capti piſcatores noſtri à Gallis captionem haringarum ſeu halecum impedientibus. Erat quædam navis Gallica ingenti magnitudine, (Columnam appellabant) ea plurimum intulit damni. Captę vno quodã die octodecim piſcatoriæ naves Hollandicæ, quanquã Paulus filius nothus Henrici Verenſis Præfectus maris noſtros quantum poſſet defenderet,

ieret. Centũ coronatos à ſingulis captis gubernatoribus ex-
orſerunt, vſq. Nortvvijc & Catvvijc ſæpe Hollandos ſecuti.
Ludovico Gruthuſio principi Steenhuſij Eduardus Rex
Anglię dedit Comitatum V Vinceſtrię in Anglia, vt memor
beneficiorum ab eo acceptorum, cum in Hollandia & Flan-
dria exularet, gratiam illi reponeret.

VII Idus Septembris pridie Natalis Virginis Deiparæ emit
Carolus de Arnoldo Duce Gelriæ jus Ducatus Geldriæ & Co-
mitatus Zutphaniæ XCII milibus aureorum Rhenenſium, &
certis annuis reditibus decem annorum, præſentibus Ioanne
Duce Clivienſi, Gulielmo Egmondano fratre ejus, cum aliis
Nobilibus. Ius item in Geldriã & Zutphaniam Gerardi Ducis
Iuliacenſis emit poſtea Carolus LXXX milibus nummûm.
Arnoldus nempe Dux Geldrię filium ſuum Adolphũ contu-
nacẽ atque rebellem jure optimo exhæredavit, ſuaq. omnia
Carolo cum venditione, tum jure teſtamenti aſſignavit.

Septimo Kal. Martias pridie Feriarum Divi Matthiæ A- An. 1477.
poſtoli Graviæ oppido Geldriæ obiit Arnoldus Dux Geldrię
condito prius teſtamento, in quo prętcrito Adolpho contu-
naci filio Carolum Principem ſcripſit ex aſſe hęredem. Hoc
exemplum ſi patres ſatis multi ſequerẽtur, multo magis mo-
rigeros haberent filios. Antiqui olim Romani, donec erant
uſti tenaces, liberos ſuos improbos & rebelles omnibus te-
ſtamentis ſolebant excludere.

Sexto Nonas Maij Conventus Aurei Velleris Valentia-
nis in Æde Divi Pauli Apoſtoli. Defuncti fuerant Petrus Bel-
romontius Dominus Charniacus, Antonius Croyacus, Io-
annes à Creciaco Dominus Canaplæ, Franco Borſalienſis,
Comes Oſtrovandiæ, Theobaldus à Novo Caſtello Mare-
chalcus Burgundiæ, Claudius à Monteacuto Dominus Con-
charũ, Iacobus Borbonius frater Ducis Borbonij. Horũ ſur-
rogati in loca Fernandus Rex Neapolitanus & Siciliæ, Ioan-
nes ab Rubiprato Dominus Bevernenſis, Philippus Croyacus

Comes Chimacenſis, Ioannes Luceburgenſis Comes Marlenſis, Guido Brimæus Comes in Mengem, Dominus idem in Humbercuria, Engelbertus Comes Naſſovienſis, Dominus idem Bredanus, Philippus Sabaudus. In his Comitiis Adolpho Geldrenſi fratri Ordinis perpetuus decretus carcer, quod patrem ſuum annos ſex tenuiſſet captivum, illumque ſpoliaſſet Principatu. Soluto Conventu Valentianenſi, qui erat ab inſtituto Ordine vigeſimus Carolus profectus Trajecti in Moſæ maximum cogit exercitum Gelriæ domandæ: quæ contempta & rejecta ejus emptione admittere eum pro Duce recuſavit. Primum omnium Ruremunda, Cuyck, & Keſſela ejus ſe poteſtati permiſerunt. Inde die Mercurij Feriis Pentecoſtes Lorna, Sitters, Zuſteræ, Echta, Bruconium validum caſtellū multis tormentis concuſſum (quæ oppida Vincentius Comes Moriarum pignori acceperat ab Reginaldo Comite Gelriæ) in deditionem venerunt fugiente Moræo: cui tamen Vincentio poſtea Carolus hæc omnia in fide & clientela tenere permiſit. Sub Ferias corporis Chriſti Venlo potens oppidum plurimis tormentorum ictibus vrgeri cœptum; quod oppidum quamvis ſe ſtrenuè defenderet, longè tamen impar Ducis viribus ad XIV Kal. Iulias venit in deditionem. Eodem die Gerardus Dux Iuliacenſis & filij ejus Gulielmus & Adolphus quod intelligerent brevi totam ſubactum iri Geldriam ad Carolum concedunt, illique omne jus ſuum quod habebant in Geldriam & Zutphaniam, probante & confirmante Frederico Imperatore, LXXX milibus florenorum Rhenenſium vendunt. Fama quippe erat optimo Iuliacenſem jure Geldriæ Ducatum petere: eratque ab Imperatore admiſſus & inveſtitus: quamvis obſtantibus Gelriis poſſeſſionem nunquam potuit obtinere. Hæc acta inter ineffabiles tolis ardores, ſimilem enim æſtatem magnitudine caloris nemo meminerat.

Inter hæc omnia feliciter ceſſerunt in Geldria, vbi hæc oppida

pida Gochtum, Strala, Ghelra, Gravia, VVachtendonca, Tiela, Bommila, Erclens, Bueren & Lerdam absque obstaculo se dediderunt. Quinto Nonas Iulias obsessum Noviomagium caput gentis, & vetus oppidum bene munitum. Hi statim omni imbelli multitudini, vt matronis, virginibus, nonnis, senibus & pueris, ægris, infirmis, & debilibus, oppido egrediendi discedendique potestatem fecerunt: Ex quibus complures abiverunt. Hi semper contumaces & rebelles fuerant Arnoldo Duci seni, filioque Adolpho auctores patris in arctissima tenendi custodia: ob quam injuriam tandem Dux Principatum suum divendidit. Præfectus illis erat Reynerus Bruchusius Ordinis Equestris, filius sororis Reginaldi Brederodij. Carolum Ducem suum puerum octennem parvo imposítum equo, cum parvo arcu in manu, circumducunt per mœnia, vt propinquatoribus animum addunt. Hîc postquã nostri castra posuerant, ingentem tormentorũ vim nec portæ nec muri ferre valuerunt. Ante finem mensis turres, portæ, muri, propugnacula concussa, confracta, ac solo prope jacebant prostrata. Habebat Carolus sexcentos electissimos sagittarios Anglos, qui quadam oppugnatione vi oppidum cepissent, si Burgundiones, vt promiserant, fuissent secuti: sed pars bona super muros interfecti sunt: quorum capta vexilla oppidani super muros & portas statuerunt. Postquam hebdomadas circiter treis se defendissent, deprecatore vsi Ioanne Duce Cliviorum, vitam à Carolo pacti, imperata se facturos promiserunt. Procubuerunt ad pedes ejus veniam petentes solventesque LXXX milia florenorum. Carolus oppidum pridie Feriarum Divorum Iacobi & Christophori ingreditur Duxque publicè inauguratur terræ Geldricæ. Traditi ei parvi liberi Adolphi captivi Carolus & Philippa, quos osculatus statim misit Gandavum ad Margaritam vxorem in aula educandos. Horum puerorum mater soror erat Isabellæ Borboniæ vxoris Caroli defunctę. Recepti sunt pueri honorificè

Gandavi x Kal. Septembris pridie Bartholomæi Apoſtoli. Inde reliqua loca, vt Lobeca ad divortium Rheni & VValis, Zutphania, & quæ trans Iſalam fluvium ſunt, Daventria, Zvvolli, Campi, Arnhem, hoc eſt, DOMUS AQUILÆ, Hardervicus, Grolla, Duetechum, Hatten, Elburgus, Dosburgus, Oldēburgus cum Oſvvaldo ſuo Regulo in deditionem venerunt: inſtituitque Dux Curiam genti & Conventum juridicum apud DOMUM AQUILÆ, Preſide Gulielmo Egmondano Iſelſtanorum Regulo cum Adolpho à Marchia Iureconſulto Ordinis Equeſtris nepote Ducis Clivij.

Diſpoſitis in Geldria rebus, Carolus Trajectum Moſæ revertitur, indeque Aquaſ-Grani petit ſupplicaturus ibi ad memoriam Deiparæ Virginis. Suſceptus eſt valde honorificè & comiter ab Aquenſibus, offerentibus illi oppidi ſui claves, quæ res multò illi erat gratiſſima. Hæſit ibi aliquamdiu cum toto ſacello ſuo, hoc eſt, muſicorum choro: qui quotidie & ſacra faciebant, & laudes hymnoſque varios Deo Virginique canebant, celebri ac jucunda admodum ceremonia.

Carolus Rex Burgundiæ creari petit.

Congreſſu ad Treviros petiit Carolus ab Frederico Auguſto Rex creari juxta dignitatem majorum ſuorum, qui Reges fuêre Burgundionum. Legatus item fieri cupivit Auguſti & Procurator ac Vicarius Imperij. Erat ambitioſus mirandum in modum. Auguſtus filiam ejus petiit filio ſuo Maximiliano pulcherrimo & auguſtiſſimo adoleſcenti vxorem. Ea res ita proceſſit vt Maria auguſtali juveni à patre deſponderetur, contendente Auguſto vt ſtatim nuptiæ celebrarentur, Duce autem vt ante illas Vicarius Imperij deſignaretur & Rex ſalutaretur Burgundiæ.

Maria Caroli filia Maximiliano deſponditur.

Præſtita Imperatori à Duce fides de Ducatu Geldrię, quod facere longo tempore Duces Geldriæ recuſarant. Iuravit item Dux in verba Imperatoris de omnibus aliis Principatibus quos intra fines poſſidebat Imperij, ingenti ceremonia & pompa.

De Carolo autem creando Rege Thomas noſter hunc ferme in modum: Vt antiquum Burgundiæ Regnum per multas Principū ſucceſſiones oppreſſum & pene extinctum & obliteratum denuo inſtauraret, & non Dux amplius, ſed Rex Burgundiæ appellaretur, magna proſecutionis inſtantia apud Imperatorem & ejus Nobiles inſtitit. Corona, ſceptrū, vexilla veſteſque ad Regium ornatum Treviris juſſa fieri: & jam throni in templo majori facti & ſedilia, omniaque parata quæ ad creationem Regis eſſent neceſſaria. Datum negotium Georgio Epiſcopo Metenſi vt ſacrum faceret, vnctioniſque officium compleret. Imperator promiſerat Regem ſe creaturum: ſed nolite confidere in Principibus: Repente mutatus Imperator poſtero die ne Carolo quidem valere juſſo diſceſſit, nec promiſſis ſtetit, maleq. ſarto fœdere abiit, & petiit Coloniam ſedandæ diſcordiæ inter Archiepiſcopum & civitatem: vnde non mediocriter Carolus turbatus. Hactenus Thomas Epiſcopus, qui tunc Treviris erat, omniaque vidit. Puto autem repentinæ mutationi illi elaboraſſe Gallum: quippe multa Scriptores fugiunt, multaque data opera reticent.

In Noveſij obſidione ad portam Ham tetendit Balduinus Alnetanus Præfectus Zutphanię cum D CCC equitibus & D CC peditibus, omnibus ferè Leodienſibus. Ad portam Tollam Reynoldus Bruchuſius cum equitibus D CC & CCC peditibus. *An. 1474.*

Quarto Idus Septembris die Sabbathi Noveſium noſtri magna vi oppugnant, ſed nihil proficiunt, fortiſſimè defendentibus ſe obſeſſis, occiſo ex noſtris Ioanne Bruchuſio Reynoldi Bruchuſij nepote, cum aliis nonnullis Nobilibus ſtrenuis viris. Colonienſes ad quartum vſque ſuæ civitatis lapidem omnia in circuitu Monaſteria, caſtella, pagos, villas, & ædificia igni cremaverunt metu obſidionis. Sub Kal. Novembris certior fit Carolus de ingenti apparatu & certo adventu

ventu Imperatoris & Principum Germaniæ : ideoque in omnem mittit partem ſuarum ditionum ac majores imperat copias. Accedunt ſtatim Vulfardus Comes Magni Campi, idem Regulus Verenſis, cum omni Nobilitate & clientelis Zelandiæ. Ex Hollandia Ioannes V Vaſſenarius & Henricus Naeldovicenſis Mareſchalcus Hollandiæ cum comitatibus omnium oppidorum illius regionis.

Eccleſiaſtici coguntur Carolo pendere omnes fructus & proventus trium annorum de bonis ſuis omnibus quæ intra ſexaginta acquiſierant annos. At Hollandi tam novam & inauditam exactionem diu conferre recuſant. Sed parum proficiunt. Tandem per Antonium Haneronem Præpoſitum S. Donatiani Brugenſis & per Curiam Mechlinienſem pars illorum longè maxima perſolvere compelluntur.

An. 1475. Quarto Kal. Maij Conventus Gandavi Regni Belgici, Convenêre Legati trium ordinũ Flandriæ, Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Hannoniæ, Geldriæ, Zutphaniæ, Tranſmoſanorum, Atrebateſij, Bononiæ & Picardiæ. Petita nomine Ducis, præter alia, ſexta omnium bonorum ab omnibus ejus gentibus. Accepta dies conſultandi aduſque ſeptimum Kal. Iunias, quo die ab omnibus conſtanter negata eſt illi ſua petitio.

Piratæ Gallorum mari noſtro latrocinia exercentes, piſcatores graviter infeſtabant: Ghoera Zelandiæ, Sceveninga & Cadvicus Hollandię, Texel item Inſula damna præcipua ſunt paſſa. Ceperunt tamen ex navibus Gallicis aliquot, & piratas ad quinquaginta, ſuoſque liberaverunt piſcatores. Hollandi autem, maximè Amſtelredami, claſſe magna mercatoria minus cautè ex Aquitania revertentes, naves ad quinquaginta & amplius ſale onuſtas amiſerunt.

An. 1476. Pugnavit tamẽ ipſe imperterritus, Imperatorem militemque agens fortiſſimum: ſed poſtquam omnia vidit diſſipata, in conferto confoſſus fuiſſe dicitur peditatu, vt homo ignotus

qui

qui die tandem tertio inventus est nudus inter mortuos facie ad glaciem cujusdam torrentis ac paludis congelata. Maluit (vt creditum est) mori ingens animus quam in Regis venire ludibrium. Cognitus primum est ab quodam ministro seu cacula suo Baptista ab Columna & ab Matthæo Medico suo Lusitano genere. Cognitus per vngues manuũ, quos longiores omnibus aliis gesit : per vulnus pugna Herricia in collo acceptum: per dentes inferiores amissos, certasque alias corporis notas. Vulnus præter alia habebat lethale in temporibus capitis. Sic humiliata Dei voluntate tanti Principis superbia & immodicus fastus, libidoque regnandi insatiabilis. Per longum tempus interfectum esse vulgus hominum negabat, sed vivere adhuc illum pertinaciter prædicabat, credique vovoluit.

Caroli statura & mores.

Fuit Carolus (inquit Basinus ejus æqualis) statura vir mediocri, satis valido ac vegeto corpore, laboris & inedię patientissimus. quemadmodum sæpe in suis expeditionibus & obsidionibus ostendit, in quibus etiam hybernis mensibus atque extremis frigoribus potuit perdurare. Color capillorum niger & facie satis proportionata capillis, trahens ad communem colorem, ex quibus materno genere traxit originem. Fuit magni & alti animi, si illam animi magnitudinem moderato ac prudenti vsus consilio temperare potuisset. Verum ipse (vt sæpe mos solet esse Principibus) suo fidens sensui & consilio, & contra sapientis præceptum suæ nimis innitens prudentiæ, plerumque rejectis consiliis sanis, vel parum perpensis, ex sententia sua quidnam fieri vellet decernebat. Quę res profectò vltimum illi intulit exitium. Nam si sanis acquievisset consiliis, pacis fœdera cum Francorum Rege toto quæsiviset nisu : ad quæ si potuisset pervenire, (vt putabant factu facile sapientes) non necesse habuisset tot se involvere perplexitatibus tum contra vicinos tum contra subditos suos, qui ab ipso ea occasione gravissimis vectigalibus & collatio-

nibus premebantur. Et licet bis vel ter pacis initæ fœdera maximis roborata sacramentis Rex satis nequiter abrupisset & violasset, maximè propter oppida Somonæ quę Regij fuêre juris ab antiquo: præstiterat tamen longè ea oppida contemnere ac Regi cedere, quàm in perpetuum cum tam potente Principe bellum gerere, tantis impensis & periculis. Potuisset quietus domi vivere ac terras suas locupletissimas reddere, tutumq. ac securum à Regis perfidia se servare, si cum illo pacem habuisset: teste enim Cicerone, Omnis pacis conditio quanvis iniqua civili bello anteponenda est. Erat & longè dispar atque dis milis causa ipsius & hostis sui Regis Francorum. Nam ipse Rex tam latos & spatiosos Imperij fines retinet, & longam & inveteratam jam possessionem nactus est, vt quælibet & quantumlibet gravia collationum & vectigalium onera & tributa subditis imponere possit pro solo nutu & voluntate sua: ita vt nemo in regno, nec provincia quidē vna, sed nec plures simul, aut etiam omnes contra minimum suorum Quęstorum vllo pacto auderet mutire. In tantam enim servitutem sua inertia & muta patientia tyrannorumque immanitate sunt redacti. Longè autem adhuc aberat, vt tanta licentia in terris suis Duci Burgundionum foret permissa. Initio autem cùm imperare cœpit patre defuncto modestum se satis & Principatu dignum ostendit. Prius enim quàm rupto fœdere Rex illi Ambianos & S. Quintinum Veromandiæ abstuliset cultui justitiæ satis dedi tus erat. Vnde de terris illis Picardiæ & Flandriæ pessimam illarum consuetudinem civilium inter duas plureſve familias pugnarum cohibuit & restrinxit: nec quenquam Nobilium in alium aut inferioris etiam status quemcunque hominem (quod passim ante actis temporibus din assuetum fuerat) via facti quicquam præsumere seu attentare impune permisit. Tenebat tunc Curiam publicam bis aut ter singulis hebdomadis in Palatio suo, in qua omnes Proceres ac Nobiles do-

Caroli laus ab amore Iustitiæ.

mus

ius ſuæ aſsidere oportebat: vbi omnibus quicunque vel vn-
ecunque eſſent, facultas dabatur accedendi ad Principem &
bellos ſuos ſupplices offerendi: ad quem per Cancellarium
ium vel aliquem de conſilio ſuo prope aſsiſtente ilico re-
ponſionem conſcribi faciebat. Moribus etiam probis & ho-
eſtis tunc erat. Ferebatur enim tam eſſe caſtus vt nullam fœ- *Caroli pu-*
minam præter conjugem propriam cognoſcere vel ei adhin- *dicitia.*
ire vellet. quod nonnulli variis & differentibus viis in vitiũ
etorquebant, livore aut odio vel levitate potius quam veri-
tis amore. Habebat nempe circa ſe plures quibus vel ipſius
ontinentia, vel quæ de eo communis aſtimatio habebatur,
arum placerent, eò quod ſe libentius voluptatum miniſtros
que turpitudinum illi exhibuiſſent, quæſtum variaque lu-
a talibus ex miniſteriis venantes, vti apud complures Prin-
pes & tyrannos videre eſt, & fieri ſolet. Religioni erat ſatis
editus, diligens excellentes cantores, quemadmodum pater
us fecerat: vnde ſemper honeſtam & magnificam tenuit
apellam, & cum ſuis cantoribus cantu delectatus etiam pri-
atim aliquando cantavit. Vini & cibi ſobrius & temperans
it. Ita profectò vt ſi quemadmodum initio cœpit perſeve-
re potuiſſet, ſingularis inter egregios Principes unus fuiſſet
on injuria computandus. Atqui Neſcia mens hominis (vt
laro inquit) fati ſortiſque futuræ, Nec ſervare modum rebus
blata ſecundis, in tantam evaſit elationem, vt neminem cu-
re vel æſtimare aut vereri videretur. Vnde quaſi parum ſibi
oret, ſi ſolum Francorum Regem inimicum acerrimum ha-
eret, omnem Germaniam & Principes ejuſdem, atque bel-
ndi peritiſsimos Suitenſium populos, paulò ante ſibi ami-
os & benevolos, hoſtes ſibi infeſtiſſimos (invitos quodam-
odo ac recuſantes, ſi licuiſſet) fieri impulit ac coëgit. Hæc
homas Baſinus. Regnavit autem Carolus annos IX, men-
s VI & dies XX. Vixit annos XLIII, menſem vnum
dies XXV.



Dum jacet & fama Mavors ſpoliatus & armis,
Idaliæ juſſu bella Cupido movet.
Hujus conſilio [a] Cæſar, [b] Galluſque Mariam
Uxorem nato quærit uterque ſuo.
Patria ſtat judex: hac victor judice Cæſar,
Jungit eam thalamo, Maxmiliane, tuo.
Felices ambo, niſi, quæ diſrumpere Gallus
Fœdera non poterat, morte ſoluta forent.

a Frederi-cus Imp.
b Ludovicus Gallo-rum Rex.

MARIA CAROLI FILIA,
COMES XXXII.

MAriam Caroli (de quo modò locuti ſumus) filiam vnicam, forma excellenti virginē, quum nobiliſſimi Principes Fridericus Imperator & Ludovicus Gallorum Rex certatim, hic Carolo, illo Maximiliano filio vxorem peterent, convocati ſunt Lovanium Patriæ Primores, qui auditis quæ poſtulabantur, cenſuerunt ex patris Caroli voluntate Maximiliano Friderici Imperatoris filio Mariam dandam in matrimonium. Quod adeò iniquo animo tuliſſe Gallus dicitur, ut ſtatim omnibus quibus præerat Maria bellum indixerit. *Gallus Mariæ bellum indixit.* Per id tempus Atrebatū hoſtiliter adortus eſt, admiſſuſque in *Atrebatum.* am vrbem, cęſis primoribus, diripuit primùm bona civium, einde ſine diſcrimine etiam juſſit occidi omnes qui Mariæ verent: vaſtavit inde quicquid agri oppido conjacet. In annoniis Avennas vi captas incendit, miſſis Pariſios iis qui- *Avennæ capta & incenſa.* is ducibus incolæ reſtiterant. Ij poſtea non niſi ingenti pecunia ſeſe redemerunt. Eodem tempore, quum Gallus & mapremeret, ab Hollandis Amſtelredamorum ductu proſperè gnatum eſt, capta navi à Genevenſibus, cujus magnitudiem noſtri homines admirabantur.

Austriacæ gentis soboles patre Cæsare [a] *natus*
Invicta gessi Belgica sceptra manu.
Te quoque sanguineos enses Ludovice minantem
Conjugio docui sanctius esse nihil.
Hæc feci Princeps: quæ Cæsar deinde peregi,
Indicium populi vox lachrymaque dabunt.
Sunt hæc signa meæ mortis, sed sunt quoque vitæ:
Felix, qui sola morte suis gravis est.

[a] *Tum enim nondum erat Cæsar.*

MAXIMI-

MAXIMILIANVS AVSTRIVS, COMES XXXIII.

MAximilianus Caroli Ducis filia in matrimonium Gandavi recepta factus Hollandiæ Comes, ditionis suæ Principes omnes literis ac nunciis hortatus est, vt ad bellum Gallo, qui vsque in eam diem Mariæ provincias magnis cladibus affecerat, inferendum arma secum induerent. Ad quam expeditionē quum non pauci Nobiles viri opinione celerius advenissent, in [a] Morinorum agrum egressus cum Gallis acie conflixit. Fuit ea pugna Gallorum Ducibus infelix, bona militum parte cæsa. Movit inde Maximilianus in Tornacenses; quos tam arcta cinxit obsidione, vt statim petentes pacem se dediderint. recepti hac conditione, vt si vnquam aliâs Flandris rebellassent, publicarentur eorum reditus omnes, quos quotannis ex Flandrico agro recipiebant. Anno proximo in Hollandiam reversus Maximilianus, constituit Vice-Comitem alium ejus provinciæ, quum ipse rebus magis arduis implicitus adesse non posset. Hæc tum ab eo adhuc Comite gesta. Quæ postea gesserit Imperator, adeò multa sunt & varia, vt separatim volumen requirant. Illud solum adjiciam, hujus morte Principis nihil accidere potuisse luctuosius rebus humanis, & vtinam sine sanguine huic successorem inveniat orbis. Decessit autem hic Princeps longè optimus ac liberalissimus anno Virginei partus M. D. XIX. mense Ianuario.

Gallus bello petitus.

[a] *Morinum vrbs Galliæ Belgicæ adiacens Oceano contra Angliam, nostra memoria capta atque diruta ab Anglis.*

Maximiliani victoria Tornacenses obsessi.

Vicecomes Hollandiæ relictus à Maximiliano.

O fluxum

O fluxum decus imperij! vix Belgica nactus
Sceptra, (heu) crudeli morte Philippus obit.
Nec licuit crescentem animo proferre vigorem,
Æmulaque (heu) patri facta patrare suo.
Belgica, tu tanto suspires orba parente,
Et dic: Heu, magnis mors inimica viris.
Nam si aut hic senior, aut serior illa fuisset,
Dixisses: Iacet hic, qui patre maior erat.

PHILIPPVS II. AVSTRIVS, COMES XXXIII.

PHilippus per ætatem administrationi maturus, vltrò cedente Maximiliano patre, gubernacula Hollandiæ suscepit. Nostra memoria hic Princeps cum magno peditum globo ingressus Geldriam, vt eam terram olim à majoribus subactam repeteret, omnia terrore complevit: pleraque oppida perculsa metu ad primum statim potentissimi Ducis adventum sese dedidêre. In his principiis videbatur brevi Geldriam vniversam domiturus, nisi repente mutatis (vt fieri solet) rebus in [a] Hispaniam profectus fuisset, vt Castellano Regno inaugurareturFuit ea Philippo maximè pacata magnificaque profectio, vt altera illa nobis planè non tristis solùm, verùm etiam luctuosa. Nam tunc in Hispaniis decessit adhuc juvenis, & amplissimis imperiis destinatus.

[a] *De hac triumphali in Hispaniã profectione, deque felici hujus Principis in patriam reditu, exstat Panegyricus Gratulatorius Desiderij Erasmi Roterodami: quo viro neq; facundiorẽ, neque doctiorem Orbis habet, sive quis Theologiæ mysteria, sive politioris dictionis lauticias requirat. Hic Philippum adhuc juvenem laudat, obiectaque virtutis imagine cohortatur ad honesta.*

Ex Jacobi Marchantij Flandria.

Philippus Brugæ natus, proavique materni nomẽ adeptus ad Donatiani. Adolescentiæ curatores habuit tam prudentes, vt pœnitenda non suaderent; tam sanctos, vt populi Principisque salutem suis commodis anteponerent; tam graves, vt adulari nollent; Principem denique cunctis acceptum redderent. Comitatui Flandriæ anno M CCCC XCIIII, in Octobri, Gandavi inauguratus fuit per procuratores, præter morem. Ejus tamen solemnitatem & inveteratum jus nactã consuetudinem ipsemet post triennium Gandavi implevit. Tanta formæ dignitas in Philippo fuit, vt transeuntes maximo applausu per Galliam in Hispaniam pulchritudinem Celticæ matronæ puellæque obstupescerent, & omnia bona omnes dicerent. Cui venustati dotes ingenij clementia comitasque

mitaſque æquabantur. Vxorem Lieræ Brabantiæ prius duxit Ioannam ſecundo loco genitam ex Iſabellæ Caſtellę, hoc eſt, totius vlterioris præter Portugalliam Hiſpaniæ, & Fernando citerioris ſive Terraconenſis aliarumque ditionum Regibus præſtantiſſimis. At quum Ioannes Hiſpaniæ princeps, cui ſoror ejus nupſerat, illiuſque germana, major natu, Emanueli Portugaliæ Regi juncta, abſque prole deceſſiſſent, poſt mortem ſocrus Hiſpaniæ vlterioris hæreditatem per vxorem acquiſivit, ad annum M CCCCC V, poſt factas ſumptuoſiſſime ſocrui Bruxellæ exequias, conduceatore Palatino ſtatim in ipſo conventu temploque præconio exclamante: VIVAT PHILIPPVS ET IOANNA REGES CASTELLÆ, LEGIONIS, GRANATÆ: ipſique Philippo enſem Regium porrigente, titulis & inſignibus Philippi amplificatis. Socero vt regnorum dotalium regia adminiſtratione decederet, quam ex maſcula Regum Caſtellæ ſtirpe, vnde prodiit, vxoriſque teſtamento vendicabat, placato tranſactione. qua ſoceri vitæ conceſſit ſuprema D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ magiſteria, ſemiſſemque ex Indiis redituũ, annuaque ex Caſtellanis viginti quinque milia ducatorum: quum omnes fere Hiſpani proceres Philippum aſſidue evocaſſent, ad eumque appellentem, velut ad orientem Solem, accurriſſent. Aſt ille paucos poſt menſes, quum eſſet firmiſsimo corpore, ſummaque felicitate & exſpectatione, luſuque pilæ à prandio excalfactus, frigidam avide bibiſſet, febri ſeptem dierum calidiſsima, quam Medici cauſonem vocant, Burgis vrbe Caſtellæ veteris primaria anno M CCCCC VI, menſe Septembri, e vivis migravit: Ad Miraflores Carthuſios, ibi propinquos, ſepultus in ſumptuoſo Regis Ioannis ex alabaſtrite monumento: corde Brugam in conditorium maternum tranſmiſſo: patre & vxore ſuperſtitibus, atque ſocero: qui ad Hiſpaniæ moderationem revocatus, modeſtè rediit, eamque totam; excepta Portugallia (nam Regnum

Granatæ

Granatæ anno M CCCC XCI, & Navarræ M CCCCC XIII armis acquisierat, Castellæque Regno in perpetuum conunxerat) belli gloria auctam, Carolo nepoti tutam conservavit: atque mortuus, vna cum Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, Bearium, Indiarumque Occidentalium inventarum Regnis eliquit posidendam, ac administrandam. Fuit Philippus Leonoræ, Caroli, Isabellæ, Ferdinandi, Mariæ, & Catharinæ posthumæ ordine pater. Fatum ejus portendit ardens comes circiter idus Septembris in Septentrionem prope Plaustrum, tetra luridaque specie, cauda splendida densaque (vnde pavonis cauda vocabatur) in Corum porrecta: de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem Regis portendat. Conjunx autem illius, cujus prudentiam melancholia in morte viri intempestiva patefacta imminutam, modestia & in patrem reverentia longe superavit, anno ætatis septuagesimo, cælibatus quadragesimo nono, in Hispania Tordesillis ad annum M CCCCC LV cum morte vitam commutavit.

Certabant nuper Pietas & bellipotens Mars
De vita & factis, Carole Quinte, tuis.
Laude hic te dignum referabat, at illa negabat,
Hic captæ Romæ, sed memor illa crucis.
Tandem multa minans, quid verbis obstrepis? inquit
Quum Pietas, iudex Iustitia, inquit, erit.
Tunc litem Dea Iusta secans, verum, inquit, vtrumq. est
Nunc ite, at quàm vos prælia dira manent!

Ad illustrißimum Carolum V. Romanorum & Hiſpaniarum Regem, Philippi filium,

HADRIANVS BARLANDVS.

PErduximus, juvante Deo, Catalogum Hollandiæ Principum ad Celſitudinem tuam, Illuſtriſſime Carole, de qua jam pridem tui cives nihil exſpectant mediocre. Omnibus certiſſima ſpes, te aliquando magnum illum Philippum pietate, Carolum (qui ob rerum geſtarum magnitudinem Bellator à quibuſdam dictus, & quem tu nomine refers) bellica virtute, avum Maximilianum clementia, Philippum patrem comitate facilitateque ſuperaturum. In hanc autem ampliſſimã ſpem tui amantiſsimos, tuiſque obſequiis impenſiſsimè deditos cives adduxit cùm naturæ tuę bonitas, tum exacta ſub incorruptiſsimis magiſtris pueritia tua. ex qua jam egreſſus majorum tuorum indolem apertè repræſentas. Bis igitur beatus futurus, quiſquis erit ille, qui te ſenem, quem ego nunc juvenem alloquor, à rebus geſtis laudabit, efferet à pietate in Divos; moderatione in ſumma fortunæ indulgentia; modeſtia in tanto rerum omnium ſucceſſu; comitate in tanto florentiſsimo Regni faſtigio; denique à ſapientia, per quam Principes imperant & diſcernunt Iuſtitiam.

Philippus ſenior Pius.

Carolus Bellicoſus.

Maximilianus clemens.

Philippus Iunior comis & facilis.

Virtutes Principis Pietas, Moderatio, Modeſtia, Comitas, Sapientia.

Ex Jacobi Marchantij Flandria.

Carolum anno M CCCCC biſſextili Februarij die Lunę Matthiæ ſacro Gandavum in lucem protulit. Pueritiam Caroli, nam ſexennis patrem amiſit, & adoleſcentiam ad probitatis normam direxerunt Margarita amita, Archiepiſcopus Veſontinus ex progenie Vergya, Gulielmus Croyus Arſchotæ Cievræque Regulus, & Hadrianus Florentius Vltrajectinus, Theologiæ Lovanij Doctor, Academiæque Cancel-

larius,qui poſtea ad Papatum,ſub nomine Hadriani VI, ſola virtute doctrinaque Romæ cognitus,pervenit. Et in tantam gloriam Carolum extulerũt,non Ludovici XI Galliæ Regis ab Hiſtoria Cominæi æmulatio,vt Bodinus aſſerit,quo Regẽ illum probiſsimi Cæſaris comparatione incruſtet, illuſtretque ; ſed cum inculpata educatione conjuncta exempla avi, tam paterni,quam materni,qui ceteros in Europa ejus ſæculi Reges virtute,auctoritate,atque laude anteceſſerunt. Hunc Belgica anno M D XV Principatui inauguravit. Hiſpania altero poſt anno, Germania anno M D XIX. Regẽ atque Cæſarem agnoverunt : quamvis Hiſpaniæ regnis non fuit inauguratus ante annum M D XVIII, quod credibili ſplendore factum fuit Validoleti in templo Paulino : vbi Ferdinandus frater , ſuis manibus in manus Gulielmi Croyij Cievrij rite complicatis, fidelitatem hominij juratus, ad latus Regis in ſolio ſedentis, & hoc jubentis, nudato vertice ſtetit, procerumque Hiſpaniæ ſe homagio devincientium juramenta Regis vice recepit. Convenerat autem anno M D IX inter vtrumque ejus avum Maximilianum atque Ferdinandum, vt Carolus, matre vivente, donec ipſe vigeſimum quintum ætatis annum attingeret, Regia appellatione abſtineret, ac adminiſtratione : & hanc Ferdinando avo materno interea concederet, maſculam prolem ex ſecundis nuptiis non ſuſcipienti, & quotannis ex Hiſpania quadringentas auri libras conferenti. Sed Ferdinandi mors, mentiſque in matre impotentia, Regnum Hiſpaniarum ipſi acceleravit. Anno M D XX, menſe Octobri, Aquiſ-Grani in Cæſarem inauguratus eſt. Turnacum ejuſque arcem atque agrum anno M D XXI Gallis eripuit, ſibique ſubdidit. Chriſtiernum II Daniæ Regem, ſororis virum, tribus Regnis per ſubditos vicinosque exutum cum vxore liberiſque recepit anno M D XXIII, ejuſque reſtitutionem non vehementer, liberos valde juvit, aluit, nuptumque dedit. Fratribus Equitibusque S. Iohannis Hieroſolymitani

ſolymitani Xenodochij Rhodo anno M D XXIII per Turcos ejectis donavit Melitem inſulam, juratis eo nomine clientelæ fidelitatem. Capto ad Papiam anno M D XXV Franciſco I Galliæ Rege, Flandriam Arteſiamque omni ſupremo Francię imperio & qualicunque obſequio emancipavit: cunctaque Andegavenſium in Neapolim & Aurelianenſiũ in Mediolanum Genuamque jura, à Francis abdicata, in ſe tranſtulit. Roma ab ejus exercitu anno M D XXVII, ſexto Maij die, ad ſuburbium, quà mons, quàque S. Spirtus templum, ſuperata fuit, atque ſpoliata. Vltrajectina & Tranſ-Iſelana ditio Henrici Bavari Palatini Epiſcopi, Ordinumque regionis ceſſione, à Clemente VII Papa, Imperioque approbata anno M D XXVIII, in illum tranſijt: quum duodecim ante annos Friſia acceſsiſſet à Georgio Saxoniæ Duce, centum florenorum milibus tranſigente: cujus patri Alberto, Belgij Præfecto, in compenſationem pecuniæ mutuæ, operæque ſtrenuæ & ſumptuoſæ, per Caroli patrem conceſſa fuerat. Anno M D XXX à Clemente VII Pontifice in Imperatorem Auguſtum die natalitio Bononiæ conſecratus eſt. Soleymannum Turcum potentiſsimum toti Germaniæ inhiantẽ anno M D XXXII domum fugavit. Regnâ Cuſcana, Mexicana, Peruya, in Indiis Occidentalibus, auſpiciis avi ejus Ferdinandi per Chriſtophorum Columbum Americumque Veſputium Italos primùm compertis, opera Corteſij & Pizarri Hiſpanorum Chriſto ſibique ſubjugavit. Vrbem ampliſſimam in Africa, quam Polybius Tunes vocat, quindecimque paſſuum milibus diſtare ſcribit à Carthagine, atque annexum illi regnũ latiſsimum, Hairadino Ænobarbo anno M D XXXV eripuit, ac Muleio Hazanio legitimo Regi reſtituit, leviſsimo, binorum puta falconum, totidemque pernicum equorum, tributo impoſito; & arce Goleta retenta, firmataque præſidio Chriſtiano. Quo tempore, Franciſco Sforcia II à vita ſine liberis decedente, Mediolani principa-

tum

tum jure Cæsarum prærogativo, tam suo, quàm Friderici III proavi acquisivit. Vnde illum plus emolumentorum quotannis hausisse, quam Regem Franciscum I sub idem tempus ex Gallia; & ex Belgio plus annuorum fructuum percepisse, quam Regem Henricum VIII, eadem tempestate ex Anglia, Bodinus polyhistor in suis de Republica libris cōmentatus est. Magno eximiæ fiduciæ integritatisque argumento, anno M D XXXVIII ad aquas mortuas, quas fossas Marianas dicunt fuisse, & altero post anno peragratis Galliis se permisit hospitio fideiq. Regis Franciscī, nemini Regum tunc cedentis sinceritate, ac honorificentia hospitalitatis. Geldtiam cum Zutphania, per Carolum proavum coëmptam, possessamque; sed ereptam à Carolo Egmondano ad annum M D XLII recuperavit, abtraxitque Gulielmo Cliviæ Duci, novo possessori: quum ante annum ad Argieram Africæ, non victorię, ob incredibiles aëris marisque tempestates, sed rarissimæ constantiæ laudem promeruisset. Ioannem Fridericum Saxonię Ducem Electorē, & Philippum Hessiæ Lantgravium, illum forti ad Albim prælio, hunc transactione controversa, nominisque sui metu, neque non maximam Germaniæ disiunctę partem anno M D XLVII arbitrio suo custodięque facilius subdidit, quàm retinuit: Cameraco, vetusta Imperij vrbe, paucos ante annos contra Gallos asserto, arce imposita, veluti freno atque vadimonio. Eodem hoc anno M D XLVII illi Paulus III Pontifex ex Familia Farnesiana Romanus agnomentum Maximi, Cardinalium Senatusconsulto, attribuit. Mediomatricum Metim, à Gallis interceptam, anno M D LII frustra obsedit, propter hyemis rigidę nivosæque asperitatem, & pręsidij nobilissimi pertinaciam. Teruanam Morinorum, antiquam nobilemque vrbem, Gallis fidam, perpetuamque Flandriæ Occiduæ noxam, anno M D LIII oppugnatione cepit, funditusque delevit, cum Hesdino, novumque Hesdini oppidum struxit

ſtruxit loco aptiori. Belgij Proceribus, Vibiumque Legatis præſentibus, ditionum adminiſtrationi Gandavi renunciavit, filij præſentis & ſuccedentis virtuti confiſus, ad annum MDLVI, menſe Auguſto: tum rerum humanarū regnandiq. tædio, & cæleſtium deſiderio: tum aſthmatis anguſtiis debilitatus. Ex Zelandiæ Rameka, anno MDLVI, Septembri menſe ſolvit, & cum Leonora Mariaque ſororibus viduis ad Laredū Hiſpaniæ portum applicuit: inſignē illi vltimamque tranſvectionis operā feliciter navante claſſis præfecto, Equite Flandro, V Vackenij comarcho. Inde ad Hieronymianū Sodalitium D. Iuſti, ſeptē à Placentia miliaribus diocœſis Toletanæ, locum perpetuo vere ſalutiferū, lectica vectus eſt; ibique cum duodecim tantummodo intra domeſticos parietes familiaribus (in quibus Malinæus Brugenſis hiſtoricus erat) ſanctè vixit, injungens vt ſolummodo Carolus appellaretur. Illic Romanum Imperium ſponte abdicavit, brevique mortalitatem explevit ad annum MDLVIII, XI Kal. Octob. ætatis anno quinquageſimo octavo, menſe VI, die XXVI, Principatus paterni LII: regionum maternorum XLIII. S. Imperij L. Sepultus eſt Eſcuriali: vbi filius Philippus ſumptuoſiſſimum templum, ædeſque, cœnobio Laurentiano, inſtituti Hieronymiani, ædificavit. Ex Iſabella Emanuelis Portugaliæ Regis filia, quæ anno MDXXXIX menſe Maio Toleti deceſſit, reliquit Philippum virilis ſtirpis vnicum, ſucceſſorem, Mariam & Ioannam: Illam Maximiliano II Cæſari: hanc Ioanni Portugalliæ Principi conjugatas. Nothos habuit non ignotos, Ioannem, nobiliſſimo ad Naupactum contra Turcos prælio celebrem: atque Margaritam, Alexandro Medices Florentinæ ditionis, dein Octavio Farneſio, Parmæ Placentiæque Ducibus, nuptum à patre elocatam.

Multa Triumphator magnus mihi regna paravit,
Multique vindicis regna parata meis.
Quid tamen hæc prosunt? in me mea Belgica sævit,
Præcipua Hollando bella movente mihi.
Liber ago, nullos unquam admissura Monarchas,
Hispano refugit subdere colla jugo.
Displicet exemplum: sed tu provincia laudas,
Et gaudes cineres tam procul esse meos.

PH:-

PHILIPPVS III,
COMES XXXVI.

PHilippus, Belgii Principum primus, in Hiſpania, Valle Oliuana, vrbe Vaccæorum, anno M D XXV ˙, menſe Maio, in lucem prodiit: quo tempore patri Roma ſubjugabatur: non levi ejus amplitudinis augurio, qua illum dilatari ceteri Reges obſtupeſcunt, terrarum Turcicę potentię dimenſionem decies antecedentem; ſi Ioannis Bodini Galli polyhiſtoris de Republica commentariis adſtipulemur, atque hinc in Europa octodecim regnorum, olim diſtinctorum, & tot Ducatuum, Comitatuum, aliarumque ingentium ditionum accumulatam poſſeſſionem: illinc Indiarum, Novique Orbis Monarchiam perpendamus. Mariam patris conſobrinam, Angliæ Reginam, per Lamorallum Egmondanũ Gaveræ Principem, procuratorem ſuum, antea ſibi deſponſam, anno M D LIIII, VVintoniæ in vxorem accepit: Regno Neapolis, & Ducatu Mediolanenſi, propter nuptias a patre donatus. Anni M D LVIII inſignes contra Gallos pugnas victoriaſque ad Quintinopolim ac Grevelingam, illuſtriori ad annum M D LIX, menſe Aprili, pace exornavit: qua ſibi ingens nomen amplificavit, & Emanuelem Philibertum, Sabaudia Pedemontioque ad annum M D XXXV cum patre ejectum, avitis ditionibus reſtituit, magna in amicitia constantiæ, & in potentia efficaciæ commendatione. Pręclarſsimæ oleæ annexuit lauream immortalem, tum Auguſto Musarum templo Duaci dedicato: tum ſacroſanctis Bibliis, Græca, Hebraica, Chaldaica, tripliciqne Latina lingua correctiſsimis ornatiſsimiſque, ex Academia Complutenſi orbi vniverſo communicatis Ex Flandria, ceteroque Belgio pace tuis, ac opulentia copioſis, ſub finem anni M D LIX in Hiſpaniam enavigavit. Poſt cujus diſceſſum, quam non tantùm in

Flandria, ſed in toto Belgio miſerè & infeliciter, peccatis noſtris apud Deum ita promerentibus, omnia ſucceſſerint, notiſsimum eſt: noſtrique non eſt propoſiti, nec præſentis inſtituti de iis agere. Obijt autem Philippus Rex potentiſsimus in Eſcuriaco S. Laurentij cœnobio, quod eſt Sodalium Hieronymianorum, XIII Septembris die, anno M D XXVIII, ætatis anno ſeptuageſimo primo.

HOL

HOLLANDIAE ZELANDIAEQVE HISTORIA.

Ex Meiero & Barlando aliisque, suis locis addenda.

Ex Annal. lib. II.

BAlduinus (Barbatus, sive Pulchro-Barbus) Comes Flandriæ, omnibus in rebus Cæsariæ obsequiosus Majestati, quosdam in Lotharingia minus dicto audientes brevi facere coëgit imperata, tantamque ab Henrico (II ejus nominis) inivit gratiam, vt & VValachrias cum aliis Zelandiæ Insulis dono ab eo accipere mereretur. Quæ quidem res origo fuit longissimæ inter Flandros ac Hollandos discordiæ, ac belli: quod quadringentos per intervalla tenuit annos, contendentibus vsque Hollandis Zelandiam jure optimo esse suam, Donatione quadam jam inde ab Ludovico Cæsare Ludovici Pij filio profecta. *An. 1007.*

Ex Annal. lib. III.

Theodericus Comes Hollandiæ conjuratione Agrippinensium ac Leodiensium Dordraci occiditur, Idibus Maij. *An. 1048.*

Balduinus (Pius) Flandriæ Comes, vna cum duobus filiis Balduino ac Roberto, juncto sibi Duce Godefrido acerrime adversus Cæsarem (Henricum) administrat bellum. Lotharingiam longe incursat. Ipse Tutlinium, Balduinus filius Hoyum incendit. Zelandię autem Insulas ab Cęsarianis atque Hollandis occupatas recuperat. *An. 1053.*

An. 1057. In Synodo Agrippinensi Victor Pontifex Romanus & Henricus Francorum Rex pacis authores fuisse dicuntur, quæ Balduino Principi Godefridoque Ardvennensi à Cæsare Henrico data est. Ea pace terram omnẽ inter flumina Scaldem & Tenerã, Quinque Insulas Zelandicas, Castrum Gandense cum Quatuor Officiis Balduinus retinuit.

An. 1061. Florentius Comes Hollandiæ ab Brabantinis bello occiditur, XIIII Kalendas Iulias, funeratus in Monasterio Egmondano.

An. 1063. Aldenardæ indictus à Balduino Pio Optimatium Conventus. Confectum ibi matrimonium inter Robertum Pij filium natu minorẽ ac Gertrudem viduam Florentij Comitis Hollandiæ. Institutus Robertus Procurator Hollandiæ, ac Tutor liberorum Florentij, ex voluntate Legatorum Hollãdiæ. Assignatæ Roberto pro sua hæreditaria portione, Quinque Insulæ Zelãdicæ, VValachria, Scaldia, Zuytbevera, Nortbevera, Borselia: Comitatus adhęc Alostanus, cum terra Quatuor Officiorum, ac grandi pecuniæ summa. Adactus à patre jurejurando, vt his contentus nunquã fratri Balduino foret injurius. Erat enim Robertus vir animo audaci ac præferoci, imperij cupidus, armisque adeo deditus, vt non nisi bello videretur natus. Contra Balduinus placido & mansueto ingenio, pacis studiosissimus, Religioni rebusque Divinis intentũ semper habebat animum. Profectus igitur Robertus continuo in Hollandiam, cum Gertrude celebravit nuptias: statimque Frisijs indicto bello, partem aliquantam ejus regionis subegit, inde nomen sibi Frisio peperit.

An. 1070. Defuncto Balduino Monte-Comite, Robertus (Frisius) ejus frater tutelam nepotis sui Arnulphi poscebat juxta formulã fraterni testamenti Aldenardæ facti. Hac illi annitente Richilde Arnulphi matre denegata, declaravit se inimicum domus Flandricæ. Richildis feroci ingenio mulier, quidquid illius esset in Flandris, vt Comitatum Alostanum, Quatuor Officia,

Insu-

Insulasque Zelandicas invasit, atque in fiscum redegit. Interea Robertus cum Frisiis bellum gessit. Citeriores Frisios simul Kamerlandos & Alkemarchos domuit. Privignos suos Theodericum, Florentium, Bertam strenuè defendit.

Gothofredus Lotharingię Dux cognomento Gibberosus, auxilio Gulielmi Trajectensis Episcopi, invasit Hollandiam. Restitit Robertus quantum maximè potuit. Occurrit hostibus cum exercitu ad castellum nomine Leydam. Sed pugna ibi commissa, deteriore fuit fortuna, victusque & fugatus cum vxore & liberis profugit Gandavum. Quò ad eum raptim omnis convenit Nobilitas Flandriæ Teutonicæ, durum Richildis imperium, avaritiam, superbiamque muliebrem exosa. Nam præter alia nova vectigalia quaternos tota Flandria denarios à singulis exegit lectis. Domini Malgiacensis in primis, vt ferunt, vsa consilio. Scinditur Flandria in partes duas, Germanicam & Gallicam, &c. Victor Frisius Richildem cum filio Balduino fugat in Hannoniã. Cecidit inter alios Comes ipse Arnulphus, qui delatus ad Fanum Audomari sepelitur in Æde D. Bertini, annos natus circiter XVII. Reliqui inter Casletum & Fanum Audomari, vt quisque ceciderat, sepulti. Quidam sunt authores ad viginti duo occubuisse hominum milia, &c. Hac victoria potitus est Frisius mense Februario, die D. Petri Cathedra festo, anno MLXXI, seu, vt Sigebertus more Romano supputat, MLXXII. *An. 1071.*

Igitur Robertus cognomine Frisius, ope Flandrorũ Teutonicorum fusis fugatisque nepotibus ac Philippo Francorum Rege, Flandriam per vim obtinuit, &c.

Occisus Godefridus Comes Lovaniensis Antverpiæ ab percussoribus ab Roberto Frisio submissis. *An. 1078.*

Pace quadem facta cum Balduino Montensi, Robertus Comes filium sibi cognominẽ in partem regni cooptatum Comitem appellat, mandataque illi administratione Flandrica, magno comitatu proficiscitur in Syriam, invisique Hierolo-

Hieroſolymis magna religione ſacris locis, ad montē etiam Sinam pergit viſum D. Catharinę ſepulchrum. Ferunt quum templum Hieroſolymis intrare vellet, miraculo ingreſſu prohibitum, donec confeſſus peccata ſua promitteret ſe redditurum Flandriam Balduino Montenſi, ac tunc inter ſupplicandum miranda illi viſa ob oculos verſata.

An. 1091. Robertus Comes ex Syria reverſus.

An. 1093. Quarto Idus Octobris Robertus Comes in vivis eſſe deſiit. Quidam in VVinedale, quam Arcem exſtruxiſſe dicitur: ceterum Bertiniani eum obiiſſe tradunt Caſleti, cita morte, & abſque ſacro viatico. Situs eſt Caſleti in Æde Petri in crypta.

Ex Jacobi Marchantij Flandria.

Legatis Roberti ad Henricum IIII Cæſarem miſſis, vt de Aloſtana ceteriſque terris Imperio fide annexis juramentum Roberti nomine darent, ejuſque amicitiam impetrarēt, quiddam accidit memoratu non indignum, quod Balduinus Tornaci primarius, & Legatorum præcipuus, ſemper aſſeverabat attonitus, vt Annales atteſtantur, (alioqui fabuloſum & incredibile ignorantibus ſimile quid [a] Druſo Germanico Auguſti in exercitu Legato, patrumque memoria [b] Ioanni VVaſſenaro, nobili fortique in Hollandia copiarum Duci, non procul hiſce regionibus obveniſſe.) Fertur illis Friſij Legatis Coloniæ Agrippinæ, vbi Cęſar erat, appropinquantibus obviam veniſſe mulier ſpecie gravi, reverenda, atque humana amplior: quę percunctata vnde venirent, quò procederēt, quum reſponſi dubios & cunctabundos animadvertit: Scio, inquit, vos eſſe ad Henricum Cæſarem miſſos à Roberto Friſio, qui nepotum alteri vitam, alteri hæreditatem Flandriæ eripuit. Impetrabitis Cæſaris benevolentiā, & Robertus Flandriam obtinebit ipſe cum filio & nepote: ſed in hoc poſteri-

a *De quo Suetonius, & Dion. Nicenus.*

b *De hoc Heroe & altero quodam Achille conſulenda Iunij Batavia, pag. 227.*

tas

tas ejus virilis exſtinguetur, propter illam, qua afflixit fratris filios, iniquitatem.

Ex Meieri Annal. lib. IIII.

Repetebat Henricus Cæſar Aloſtanos, Quatuor Officia, Arcem Gandenſem, & Inſulas Zelandicas. Robertus Flandriæ Comes firmo præſidio oppida caſtellaque ſua hoſti finitima emunit, illumque aliquantiſper à Flandris arcet: qua mora injecta, cecidit ejus militi animus, ſenſimq. dilabentes ab eo Germani, alij [a] Bononienſem, pars Imperatores alios in Orientem ſunt ſecuti. Ita Henricus à ſuis deſtitutus ac prope in ordinem redactus, cogitur incœpto deſiſtere. *An. 1096.*

[a] *Godefridum puta, Euſtachij Comitis Bononiæ*

filium, primum Hierſolymorum Regem, qui obijt anno 1100 XV *Kal. Auguſti.*

Henricus Cæſar, Conventu Ratiſponæ habito, amplas ex Noricis præcipue copias adduxit in Lotharingiã ſeu Brabantiam, vt Flandros adoriretur. Ipſe Aloſtenſes & Quatuor Officia; Hollandi, fœdere cum eo icto, Zelandicas Inſulas; Montenſes verò, hoc eſt, Hannonienſes non ſolùm Duacum, ſed totam à Roberto repetebant Flandriam. Quibus omnibus ſi parendum fuiſſet, vitam Robertus privatam vivere debuiſſet. Sed longe ſecus ac rebantur res ceſſit. Robertus Orientis domitor, nihil Cæſarianas timebat minas. Et Flandri tali Duce invincibiles prorſus videbantur. Henricus nulla re memorabili geſta retro abiit inglorius, paceque ad Natalem Dominicum Magunciaci facta. Duacum Auguſti etiam permiſſu Flander retinuit. *An. 1102.*

Obit, ſepeliturque Furnis Gertrudis, Balduini (Securis) avia, Furnenſis Vice Comes, (Roberti Friſij vidua.) *An. 1113.*

Albaldus Abbas ſeu Præpoſitus Formiſelenſis, poſtquam per annos duos laudabiliter præfuiſſet, bona multa præcipue in Teſtreep Cœnobio acquiſiviſſet, factus eſt Abbas apud VValrighem, hoc eſt, Middelburgi in VValachria; qui primùm Regulares fuêre, ſed non multo poſt facti ſunt Prçmonſtraten-

ſtratenſes. Porrò Teſtreep locus juxta Oſtendam mari ſubmerſus eſt, inundatione maris. Quæ fuit (vt puto) anno MCCCXXXIIII, in feriis Divi Clementis, menſe Novembri.

Ex Annal. lib. V.

An. 1134. Mare ruptis aggeribus Flandriam inundavit.

An. 1135. Oceanus iterum ſe effudit in continentem, bonamque Flandriæ, Hollandiæ ac Friſiæ partem ſubito ſubmerſit, magna tum hominum tum pecudum multitudine exſtincta.

An. 1158. Agente in Syria Theoderico Alſatio Flandriæ Comite, cum Hollandis Flandrorum per id tempus ob Inſulas Zelandicas hoſtibus renata diſcordia; cujus quidem fuiſſe cauſam referunt, quod Florentius Hollandici Comitis Theoderici filius vectigal ſeu portorium quoddam ad locum cui nomen Geerſ-Vliet ab Friderico (I ejus nominis) Cæſare accepiſſet in modum beneficij, ejuſque rei prætextu magnopere Flandricos vexaret mercatores, longè ſolito majora extorquens ab illis vectigalia. Philippus Comes, florentiſsima tum ætate, acrique ac plane militari vir animo, iis rebus irritatus, bellum terra marique Hollandis faciendum exiſtimavit; eodemque ſimul tempore & claſſem validè inſtructam contra Florentium in mare miſit, & VVaſiam poſſeſſam tum ab Hollandis terreſtribus invaſit copiis; pulſoque [a] Theoderico Bevernenſi, ac combuſta Beverna caſtello, cum præda ac maximo captivorum numero domum rediit.

[a] *Theodericus Bevernenſis, qui & Dixmudanus, prædicans ſe hæredem Theoderici Aloſtani filij Iuvvani, partem Comitatus Aloſtenſis ab Balduino Hannonio, Flandri Comite, anno 1193 repetebat. Vide Annales Meieri. Apud quem, & inter Cruce ſignatos & Sacro bello accinctos numeratur anno 1203. & alibi non ſemel laudatur.*

An. 1165. Philippus Comes cum Matthæo fratre & Godefrido Comite Lovanienſi inſtructa multarum navium claſſe, movet in [a] Florentium Comitem Hollandiæ, qui per id tempus terra marique Flandris incommodabat. Ceſſit hæc expeditio

[a] *Auctarium Aquicinctinum ad Sigeberti*

Flandris

Flandris perquam prosperè. Enimvero Florentius, qui tantam sibi vim militum piratarumq conflaverat, vt totius maris imperium obtinere videretur, circumventus vndique à nostris, desperata spe resistendi, sine vllo prope certamine se suosque Philippo Comiti dedidit, adductusque Brugas, atque in cœnobium D. Donatiani diligenti cura servatus. De piratis nonnullis sumptum supplicium.

Gemblacēsis Chronicon, nuper ab Auberto Miræo publicatum, non rectè Theodericum *nominat. Non operam tamen lusisse videbor, si eius verba adscripsero:* Anno 1165 Philippus Comes Flandrię, et Matthæus frater ejus Comes Boloniæ, et Godefridus Dux Lovanienſis, cum septem fere milibus navium, expeditionem movent adversus Theodericum Comitem Hollandiæ, quem in deditionem venientem cum suis Comes Flandriæ diutius tenuit in captivitate. *Hîc* Theodericum *ejicias licebit, &* Florentium *reponas.*

Florentius Comes Hollandiæ, quem Brugis captivum asservari ostendimus, custodia est dimissus, paxque inter eum & Flandrum his legibus composita: Vt obsides quos Flander habebat de Insulis inter Scaldem & [a] Edinzeam remaneant Brugis, quamdiu Flander voluerit: Vt nullum duellum vsquam fiat propter dictas Insulas, præterquam in oppido Brugensi: Vt omnes proventus & emolumenta ac bona quæque fisco adjecta in iisdem Insulis Comites inter se dividant: Vt exules & homicidæ Hollandię in Flandriam non habeant refugium: Vt neuter Comitum in prædictis Insulis vllas exstruat munitiones: Si Comes Hollandiæ contraeat huic paci, quidquid in Flandri clientela terrarum possidet committet, donec injuriam ac damna resarciat: Item si quis mercator Flander in Hollandia spolietur, oppidū aut ager in quo spoliatus fuerit damnum pręstabit arbitrio sex virorum: Vt mercatores Flandri tota Hollandia ab vectigalibus sint immunes: Si quid sub vmbra vectigalis aut tributi illis ablatum fuerit, Comes Hollandiæ reddere teneatur: Vt mercator Flander transiens per Hollandiam de omnibus quæ ab eo exigentur debitis solo juramento se poterit purgare, ne remoretur ejus iter: Si vltra juramentum mercator impediatur teneaturve, Comes Hollandiæ damna ejus & impensas luat. Actum Bru-

An. 1267.

[a] Helden-zee.

gis in Præpoſitura S. Donatiani, feria tertia poſt Reminiſcere, anno M C LXVII. Ita enim tempus annotatur in Tabulis.

Verùm haud ita multo poſt, quia Florentius hanc pacem non ſervavit, abſtulit illi Philippus omnia quæ habuit in dictis Inſulis. Abſtulit præterea illi terram VVaſiam, quam tenuerant Comites Hollandi in fide ac clientela Comitum Flandriæ. Hæc omnia ſui fecit juris, ac Flandrico adjecit imperio.

Ex Annal. lib. VI.

An. 1180. Aggeres hoc anno factos lego ab Hollandis, earum rerum longè peritiſſimis, ab Dammis ad Sluſam vſque [a] Lammis-Vliet tunc dictam, atque extruſum mare quod eum tunc tractum inundaverat. Hollandi foſſores, (ſicut referunt Dammenſes) qui aggere facto & mari extruſo Dammum condiderunt, Diedolfi cognomen acceperunt. Diedolfi enim ſonat id quod, qui foderunt; vt Marcus die dolf, id eſt, qui fodit. Diedolforum cognomen longo perſeveravit tempore.

[a] *Ita ad annum vſque 1331 dictam, idē Meierus annotavit, quo Lammins-vliet nomen amiſit, ac Sluſa dici cœpit. Vide eius Annales ad annum 1331, non prætorito anno 1316.*

Ex Annal. lib. VII.

An. 1191. Dum hæc Gandavi aguntur, Theodericus Comes Hollandiæ Comesque Lovanienſium Henricus ſagaci perpendentes animo quantum jam virium Flandris deceſſiſſet, de ſuo quoque agendo negotio callidum iniêre conſilium. Magnis vterque Henricum Cæſarem ſolicitavit fatigavitq. precibus. Hic, vt Aloſtanos Imperij clientes Lotharingiæ contributos obtineret. Ille, vt ab fide Flandris Comitibus debita ſolveretur, poſſideretque maris Inſulas in fide ac clientela duntaxat Imperij. At Cæſar nullam [b] Balduino facere voluit injuriam, nihil illis conceſſit.

[b] *Eius nominis IV Hannoniæ Principe, qui vxoris Margaretæ Alſatienſis nomine Comes Flādriæ ſalutatus an. 1191.*

Balduinus Hannonius Flandriæ Comes, qui ſuo nomine in verba Cæſaris juraret, Balduinum filium in Vangiones miſit.

misit. Ipse domi ab Comite Hollando juramentum accepit Flandris Principibus præstari solitum.

Balduinus Comes ad Cæsarem in Germaniam profectus, fidem illi de Alostanis, VVasia, Quatuor Officiis, Terra iuxta Scaldem, VValachria, Zuutbevera, Nortbevera, Borsalia, ac reliquis Zelandiæ Insulis præstitit. *An. 1192.*

In Expeditione Asiatica pręter Fridericum Augustum ac Philippum Comitē Flandriæ desiderati sunt Fredericus Suevorum Dux Frederici Cæsaris filius, Robertus Comes Nassovius, Fredericus Husa cum Comite Turingiæ, Florentius Comes Hollandiæ, &c. *An. 1193.*

Hollandiæ Comes Theodericus Florentij filius Flandricos mercatores graviter molestare cœpit ad Portum Gerardi (Gheers-Vliet vulgo dicunt.) Impetraverat enim ab Henrico Cæsare, vt quicunque mercator illac transiret, vigesimam omnium rerum suarū persolveret pro vectigali. Hujus quidem sub prætextu vectigalis magnam vim auri ab negotiatoribus extorsit, adeoque acerbè exegit præcipuè à Flandris, vt duplum sæpe solvere cogerentur. Vnde rixa multa ac grandis discordia Flandros inter & Hollandos orta, quæ non nisi bello postea finita est. *An. 1195.*

Theoderico Comite Hollandiæ Dordraci [a] miserabiliter trucidato, Gulielmus ejus frater invasit Principatum, extrusa Ada Theoderici filia Ludovico nupta Lossensium Comiti. Coëgit Lossensis quantas potuit copias, Ducemque Lemburgensem vna cum Episcopis Leodiensi & Trajectensi sibi adjunxit: Flandrorum item comparavit auxilia, remisso illis vectigali illo apud Geers-Vliet, cujus supra fecimus mentionem. Balduinus Princeps, tametsi parandę in Syriam expeditioni esset intentus, Lossensi tamen profectus est auxilio. In terram Scaldanam, dictam gentiliter Beesterstelt, & Scauvviam copias duxerunt, vt Zirixeam oppidulum obsiderent. Verùm agentibus quibusdam pacificatoribus res compositę *An. 1203.*

[a] *Errat, obijt enim sua morte, non inimica manu interfectus. Castigandus etiam Miræus in Chronico.*

sunt per sequestros. Cessit Lossensis Gulielmo Hollandiam, acceptis ab illo decem milibus marcharum argenti.

Ex Annal. lib. VIII.

An. 1213. Ferdinandus Sanchij Portugalliæ Regis filius, Ioannæ Constantinopolitanæ Flandriæ Comitis maritus, Reginaldusque Bononiensis & [a] Gulielmus Saleberius Anglus bello petiti à Philippo Rege Galliarum, ne classem partamque prædam amitterent, subito in VValachriam Zelandiæ Insulam refugerunt.

[a] *Ioannis Angliæ Regis frater, Comes Saliberiæ.*

Cognito Regis discessu Ferdinandus, comitante eum Gulielmo Comite Hollandiæ, qui extrusa fratris filia Principatum in ea gente invaserat, cum Hollandorum Frisiorumque aliquanta manu Brugas redijt, &c.

Post Ferdinandus duxit exercitum in Brabantiam, vt de Henrico Comite Lovaniensi & Lotharingiæ Duce peteret vltionem, qui vbique adversum se Philippo Regi suppetias tulerat. Hunc confugere in oppidum Bruxellam compulit, ipsumque eodem in oppido circumclusit, non modò Saleberio, Bononiensique, sed Comite etiam Hollandiæ Gulielmo hanc inexpeditionem sequente. Quorum fretus auxiliis, eo necessitatis Lovaniensem adegit, vt relictis Philippi Regis partibus novum secum fœdus societatemque armorum jungere illum compelleret: datis in ejus rei fidem obsidibus duobus ejus filiis Henrico & Godefrido; qui mox Gandavum ducti sunt, adservandi in Arce.

Auctarium Aquicinctinum ad Sigeberti Chronicon:

Anno 1213 grande bellum fuit inter Philippum Regem Francorum & suos ex vna parte, & Fernandum Flandrensem & Othonem Imperatorē Alemannię ex alia, ad pontem Bovinarum: sed Franci victoriam habuerunt. Quâ visâ, Otho

cum

cum quibuſdam de ſuis receſsit: Fernandus autem & Reinaldus Comes Boloniæ qui cum eo erat,& VVihelmus Comes Hollandiæ capti fuerunt in ipſo prælio. Sed poſtmodum Fernandus per illuſtrem vxorem ſuam Ioannam Comitiſſam Flandriæ à captione Regis Francorum pretio non modico eſt redemptus. Comes vero Boloniæ in quodam caſtro, ſito in Sequana, quod dicitur Goulet, exſpiravit.

Prælium Bovinenſe hoc recitat Meierus anno 1214, *ad* VII *Kal. Auguſti. Qui multos viros Principes captos recenſet, inter eos tamen Comitem noſtrum Gulielmum non nominat.*

Ex Meieri Annal. lib. VIII.

An. 1216. Ludovicus Philippi Regis filius magno cum exercitu in Angliam navigavit, eò inter domeſticam Anglorum diſcordiam vocatus, ac Rex ſalutatus, &c. Ad hanc expeditionem Gulielmus Comes Hollandiæ Ludovico triginta ſex Equeſtris Ordinis viros adduxit auxiliares. At deſtitutus Anglo- An. 1218. rum favore Ludovicus, neceſſe habuit ad patrem revertere.

Fridericus Cæſar manus injecit Aloſtanis, VVaſiæ, Quatuor Officiis, & Inſulis Zelandicis, eò quòd Ioanna Comes non veniſſet juratum in ejus verba. Excuſavit Ioanna viri (Ferdinandi) captivitatem, per quam non licuiſſet ſibi id ſatis mature facere: eamque excuſationem interventu quo- An. 1221. rundam pacificatorum Auguſtus tandem accepit.

Henricus filius Frederici Cæſaris Dominatum Flandriæ, hoc eſt, Aloſtanos, ab Friderico propter non ſatis in tempore præſtitam fidem in fiſcum coactū, Ioannæ Principi reſtituit. An. 1222.

Obiit Gulielmus Comes Hollandiæ.

Ex Barlandi libro Hiſtoriarum.

An. 1288. Menſe Ianuario inſigniter inundatus eſt ager Hollandiæ, cum fœda domorum & animalium ſtrage. Eodem anno magnæ Friſiam, Hollandiam, Zelandiam, & Flandriæ partem prodigiole

digioſe inundavit. Ab hoc diluvio in Zelandia ſola fuit immunis VValachria, cum pago qui vulgo dicitur Wolferssdijck.

Ex Meieri Annal. lib. XII.

An. 1334. Sanxit Ludovicus Nivernenſis Flandriæ Comes, vt mercatoribus Friſiis liceret adducere in Flandriam equos ſuos & boves, eoſque vt vellent vendere, excepto quod Comiti liceret ex illis eligere quidquid illi opus eſſet pretio rationabili.

Eodem anno in ferijs Divi Clementis, menſe Novembri, ventus, fulgur ac tonitrua facta ſunt, quantū poſt hominum memoriam nemo vidit vel audivit, qua cęli intemperie mare trans omnes ſe aggeres ejecit, ruptiſque omnibus obſtaculis multos pagos cum hominibus ſimul & pecuariis in Flandria, Zelandia, Hollādia, & Friſia miſerando ſpectaculo abſorpſit.

Ex Barlandi libro Hiſtoriarum.

An. 1377. Sub feſtum Dionyſij mare prodigioſo actu Borſaliā totam, quæ apud Zelandos Suutbevelandiæ pars eſt, inundavit. Borſalię adjacēt pagi tres, Bacendorpia, Earlandia, & Antiqua terra, quos tum ſolos diluvialis eruptio illa in acceſſos reliquit.

An. 1421. Nocte quæ præceſſit feſtum Eliſabeth vi tempeſtatis & aquarū violentia ruptis aggeribus in Hollandia pagi ſeptuaginta periêre. Sunt & in Friſia & Zelandia everſæ domus ac villæ. Periit ingens quoque mortalium numerus. Fruſtra alij loca editiora camporum, alij turres ac tecta petebant. Spumeus amnis exiens oppoſitas evicit gurgite moles, fertur in arva furens cumulo, campoſque per omnes cum ſtabulis armenta trahit.

An. 1421. Ortum eſt diſſidium inter Ioannem ejus nominis IV. Brabantiæ Ducem & Iacobam à Bavaria Hollandiæ Principem hujus vxorem. Quod poſtea bellum ingens, & multa ſanguinis effuſio ſequuta eſt. Hic Ioannes Antonij (qui an

no

MCCCCXV ad Blangium non longè à Morino periit) filius annos dumtaxat natus tredecim, Brabantiæ Principatum adiit. Annum agens sextumdecimum, vxorem accepit Iacobam filiam Ducis Gulielmi à Beyeris, Comitis Hanno-niæ & Hollandiæ. Fuit aliquamdiu inter eos mutuus amor. Evenit postea discessio; cujus invenio caussam fuisse, quòd Proceres, qui marito adhuc juveni præerant, suo arbitrio mutata omnis reginiinis forma & submotis quibus ab ineunte ætate mulier assueverat pedissequis, alias illi & ignotas dederint. Quod quàm iniquo tulerit animo, satis inde colligi potest, quòd sub id tempus in Angliam trajiciens, illic vivo adhuc Ioanne Duci cuidam Glouceſtrio nupserit, fratri ejus qui tum in Insula ea regnabat. Tot inde sunt orta dissidia, tot sequuta certamina, varioque eventu depugnata. An. 1422.

Dux Glouceſtrius contracto in Anglia exercitu Caletum pervenit cum Iacoba. Inde ad occupandam vxoris nomine Hannoniam proficiscitur. Et multa jam loca sibi subjecerat, quum Ioannes Dux Brabantiæ veritus ne simili casu Hollandiam quoque & Zelandiam amitteret, vndique amicorum Principum fide implorata, præfecit gubernandæ Brabantiæ fratrem suum Philippum, in rebus gerendis solertem & laboribus infatigabilem virum. Ipse inde profectus, ab Hollandiæ, Frisiæ, & Zelandiæ populis ita excipitur, vt tam prompta humanitas & benevolentia singularis efficere potuerint, vt animo æquiore toleraret mala omnia quibus vno tempore circumvallabatur. Glouceſtrius, vbi audisset in Brabanti fidem cessisse Hollandiæ ac Frisię civitates, ilicò emisit armatam manum; quę in Brabanticum agrum tumultuosè effusa, in miseros agricolas, nullũ ferè crudelitatis genus non exercuit. Violata templa, per omnem sexum evagata cędes, ad stuprum raptæ virgines. Facti his de rebus certiores qui primaria potestate in Brabantia gubernabant Ducis permissu, Nivellas cum instructo ad hostium motus inhibendos exAn. 1422.

ercitu miſerunt Principē VVeſemalium & Ioannem Glimes cognomento, qui ſtrenuè defenſis finibus, interim ſæpius levia quædam prælia cum hoſte commiſerunt.

a *Braine le Conte.*

Firmaverat Glouceſtrius militari præſidio a Braniam Comitis (ita enim vulgò nominant id oppidulum) vnde miles ſubinde excurrens, Brabanticum agrum ferro flammaque fœdabat. Itaque die quodā VVeſemalius & aliquot alij cum ſuis copiis ad Braniæ muros acceſsêre. Quod videntes Angli, qui locum præſidio obtinebant, plenis repentè portis effunduntur, vix tentato prælio: ſimulat fugam Brabantus, donec longius ab oppido extractam videt Anglorum aciem, hic circumacto celeriter agmine in hoſtem revertitur, fuitque id prælium multò prioribus atrocius. Multi quidem Angli cæſi ſunt, multi graviter vulnerati, multi etiam capti. Cęteri in vrbem trepidi ſeſe recipiunt.

Non multis inde diebus interjectis, tota Brabantia in Anglos arma induit. Ab Trajectenſibus ad Moſam, à Philippo Burgundionum Principe, qui nepos erat Ducis Ioannis, ab Tornacenſibus auxiliares copiæ adfuerunt. Exercitu luſtrato, recenſa traduntur, præter Burgundi & Tornacenſium appendices, millia hominum ſexaginta. Cum his viribus Ducis frater Philippus, rei bellicæ vir ſcientiſſimus, Braniam circumſedit, quum omnia prius circa vrbē populatione & ignibus afflixiſſet. Iam compluſculos dies obſidio tenuerat, quum propius accedens oppugnare oppidum eſt adortus, etſi opere ac natura egregiè munitū, ſtrenuè autem ſe defendentibus Anglis, plurimi è noſtris muro dejecti periêre. Noctis interventus prælium diremit. Poſtridiè ab his qui intus erant pax fruſtra tentata eſt, recurrere ad arma cupientibus Brabantis. Et jam atrocior fuiſſet hoſtem adorta oppugnatio, niſi vltro poſitis armis ſe dediſſet. Ita redactum in ſuam poteſtatem oppidum Philippus incendio abſumpſit. Ex Branienſibus, qui fuerant defectionis ad Glouceſtrium auctores,

alios

alios laqueo necavit, alios gladio ſubjecit.

Deletæ atque everſæ Braniæ fama, perculſę Hannonienſium vrbes aliquot, ſtatim mutatis animis, Glouceſtrium ejecêre. Quo facto in gratiam ſunt à Brabanto recepti. Poſt tam lætam victoriã egreditur cum ſuis Philippus ad reliqua Hannoniæ oppida recuperanda. Sed maximo nivium caſu, & continenti pluvia repulſus, in itinere ſubſtitit. A Glouceſtrio venit enim Legatus, nuncians mox adfuturum illum, vt cum Philippi copiis dimicet: verùm expectatus quadriduum totum, non venit. Haud multò poſt, abeuntem Brabantum inſequuta eſt alia manus Anglorum, vt ſic improviſum opprimeret. Non eſt tamen hoc loco dimicatum, fugientibus Anglis, quum primùm vidiſſent hoſtem egregie ad pugnam inſtructum.

Anno Dominicæ Nativitatis M CCCC XXV, Ioannes Brabantiæ Dux obſedit Bergas in Hannonia, vbi tunc temporis Iacoba cum ſuis manebat. Adhuc tenente obſidione Philippus Burgundiæ Princeps venit Duacum; vbi colloquutus cum Ioanne Principe, conſilium dedit, vt auctor & cauſa belli totius Iacoba in Burgundiam aveheretur, donec Romani Pontificis decreto ad maritum ſuum ipſa redire cogeretur. Senſit agi inter Principes mulier de ſe traducenda. Veniens igitur in exercitũ Ducis, Engelbertum Naſſavium lacrymantibus oculis rogat, vt is apud Ioannẽ Principem efficiat, vt ſibi in oppido aliquo, aut arce Brabantiæ liceat manere. Quod non impetravit, devecta Gandavum. Valenſenas Dux ingreſſus, magno civium favore & officiorũ frequentia accipitur. Miſit poſtea Bergas Hannoniæ duos è Proceribus, qui ſuo nomine & ejus vrbis acciperent Principatum. *An. 1425.*

Eodem anno menſe Iulio, allatum eſt Glouceſtrio ad reparandam bellum, promiſſa ab Anglis octies centum millia aureorum, ad hæc viginti millia armatorum peditum. Promiſiſſe ferebatur & Scotus auxiliares copias. Itaque rebus *An. 1425.*

aliis omissis; Dux Brabantus Hannoniæ vrbes & arces validis firmat præsidiis, simul ad cognatum suum Burgundiæ Principem literas dedit; quibus ille certior factus Glouceſtrium Ducem totis viribus bellum renovare, Ioanni rescripsit adfuturum se cum exercitu, si quid Anglus hostile fuisset molitus. Ioannes quum se videret non sufficere tot gubernandis Provinciis, Burgundum Hannoniæ præfecit & Zelandiæ. Per idem tempus Iacoba clanculũ se Gandavo subduxit in Hollandiam; vbi quum facilé ejus terræ Nobiles viros aliquot & nonnulla etiam oppida ad sui obsequiũ retraxisset, intellecta re Glouceſtrius, misit ex Anglia classem in Hollandiam (ductu Principis cujusdam Filvvaterij, qua classe defenderet se & suos Iacoba. Non multò interjecto tempore Iacoba Herlemũ obsidente, quum Dux Burgundiæ Philippus, quem Ioannes Hollandiæ præfecerat, audisset in Zelandiam applicuisse naves Anglorum ad Insulam expugnandam, noctes diesque itinere continuato accurrit eum manu validissima. Hîc totis viribus vterque Dux in aciem descendit. Fuit ab initio anceps certamen, ad postremum Burgundus egregiè vicit, cæsis tribus Anglorum millibus, ex omni ætatis flore selectis. Commissum est prælium hoc memorabile in agro pagi percelebris qui nostrate lingua dicitur Brouwershaven, ad annum
An. 1425. Salutis M CCCC XXV, in festo Pontiani, mense anni primo. Paucis post diebus Romę declaratum à Cardinalibus, Iacobã sine justa causa fecisse cum Ioanne divortium. Quo accepto nuncio Glouceſtrius, aliam duxit vxorẽ. Iacobam tamẽ Ioannes non recepit, posteaquam supremi Ordinis Proceribus visum est publicam quietem cõducere, vt illa ad certum tempus servaretur apud Sabaudiæ Ducem cognatum suum.

Vno extincto incendio plerumque nascitur alterum. Manebat Schoonhoviæ oppido Hollandiæ Iacoba, quum & solertia quadã pertractis ad se Goudanis civibus armato milite non parum affligeret ejus terræ civitates, quæ adversæ partis erant.

erant. Iacobæ se adjunxerat princeps Sevenberganus, & ipse terra marique Hollando infestus. Quo audito, Burgundus reduxit ea in loca exercitum, ac Sevenberganos arctissimè obsedit, pecuniæ interim haud parvam summam promittens Sevenbergæ principi si bello abstisteret. Quod vbi constanter negaret se facturum, & jam propius vrbem consideret cum copiis Burgundus, tandem se dedidêre Sevenbergani. Princeps, quo invito hæc facta erat deditio, fugatus est.

Ioannes Brabantiæ Dux ejus nominis IV Bruxellæ mortem obijt, ante diem resurgenti Domino festum, ætatis anno vigesimo quarto. Conditorium ejus visitur Vuerę ante aram maximam in Æde Ioanni Euangelistæ sacra. Fuit hic Dux in rebus adversis omnino forti & infracto animo, justi atque æqui tenax. Nemo Religionis studiosior, nemo Dei amantior, nemo affabilior, nemo clementior. Adeo munificus in pauperes, vt ij vno ore omnes Ioannem pauperum patrem appellaverint. Idem Lovanij Gymnasium viris vndique doctissimis accersitis instituit, anno M CCCC XXV. Professio inchoata est [a] Kalendis Septembribus, aut, vt quidam volunt, pridie Natalis Deiparæ, anno incarnationis Dominicæ M CCCC XXVI. Iacoba, defuncto Ioanne marito suo, constituit Hannonię Hollandię, Zelandiæ, & Frisiæ primum Gubernatorem Philippum Burgundiæ Ducem, cognatum suum; qui tum aliis rebus implicitus, quum fidei suæ creditis populis adesse non posset, Franciscum quemdam Equitem Auratum Borsaliæ Dominum his præfecit. *An. 1426.*

Iacoba magnis & amplis à Francisco Borsaliæ Domino acceptis muneribus, & pecunia dono data in summa inopia rerum, quem amicum senserat in rebus adversis, eum postea maritum clam accepit. Qua re audita, comprehendi Borsalum jussit Philippus & custodiri in arce Rupelmundana apud Flandros ad Scaldim sita. Multis cum lachrymis sequuta Ducem Iacoba virum suum repetit. Negatum aliquamdiu *An. 1433.*

a *Imò Aspicalis dies fuit secunda mẽsis Octobris, vt constat ex publico edicto ipsius Ducis. De quo Lipsius consule. Lovanij lib. 3. cap. 2*

PHILIPPVS BVRGVNDVS

pertinaciter, iis tandem legibus reddidit Philippus, vt ſibi cognato Iacoba cederet Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ Comitatus cum Friſiæ principatu. Pro quibus acciperet ipſa cum viro ſuo Comitatum vulgo dictum Ooſtervant, oppidum Brilenſe, Inſulam Zuutbevelandiæ, & quædam alia.

An. 1436. Pridie Dionyſij exceſſit è vivis Iacoba, quam dixi, quum in malis plurimis & animi doloribus Hannoniæ atque Hollandiæ præfuiſſet annos XIX. Sepulta eſt apud Hagam Comitis juxta monumentum Ducis Alberti, avi ſui.

An. 1444 Orta eſt in Hollandiæ Comitatu perniciosiſſima illa diſſenſio, quæ populum in duas factiones diviſerat. Alteri ab hamo, alteri à piſce aſello nomen inditum erat. Civitati cum civitate non conveniebat: Frater fratri minabatur exitium: Filius patrem ſuis manibus exſtinctum cupiebat. Vtrinque cædes, vtrinque innumera ſunt edita latrocinia. Sæviit multos annos tota Hollandia hoc malum longe teterrimum, ac neſcio an etiamnum reliquiæ ſuperſint hujus peſtis.

An. 1552, *An.* 1453. Hoc fere tempore Philippus Dux Burgundiæ, neſcio quo prætextu, ingentem ab Hollandis pecuniam exegit. Quæ primùm negata à VVaterlandis (ſunt ij populi Hollandiæ) magnos iterum tumultus excitavit. Reſpondentibus enim VVaterlandis non ita florere ſua oppidula, vt ceterarum Hollandiæ vrbium munificentiæ reſpondere poſſent, ilicò miſſi ſunt à Principe Legati, qui vel invitos ac renitentes eos ad id pecuniæ perſolvendum traherent. Quumque nec eo modo quidquam profeciſſent, juſſu Principis eò inmiſſi armati opulentiſſimos quoſque abduxerunt Hagam Comitis. Qua violentia tantum pecuniæ extortum eſt, vt præter eam quæ exigentium & recipientium ſitim explere potuit, multum etiam ſuperfuerit ad luxum & delicias aulicorum. Et vtinam à ſuperiorum Principum Conſiliariis

is omnino pestilens inductum exemplum hodie non tan-
o studio imitarentur omnes!

Obiit Brugis Philippus Dux Burgundię, ætatis anno An. 1467.
eptuagesimo tertio, Regni XXXVII, Nativitatis Domi-
icæ M CCCC LXVII, ad XVII Kal. Iulij. Corpus
jus, quum aliquamdiu insepultum mansisset in Æde Dona-
ani ad aram maximam, inde tandem avectum in Bur-
undiam, Divione in Carthusiensium Monasterio sepeli-
ur. Fuit hic princeps, quod non paucis incredibile videa-
ur, pacis ac belli ex æquo studiosus, insignitè pius, in
mnes beneficus, humanus, vt superiorum principum nul-
us. In re bellica fortior ne an felicior exstiterit, nescias.
Moderationem & clementiam toto administrationis tem-
ore mirabilem exhibuit, novitque iram plerumque dissi-
nulare ac vincere. Gemmarum, signorum, tabularum, &
oculorum ex auro atque argento studiosissimum fuisse le-
imus: in quibus comparandis ipsum propè superavit Iu-
ium Cæsarem: ditavitque hujusmodi rerum artifices vn-
ique ad se accersitos. principes viros, ac Nobiles matro-
as coluit, ac ab his vicissim ipse in honore est habitus.

Quando Brabantiæ & aliarum Regionum Principatus ad Philippum Burgundiæ Ducem pervenerit. Ejusdem vxores & liberi.

Sine prole jam defunctis Ioanne (anno M CCCC XXVI)
& Philippo (M CCCC XXIX) Brabantiæ Ducibus, Anto-
nij liberis, omne jus principatus Brabantiæ devolutum est ad
Philippum Ioannis Burgundiæ Ducis filium. Is enim Ioan-
nes Antonio fratri juniori hac lege Ducatum Brabantiæ cef-
serat, vt si vel ipse Antonius, vel ejus liberi sine hæredibus
necessa-

neceſſarijs decederent, jus rediret ad ſuum genus. Itaque Philippus patre Ioanne Burgundo natus, ab initio adminiſtrationis tam ſingulari vixit modeſtia, vt plurimum diligeretur ab omnibus, & in magno etiam honore ſit habitus. Obvenerũt ei poſt cædem patris provinciæ Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Limburgia, Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Friſia: quibus omnibus ſumma prudentia præfuit. Vxores duxit omnino tres. Vnam Michaelam Caroli VI, vt alij VII, Gallorum Regis filiam virginem, ex qua liberos non tulit, quum maxime cuperet. Hæc defuncta ſepelitur Gandavi in Cœnobio Divi Bavonis. Deinde in matrimonium accepit Laudam quandam, & nobilem & egregia forma mulierem, quæ & ipſa nihil ei peperit liberorum. Poſtremo conjugem habuit Iſabellam Ioannis Portugalliæ Regis filiã, ex qua Antonium & Iodocum, quos pueros amiſit, poſtremò [a] Carolum ſuſcepit, qui patri ſucceſſit in Principatu. Iſabella hæc rebus humanis exempta eſt Arris non longè ab oppido S. Odomari, anno M CCCC LXXI, Geſnoiæ Monaſterio Carthuſienſi in Arteſia primùm ſepulta, poſt ejus etiam corpus Divionem eſt deportatum.

a *Natus Divioni ſive Digij oppido Burgundiæ, anno 1434, 3 Idus Novembris*

CAROLVS BVRGVNDVS.

An. 1467. Defunctus bello Leodienſi Carolus Philippi filius, vxorẽ
An. 1468. duxit Margaretam ſororem Eduardi IV Anglorum Regis. Hæ nuptiæ Brugis oppido Flandriæ celebratæ ſunt tanto apparatu, vt nihil à condito ævo Sol viderit ſplendidius, &c. His celebratis nuptiis cum vniverſo propemodum flore Procerum Burgundiæ in Hollandiam venit. Vbi rurſus ad ſingularum vrbium ingreſſum renovata lætitia, inſtauratis triumphis, & paſſim editis magnificentia ſplendoreque viſendis oſtentaculis, apud Hagam Comitis pridie feriarũ Divæ Magdalenæ Principatui ejus regionis inauguratur.

Sub idem tempus rebellatũ eſt à Leodienſibus, qui nocturno tempore ingreſſi Tongrinum (olim hæc vrbs Octavia dicta eſt) Ludovicum Antiſtitem ſuum, Caroli Principis nepotem

nepotem captum abduxerunt Leodium. Hujus rei indignitate permotus Carolus, vndique magno ſtudio contractis copiis, movit in Leodinos. Erat tunc temporis eorum vrbs non ſolùm magna & egregiè munita, verùm etiam florentiſſima & caput ejus gentis. Magnitudinis argumentum fuit, quod in ea tum viſebantur templa numero triginta duo, nos vulgò dicimus Eccleſias parochiales. Ad hanc igitur vrbem caſtra Burgundus exercitumque partitus, eam non vno loco circumſedit, poſtridie, vt ſperabat, expugnaturus, niſi pluvio cœlo impeditus fuiſſet. Auxilia ad ejus expugnationē oppidi miſit Gallorum Ludovicus; qui & ipſe magna ex parte gerendis rebus interfuit. Carolus paucis diebus obſeſſum Leodiū, valideque interea ab incolis defenſum, noviſsimè vi cepit, captum diripuit, direpum evertit: multis prius ac variis ſæviciæ exemplis a milite ipſius editis. Antonius Sabellicus in opere, cui titulum prætulit Rapſodiæ hiſtoriarum, auctor eſt Burgundum ſummo id bellum odio ſuſcepiſſe. Nam expeditionis ejus Ducibus ab eo mandatum eſt, vt vna manu exertum gladium, altera geſtaret facem ardentem, ijs nimirum rebus miſeræ genti exitium minitantes. Captam vrbem Gallus cum Burgundo ingreſſus, pectore non rectam ſed Andreę crucem habuiſſe dicitur, vt hoc facto innueret omnem ejus belli gloriam ad Carolum pertinere. Incidit autem hoc excidium inclytæ vrbis in III Kal. Novembres, anni Dominicæ incarnationis M CCCC LXVIII.

Leodinos jam obſeſſos Aquiſgrani cives & incolæ commeatibus juverant. Quod vrbe capta, iniquo animo ferens Burgundus, cum lectiſſima manu Trajectum ad Moſam proficiſcitur, inde quam primum in Aquiſgranos eductus. Aquiſgrani hoc audito, non arma parant, non vrbem muniunt, non ea quæ ad reſiſtendū erāt neceſſaria circumſpiciunt, ſed metu & immodico pavore conſternati, Primores ſuos Trajectum miſêre. Vbi ad Caroli Principis conſpectum humiliter An. 1468.

militer provoluti, statim & vltro portarum clavibus traditis, oppidi totius imperium illi permiserunt. Gratum fuit Burgundo obsequium, grata humilitas. Proinde venia data, sed hac conditione, vt propter adjutum hostē octoginta florenorum millia Duci intra statutum tempus adnumerarentur.

Paucis post annis Frisiæ Orientales populi, quum Burgundionum Ducis imperium detrectarent, missi sunt hinc inde Legati, per quos de pace & parendi conditionibus ageretur; quanquam libertatis gens amantior, nullas nisi multò æquissimas conditiones admissura videbatur. Carolus animadversa gentis pertinacia, terribili armorum apparatu mox erat fines eorum ingressurus, nisi ad tempus dissimulandum ratus aliò mentem convertisset. Circa eadem tempora maximus armorum motus in Britanniis exstitit, pulso & ejecto Nobilium conjuratione Eduardo Rege, Caroli Burgundi socero. Neque resedit hic motus citra humanum cruorem, ante Calisium & alia quædam loca ingenti edita cæde. Cujus rei nobis est auctor Sabellicus, veteris ac recentis historiæ scrutator, meo judicio, non indiligens.

An. 1472. Anno Dominici Natalis M CCCC LXXII, mense Ianuario, sub festum diem Agnetis, exorta est crinita stella, quæ maximo horrore mortalium visa, fulsit per cōtinuos tres menses. Multa hunc cometam secuta bella, atque ingens hominum cædes & pestilentia, quæ pluribus locis atrociter sævijt.

Per idem ferè tempus, opera & studio Burgundi, custodia dimissus est Arnoldus Gelriæ Princeps, quē filius Adolphus septennium totum in vinculis detinuerat. Quā causam huic in parentem violentiæ prætenderit non tradunt, quibus curæ fuit nostratium Principum res gestas conscribere. Illud reperio, Adolphum postea accersitum ad Carolum Principem, vti de communibus rebus inter se commentarentur. Sed quum impius ille multa eo congressu se digna, Caroloque indigna locutus esset, primò diebus aliquot servari jussus, mox Vil-

vordiam

ordiam (est hoc Brabantiæ oppidum) abducitur, vbi custo-
iæ traditus mansit vsque ad obitum Caroli. Duplex deinde
ma est, quomodo accesserit Burgundo Gelriæ Principatus.
uidam eum emisse scribunt à Duce Iuliacensi, qui tum ve-
s esse credebatur hæres ejus terræ. Alij tradunt Arnoldum
aulò antequam vita decederet Adolpho filio infensum, ex-
æredato eo, Principatum cessisse Burgundionum Duci Ca-
olo: qui defuncto jam Arnoldo, misit ilicò ad singula penè
jus regionis oppida Legatos, qui monerentur, vt si rebus suis
onsultum vellent, Caroli imperium reciperent. Quod si fa-
ere recusarent, haud dubiè futurum, vt egregius Princeps ar-
nis repeteret suam terrã. Legatis superbè responsum, nemi-
ẽ esse tota Gelria, qui magnoperè Caroli minas pertimesce-
et. Si acie certare vellet, non defuturos qui patriam defende-
ent. Hæc vbi renunciassent Legati, statim cum exercitu pro-
ectus in Gelriam Carolus, primùm à Ruremundanis recipi-
ur; atque his initiis perterriti vicini, vltrò deditione facta in
tratiam sunt accepti. Oppidum Venlo diebus aliquot obses-
um est, ac novissimè apertis Principi portis omnia sunt illi
n manum tradita. Postea & Noviomagum, clarissimum
Gelriæ oppidum, viginti quinque diebus varie oppugnatum
d deditionem compellitur. A cujus civibus ingenti lætitia
ntroductus Carolus, totius Gelriæ Principatum suscepit. In
adem vrbe ad se adductos mortui Arnoldi ex filio nepotes,
rimùm est osculatus, deinde è conspectu summotos jussit
vehi Gandavum ad vxorem suam Margaretam. Sic reperio
pud quosdam. Alii dicunt pueros illos non Gandavi mis-
os, sed vna cum Principe avectos esse in Brabantiam, vbi
int plures annos honorificè habiti. Noviomagi Principa-
u Gelriæ (vt dixi) suscepto, à cæteris quoque ejus terræ op-
idis Burgundus recipitur, ac postremò Comitatui (vt vo-
ant) Zutphaniæ solennibus etiam ceremoniis initiatur.

Æstas, qua subacta est à Caroli armis Gelria, fuit citra omnem hominum memoriam calida: diversis locis & homines & bruta animantia intolerandis periêre caloribus.

An 1473. Alij 1474. Anni hujus autumno Fridericus Imperator pulcherrimo comitatu, in quo multi egregij Præsules, multi insignes Duces, ac illustres erant Optimates, venit Treviros (est hæc civitas ad Mosellam fluvium sita) vt cum Carolo Burgundionũ Principe de multis ac variis rebus coram loqueretur. Carolus verò vt venisse audivit Imperatorem, compositis in Gelria rebus, eò confestim est profectus, longè pulcherrima comitante pompa. Invenio Principi non longè dissito à Treviris obviam itum ab Imperatore. Tum vrbem tubis aliisque id genus circunsonantibus instrumentis pariter ingressi, diebus aliquot vnà fuerunt. Interim Carolus nihil non opum, nihil non splendoris effudit, ad decorandum Imperatoris adventum. Convivium, cui per eos dies Imperator est à Carolo adhibitus, ejusmodi fuit, vt propemodum nuptias illas Brugis celebratas apparatu & magnificentia æquaverit. De hoc Friderici Imperatoris, & Ducis Caroli congressu extat & circumfertur pulcherrima [a] Epistola eximiè docti viri Rodolphi Agricolæ Frisij.

[a] *In maiorem nuper notitiam protracta a V. C. Marquardo Freher o Germanicar. Rer. tom. 2. fol. 155.*

Reversus ab Imperatore Carolus, Mechliniæ Curiam instituit.

An. 1474. Carolus Novesium, vel (vt alij) Nussiam obsedit, Colonienſis agri oppidum. Cœptum est obsideri mediis Iulij caloribus.

An. 1476. Carolus Burgundiæ Dux ante Nantium tribus vulneribus confossus ocubuit, pridie Epiphaniæ. Cædis annus his quatuor continetur verbis:

NoCte RegVM sVCCVbVIt CaroLVs.

Exacto triduo, Caroli corpus certissimis signis agnitum sepelitur Nantij in Æde S. Georgij. Quum sepeliretur, intuentibus qui ex clade illa supererant obortæ lachrymæ: non erant enim

enim ignari qualem patria Ducem amisisset. Obversabatur oculis multa viri virtus: hærebat fixus in pectoribus astantiũ vultus militem in prælium educendus. Occurrebat quo animo vrbes oppugnare, muros conscendere, hostem loco submovere consueviſſet. Cæterùm proximo septennio, quod est viri cędem insecutum, omnibus locis multus & varius de illo jactatus est sermo, affirmantibus quibusdam vivere eum Bruxellæ oppidulo Sueviæ: Alijs cõtradicentibus, non interemptum ante Nantium, sed captum & abductum in Gallias, ibi in conspectu Regis Ludovici gladio admotum periisse. Spes de Carcli vita, quæ postea vanissima comperta est, in causa fuit vt pauciſſimis locis celebratæ sint ejus exequiæ.

Morte Principis hujus plurimi tristati, quidam lætati sunt. Oderant ij impendio pugnacem: oderant ob assidua bella pecuniæ exactorem. Defuncto tamen eo, in Brabantia & Flandria exorti & sequuti majores motus fecêre, vt reviviscere Carolum omnes cupierint. Adeo stolidum vulgus nonnihil mutatis rebus ea probat, quę antea damnavit.

Filiam reliquit hæredem Mariam, excellenti forma virginem. Quæ illi ex Isabella conjuge secunda (tres enim duxerat) susceptа, nupsit postea Maximiliano Friderici Imperatoris filio. Vltima ejus vxor Margareta defuncto marito pluribus annis supervixit. Certè multorum bono. Suis etiam facultatibus interim præclara fovit ingenia, studuitque modis omnibus partim culpa temporum, partim Principum negligentia ac vitio jacentes literas pręcipuè sacras excitare. Nulli vnquam attribuit sacerdotium, nisi prius & eruditionem & vitam inspexiſſet. Quod vtinam & hodie facerent Principes, non tam multos passim videremus idiotas in Ecclesia Dei, quos fortasse prestaret defricandis Principum matulis, quàm hominum conscientiis præesse. Mechliniæ sepulta est hęc nobilissima fœmina, in Cœnobio Minoritarum: ex qua Carolus nihil liberorum tulit. Vnde miror, quidnam Raphaeli

Volaterrano in mentem venire potuerit, vt referret in literas Mariam (de qua diximus) hujus filiã Margaretæ fuisse. Nõ debuit, meo judicio, vir tantus, & is Italus, in rebus nostratibus cõscribendis, potius hominũ sermonibus, quã libris credere.

An. 1476. MARIA BVRGVNDA.

In Mariam hanc Caroli filiam vnicam, postquam in humanis esse desiisset pater, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ aliarumque finitimarum Principatus recidit. Quæ Gandavi agebat quum tristissimum de cæde parentis acciperet nuncium. Venerunt illuc haud multò post illustres viri complures, partim consolaturi fœminam, quæ parentis obitum, vt par fuit, graviter molesteque ferebat: partim cum ea de Reipublicę administratione colloquuturi. In his erant Ludovicus Borbonius Leodinorum tunc temporis Antistes, David Burgundus Trajectensium in Hollandia Episcopus, Mariæ patruus (hic enim Caroli frater, sed nothus erat,) Ioannes Dux Clivensium, & Adolphus Ravesteynius fratres, VVolfardus Verensium Princeps, Ludovicus Comes VVinteſteynius, Hollandię, Zelandiæ ac Frisiæ Præfectus, VValravius Brederodius. Quibus Gandavum ingressis, statim in eadem vrbe Maria Principatum Flandriæ suscepit, ac privilegia civibus reddidit omnia, quæ pater ob excitatum se præsente tumultum illis ademerat.

An. 1477. MAXIMILIANVS AVSTRIVS.

Maximilianus, Frederici Imperatoris filius, Archidux Austriæ, accepta vxore Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia vnica ex Isabella, inauguratus est Principatui Brabantiæ apud Lovanium.

Ab Hollandis, bello postea Trajectensibus indicto, Zelandos invehio rogatos vt socios Hollandis adjungerent sese, negato auxilio, medios ac velut Tragœdię hujus spectatores sedisse. Multum est vtrinque acceptum incommodi. Eversæ sunt arces, incensi pagi, alia nefanda perpetrata. Nardenum Hollandiæ oppidulum à Trajectensibus captum atque direptum est. Quã injuriam dimicaturi Hollandi cum exercitu

haud

haud contemptibili equitum pariter ac peditū profecti venêre ad Eminiſſam. Hic pagus & ampliſſimus & munitiſſimus erat. Huc abegerāt pecus omne ſuum finitimi omnes accolę, & alia pleraque: lectos, veſtem, aurum huc importaverunt. Hos adorti Hollandi, quum aliquamdiu oppugnaſſent, vicerunt, victos ad vnum omnes trucidarunt. Poſtremò, direptis omnibus, ædificia & publica & privata incendio conſumpta ſunt. Lego in Commentariis quibuſdam rerum Hollandicarum noſtrate lingua conſcriptis, hunc pagum fuiſſe miliaris vnius longitudine. Hollandi poſt victoriam Eminiſſenſem longius evecti, feſto die protomartyris Stephani incenderunt pagum V Veſtbrunc: credo, vt ſic ad pugnam Trajectinos evocarent; qui è portis & munitionibus ſuis conſpecto incendio, arreptis armis, cum Hollando temerè congreſsi, magna ſuorum ſtrage fuſi fugatique ſunt. Fugientem hoſtem inſequuti Hollandi, parum abfuit, quin vrbem ipſam ceperint. In hac pugna cæſus eſt Conſulum alter ejus anni, multique alij & probi & opulenti cives, quos non ſpes prædæ, ſed patriæ amor ad arma conciverat.

Anno à Chriſti incarnatione M CCCC LXXXI, venit Maximilianus in Arteſiam bello recuperaturus oppida quę Gallus occupaverat, &c. Eodem ferè tempore laboratum eſt noſtris in locis maxima annonæ caritate, quæ multos duravit annos. Per eadem tempora Flandris atque Hollandis plurimæ ſunt ademptæ naves, totum mare infeſtantibus Gallis. *An.* 1481.

Agens in Flandria conjunx Archiducis, quū die quodam levandi animi gratia venatum exîſſet, (venandi enim ſtudio tenebatur) ibi vel equo in præceps abeunte, vel alio caſu (certum enim non traditur) ad terrā excidit. Graviter læſa, Brugas defertur. Ad eam curandam accerſiti vndique Medicę artis ſcientiſſimi viri, ſed malo artem ſuperante, haud multis poſt diebus vita deceſsit, quum annos nondum quinque Archiduci nupta fuiſſet, gubernaſſet autem quinquennium, hebdomadas *An.* 1482.

domadas vndecim & dies quatuor. Ita colligit, qui noſtrate compoſuit ſermone noſtratium rerum Commentarios. Vulgato Mariæ obitu, incredibilis omnium luctus occupavit. Defuncta fato tam nobilis, tam proba, tam inculpatæ vitæ mulier, magni ſui deſiderium reliquit omnibus ejus ætatis hominibus. Liberos ex ea tulit Maximilianus, primùm Philippum, deinde Margaretam, Franciſcus vltimo loco natus, infans extinguitur.

Poſt exceſſum chariſimæ conjugis, Archidux modis omnibus operam dedit, vt liberis ſuis nondum puberibus ipſe tutor daretur, patriam defenſurus armis adverſus Gallum, qui ab obitu Mariæ Flandrorum fines ingreſſus omnia cæde & incendio fœdabat. Convocati ſunt igitur Gandavum poſtridie Kal. Maias eodem anno Primores omnium civitatum. His placuit non permittere Maximiliano gubernationem, niſi ad certum tempus, & vt ipſe juſiurandum daret ſe nihil ſtaturum niſi Prudentum judicio comprobatum. Erat enim juvenis ipſe, & nimium his tribuebat qui aliorum incommodo ſuis conſulerent rationibus.

Poſt longas vrbium conſultationes, tandem ſuorum factus tutor Archidux apud Lovanium inauguratur; ſed his legibus, vt non diutius præſit, quam id viſum fuerit civitatum Primoribus expedire. Plena erat hominum rapacium aula Principis: ij non dicendis exactionibus ditionem premebāt. Miles, cui ſtipendia ſoluta non erant, omnia in agris abſumere. Plures hoc pacto ad mendicitatem adacti agreſtes. Non paucos furta & latrocinia tentare coëgit egeſtas. Quo rerum peſſimo ſtatu ob crebras ventorum intempeſtates, & fulmina, tonitrus, pluvias, calores, & frigora intempeſtiva, nec ſeges in agris matureſcere potuit. Credo has minas fuiſſe Numinis irati ſceleribus hominum.

FINIS.

F609
.S379b